


1
2
3


1
2
3


1
2
3
4
5
6

THEOLOGIA MORALIS

CAROLUS-NAPOLEO GARIEPY, S. T. D.

Professor Theologiæ moralis in Universitate Lavallensi
(Quebeci), Moderator Majoris Seminarii
Quebecensis.

THEOLOGIA MORALIS

TOMUS [illegible]

DE OBLIGATIONIBUS

TRACTATUS IV

DE JURE ET JUSTITIA

QUEBECI
Ex Typ. *L'Action Sociale Limitée*

1913

Cum ex Seminarii Quebecensis præscripto recognitum fuerit opus cui titulus est *Theologia Moralis : De jure et Iustitia, auctore Carolo-Napoleone Gariépy*, nihil obstat quin typis mandetur.

A.-E. Gosselin, pter.

Quebeci, die 21a junii 1913. S. S. Q.

Nihil obstat.

L.-A. Paquet, P. A., V.G

Quebeci, die 19a junii 1913. Censor.

Imprimatur.

† L.-N., Archiep. Quebecen.

Quebeci, die 20a junii 1913.

PRÆFATIO

Theologia moralis dividi potest in quatuor partes : quarum prima tractat de **principiis generalibus** ; secunda, de **obligationibus** adimplendis ; tertia, de **auxiliis** quibus homo æternam salutem consequi valet ; et quarta, de **pœnis ecclesiasticis** : unde quatuor tomos dabimus.

Unusquisque autem tomus subdivibitur in varios tractatus.—Primus continebit quinque : I, de Actibus humanis ; II, de Legibus ; III, de Conscientia ; IV, de Virtutibus ; V, de Peccatis.

Secundus vero sex tractatus comprehendet : scilicet I, de Virtutibus theologicis ; II, de Præceptis Dei et Ecclesiæ ; III, de Virtute castitatis, IV, de Jure et justitia ; V, de Contractibus ; VI, de Statibus particularibus.

Tertius septem tractatibus constabit, juxta septem Sacramenta.

Tandem quartus tomus duos tractatus contenturus est : I, de Excommunicatione ; II, de Suspensione.

Singulos autem tractatus typis mandabo, semel ac concinnati fuerint. Faxit ergo Deus mihi suppeditare omnia quæ sunt necessaria ad tantum opus perficiendum !

Scribebam in Majori Seminario Quebecensi,
die 21a junii A. D. 1913.

C.-N. Gariépy, pter.

DE JURE ET JUSTITIA

PRŒMIUM

1. FUNDAMENTUM HUJUS TRACTATUS. — Tota hujusce tractatus materia continetur sub duplici Decalogi præcepto, septimo scilicet et decimo : « Non furtum facies.. Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam, nom bovem, non assinum, nec omnia quæ illius sunt.»[1]

Septimo autem præcepto, formaliter negativo, nomine furti late sumpti, prohibetur omnis injuria, seu injusta læsio vel damnificatio proximi in bonis temporalibus fortunæ : et ex consequenti, eodem præcepto, quatenus virtualiter et implicite affirmativum est, præcipitur cuivis jus suum quoad bona temporalia tribuendum esse. Ad idem sane præceptum ad eamdemque virtutem spectat et prohibere, ne alterius jus lædatur per injuriam, ac præcipue obligare ut alteri cuivis jus suum tribuatur per restitutionem aliosque modos. — Ut autem septimo præcepto actus externus, ita decimo actus internus proximo in bonis fortunæ injuriosus prohibetur. Eo enim prohibetur omnis appetitus inordinatus et injustus bonorum fortunæ proximi. Quare contra decimum hoc præceptum peccant non solum invidi, verum etiam avari, qui nimia aviditate divitias expetunt, et modis injustis opes augere concupiscunt. — Utrumque hoc præceptum igitur virtutem respicit justitiæ[2].

2. NOMEN HUJUS TRACTATUS. — Cum jus omnium obligationum quas justitia inponit sit fundamentum, tractatus de justitia vocatur de jure et justitia[3].

3. MOMENTUM HUJUS TRACTATUS. — Materia hujus tractatus inter præcipuas Theologiæ Moralis partes merito adnu-

1. Exodi, XX, 15, 17.
2. Bucc. I, n. 832; Marc. I, n. 838.
3. Timoth. II, p. 194.

meratur, tum propter **amplitudinem materiæ**, quæ omnia jura et officia complectitur quibus humanæ societatis membra invicem devinciuntur ; tum propter **difficultatem quæstionum**, quæ attingunt hanc materiam valde implicatam et ideo explicatu atque applicatu perdifficilem ; tum propter **frequentiam casuum**, qui confessario solvendi occurrunt sive in confessionibus sive in consultationibus. — Quam difficultatem augent jura civilia, quippe quæ nostra ætate diversis in regionibus diversa sunt ; quamobrem, ut lectorum utilitatem procuremus, in decursu tractatus exponemus diversas præscriptiones legis civilis vigentis in Provincia Quebecensi, et in duplici appendice dispositiones legis civilis vigentis tum in Anglia tum in Statibus Federatis [1].

Ideo studiosum lectorem rogamus ut illi tractatui attende studeat. Nisi enim quis has materias non leviter, sed mature et attente legerit ac perfecte possiderit, pœnitentes multis injustitiis, seque variis peccatis ac restitutionibus exponet. Faxit Deus ut cum fructu has materias tractare possimus [2].

4. DIVISIO HUJUS TRACTATUS. — Hic tractatus dividitur in tres partes : 1° de natura justitiæ et juris ; 2° de læsione justitiæ, seu de injuria ; 3° de reparatione justitiæ seu de restitutione.

PRIMA PARS

DE JUSTITIÆ ET JURIS NATURA

Hæc prima pars subdividitur in duo capita : 1o de justitia et jure in genere ; 2° de præcipuis juris speciebus.

CAPUT I

DE JUSTITIA ET JURE IN GENERE

Sub hoc capite duo veniunt consideranda : 1° de justitia in genere ; 2° de jure in genere : undo duo habentur articuli.

1. Morino, I, p. 349 ; Gury, I. p. 374 ; Ferreres, I, p. 380 ; Ærtnys, I, n. 239.
2. Timoth., II, p. 192.

Articulus I

De notione generali justitiæ

5. DEFINITIO. — **Quoad etymologiam vocis,** justitiæ nomen a **justo** derivatum videtur. **Justum** autem dicitur, quod est adæquatum et commensum cum sua regula : unde **justitia** in genere vocatur ea animi affectio, quæ efficit hanc adæquationem et commensionem [1].

Quoad rem, triplici sensu sumitur justitia : latissimo scilicet seu generalissimo, lato seu magis proprio, et stricto [2].

Sensu latissimo seu generalissimo, justitia dicit quamdam adæquationem cum alio : « Dicuntur enim vulgariter, ait S. Thomas [3], ea quæ adæquantur **justari.**» Quare dici solet : justa mensura, justum pretium, justa petitio. Hinc nomine justitiæ aliquando decoratur *A*) **caritas** a S. Augustino : quia, cum sit plenitudo legis, affert secum adæquationem cum tota lege ; — *B*) **gratia sanctificans,** juxta illud Apostoli [4] : « Corde creditur ad justitiam », quia gratia reddit hominem aptum ad se conformandum legi et voluntati divinæ ; — *C*) **collectio omnium virtutum,** quia reddit voluntatem nostram legi divinæ adæquatam : quo sensu dicitur [5] : « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam » ; hinc etiam S. Joseph dicitur [6] « justus », quia videlicet omnibus virtutibus præditus erat;—*D*) **quilibet virtutis actus,** juxta illud [7] : « Attendite ne justitiam vestram faciatis coram homnibus ; » aut **virtutis habitus,** juxta illud [8] : « Nisi abundaverit justitia vestra plus quam scribarum et pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.» — Unde, quoties in Scriptura vel apud Patres vox illa invenitur, sensus ex contextu definiri debet.

Sensu lato seu magis proprio, justitia sumitur pro virtute inclinante voluntatem ad reddendum alteri debitum suum, qualecumque sit, juxta illud Apostoli [9] : « Reddite ergo omnibus debita : cui tributum, tributum ; cui vertigal, vectigal ; cui

1. Gury, I, n. 517.
2. Haine, II, p. 1.
3. 2. 2., qu. 57, a. 1.
4. Rom. XIII, 10.
5. Matth., v, 6.
6. Matth., I, 19.
7. VI, 1.
8. V. 20.
9. Rom. XIII, 7.

timorem, timorem ; cui honorem, honorem.» Unde justitia sic accepta comprehendit sub se tanquam partes potentiales, non vero formales, omnes eas virtutes quæ respiciunt alterum in ordine ad reddendum ipsi quoddam debitum, uti sunt religio, pietas, obedientia, etc.

Tandem *stricto sensu* sumpta, justitia communiter cum S. Thoma [1] ex Ulpiano definitur : Perpetua et constans voluntas jus suum cuique tribuendi ; aut aliis verbis, modo clariori et formæ consuetæ definitionis magis accommodato, licet haud substantialiter differente ab Ulpiana definitione: **Est virtus moralis cardinalis inclinans voluntatem hominis ad jus suum ad æqualitatem perpetuo et constanter unicuique tribuendum.**

Dicitur : (*a*) **virtus,** scilicet justitia est habitus seu qualitas permanens.

(*b*) **Moralis,** ut distinguatur a virtutibus theologicis, quarum objectum est ipse Deus, et motivum unum e divinis attributis ; objectum vero justitiæ non est Deus, sed aliquid creatum, nempe jus alteri reddendum ; motivum autem non est unum e divinis attributis, sed illa specialis honestas in eo sita quod aliorum jus revereamur.

(*c*) **Cardinalis,** quia una est ex quatuor virtutibus ad quas ceteræ revocantur.

(*d*) **Voluntatem inclinans** : quibus verbis significatur facultas animæ in qua justitia residet ; siquidem justitia est habitus residens non in intellectu vel memoria, sed in voluntate : non enim dicitur aliquis justus, eo quod cognoscat aut recordetur quid sit alteri reddendum, sed tantum quatenus velit illud reddere, Hinc sequitur voluntatem esse subjectum justitiæ, quæ ideo discriminatur a prudentia : siquidem prudentia in intellectu residet, et in quolibet negotio dictat quid rectæ rationi sit conveniens.

(*e*) **Perpetuo et constanter** : quibus verbis designatur quod voluntas debet esse constans tum *ex parte habitus,* qui, quantum de se est, permanenter inhæret, et dirigit non tantum ad tempus, sed semper, ita ut qui semel aut bis, non vero semper et in omni eventu, jus suum alteri reddere vellet, non haberet virtutem justitiæ ; tum *ex parte objecti,* ita ut non tantum circa unam aut alteram materiam, sed circa quæcumque et respectu cujuscumque in affectu parata sit operari juste ; non tamen *ex*

1. 2. 2., q. 58, a. 1.

parte actus, qui perpetuo duret, quod solius divinæ voluntatis proprium est.

(*f*) **Ad jus suum** (objectum materiale), nempe id quod cuique stricta obligatione debetur, seu quod ita ad ipsum pertinet sive ex natura rei sive ex legum dispositione, ut qui illud non reddiderit, non solum moralem quamdam turpitudinem contrahat, ut in aliis debitis, v. gr. caritatis, sed etiam obligationem satisfaciendi, vel restituendi, vel pœnam aliquam proportionatam subeundi.

(*g*) **Unicuique** ; quo significatur *alteri*, nam cum justitia in constituenda æqualitate versetur, habet ex sua natura ut in alterum tendat, dicente S. Thoma[1] : « Nihil enim est sibi aequali sed alteri ». Hinc justitia est virtus ad alterum ; nemo enim proprie loquendo jura habet erga seipsum, sed jura et officia ita coordinantur ut juri, quod alicui homini inest, respondeat officium in alio. Ideoque nemo sibi ipsi justitiam reddit, aut erga se injustitiam committit : et si id quandoque dicitur, est metaphorica locutio. — Ex hoc capite justitia distinguitur a temperantia et a fortitudine, quæ sunt virtutes cardinales, sed subjectum ipsum, non autem alios homines respiciunt. Nam fortitudo appetitum irascibilem moderatur, regit ac firmat secundum præscripta rationis ; temperantia autem appetitum concupiscibilem refrenat ac moderatur quoad voluptates gustus et tactus. — Insuper **inicuique** significat non dari acceptionem personarum ; scilicet tribuendum est jus alterius, cujuscumque sit conditionis, sive superioris, sive inferioris, sive æqualis.

(*h*) **Tribuendum**, sive *positive*, reddendo debitum, sive *negative*, omittendo omnem actum injuriosum.

(*i*) **Ad æqualitatem**, ita ut tantum reddatur quantum debetur : jus enim alterius est mensura rei quæ reddi debet ; v. gr. si centum nummos debeat aliquis, centum reddere debet, neque plus neque minus : si minus reddatur, justitia non servatur, quum aliquod debitum remaneat ; si plus, excessus non ad justitiam, sed ad caritatem vel liberalitatem pertinet.

6. Exinde sequitur quod ad veram perfectamque justitiam requiruntur tria, nempe 1) ut omnino sit ad alterum, 2) ut versetur circa debitum rigorosum, 3) ut reddat ad æqualitatem[2].

1. 2. 2., q. 58, a. 2.
2. Marc, n. 398.

1um deducitur ex (g) unicuique
2um .. .. (f) jus suum
3um .. .. (i) ad æqualitatem.

Requiritur 1) *ut omnino sit ad alterum.* Nam, ut habet S. Thomas [1], « nomen justitiæ æqualitatem importat, ideoque ex sua ratione justitia habet ut sit ad alterum : nihil enim est sibi æquale sed alteri. Et quia ad justitiam pertinet actus humanos rectificare ...... necesse est quod æqualitas ista quam requirit justitia sit diversorum agere potentium. » — Sed alteritas potest esse realis seu physica et duplex quidem : 1*a* qua persona (physica) a persona altera seu distincta existit ; 2*a* qua saltem natura distincta est a natura, ut in persona Christi distinctæ sunt naturæ divina et humana. Insuper alteritas potest esse moralis, qua duo distinguuntur ex morali æstimatione hominum, secundum considerationem rationis, cum fundamento in re. Jamvero ad justitiam perfectam requiritur alteritas tum physica saltem naturæ, tum moralis. — Imprimis requiritur alteritas physica, quia æqualitas, quam requirit justitia, postulat generatim inter creaturas diversitatem personarum, quia actiones sunt suppositorum ; attamen, quia principium adæquatum quo persona agit est natura, adeoque et principium quo persona est subjectum juris est illa ipsa natura rationalis libera, oportet exceptionem ponere, ubi in eadem persona physica est duplex natura distincta, scilicet pro Christo, in quo duplex est principium actionum, adeoque et duplex principium quo persona constituitur subjectum juris, ita ut secundum considerationem rationis duplex persona moralis, subjectum juris, fingi: quod sufficit ad ipsam justitiam proprie dictam. Generaliter itaque loquendo, ex notione justiæ, non requiritur distinctio physica personarum, sed requiritur et sufficit distinctio naturarum. — Præterea oportet huic alteritati physicæ addere alteritatem moralem, ita ut personæ seu naturæ physice distinctæ intelligantur etiam ut personæ morales distinctæ, relate ad bona seu jura de quibus agitur. Potest enim fieri personas esse physice distinctas, ut sunt maritus et uxor, pater et filius, et tamen in ordine ad aliqua determinata jura non constituere nisi unam personam moralem, unum subjectum juris. — Si prior alteritas deficiat, non est locus justitiæ, nisi metaphorice omnino loquendo, ut si quis dicatur justus erga semetipsum. Si autem posterior deficiat, non erit locus justitiæ proprie dictæ, sed tantum virtutibus adnexis, sub genere justitiæ

1. 2. 2., q. 58, a. 2.

contentis, puta pietati, observantiæ, obedientiæ, etc. Quare inter patrem et filium, maritum et uxorem, non est justitia proprie et simpliciter dicta in his nempe quæ debent, qua filius, qua pater, etc. ; quia filius, qua filius, non censetur diversus a patre, sed aliquid patris ; similiter, uxor censetur una caro cum marito, etc. Secus, si tales personæ in aliquo contractu convenirent, tanquam concives et partes distinctæ ; tunc enim status personarum esset aliquid secundarium, et earum conventio solius justitiæ debitum respiceret. Item, si filius patrem occideret, non solum pietatem violaret, sed etiam justitiam, quia pater, tanquam homo consideratus, habet jus ad vitam, sicut cœteri [1].

Requiritur 2) *ut versetur circa debitum rigorosum* seu strictum. Datur enim distinctio inter duplex debitum ; unum appellatur morale seu simplicis honestatis, alterum strictum seu rigorosum. — Prius dicitur id, quod quis solum debet ex honestate virtutis, quin in altero sit potestas illud exigendi, ut est debitum caritatis, misericordiæ, gratitudinis : qui ergo hoc debitum non servat, non lædit jus alterius, sed solum deficit ab honestate virtutis, quam unusquisque in suis actionibus servare debet. — Posterius dicitur illud ad quod reddendum alteri quis lege adstringitur, ex eo quod alter jus ac potestatem habet tale quid exigendi vel obtinendi. Porro justitia, ut patet ex ejus definitione, ordinatur ad reddendum cuique quod suum est seu jus suum. Ideo ad justitiam perfectam requiritur debitum strictum seu rigorosum. Hinc defectu hujus conditionis, a ratione strictæ justitiæ deficiunt fidelitas, gratitudo, liberalitas, etc., quia in his solum est debitum morale [2].

Requiritur 3) ut *debitum hoc reddatur ad æqualitatem*, i. e. tantum, quantum debetur. Hinc qui centum nummos creditori suo debitos solvit, servat æqualitatem, cum hæc summa jus creditoris perfecte adæquet. Ratio est, quia justitia habet medium rei : quod medium requirit æqualitatem. Nam omnis virtus moralis habet medium, quod dicitur mensura, qua ab ea excluditur excessus et defectus. Etenim actus virtutum, ut tales sint, rectæ rationi debent esse conformes ; atqui non essent rectæ rationi conformes, si per excessum vel per defectum a medio rectæ rationis deflecterent ; ergo virtutes consistunt

1. Waffelaert, I, n. 6 ; Marc, I, n. 398.
2. Sporer, II, n. 2 ; Elbel, II, n. 3 ; Noldin, II, n. 240 ; Haine, II, p. 3.

in medio. — Medium autem hoc ex parte objecti est duplex, medium rei et medium rationis. Medium vero rei est mensura, quæ ex natura determinata est et proinde pro omnibus eadem est ; medium autem rationis est mensura, quam ratio prudenti æstimatione, consideratis persona et circumstantiis, determinat, proindeque non pro omnibus eadem, sed in diversis diversa est. Jamvero, licet omnes aliæ virtutes morales habeant medium rationis, quia, quænam materia in his rectæ rationi sit conformis, per rationem secundum qualitatem personæ et circomstantiarum determinandum est, v. gr. quod uni in sumendo cibo conveniens est, id alteri potest esse nimium aut parum ; attamen justitia habet medium rei, quia, quid facere debeat qui justitiam stricte servare intendit, non prudenti æstimatione determinatur, sed a natura jam definitum est, tantum scilicet dare debet, quantum debetur: justitia enim exigit, ut qui debet centum, solvat centum quisquis ille est, dives an pauper, et quisquis ejus creditor est. Ergo requiritur ut servetur æqualitas [1].

7. Ex his possumus determinare **objectum justitiæ** stricte dictæ. Objectum materiale remotum est ipsa res debita ; materiale proximum sunt actiones alteri præstandæ vel omissiones. — Objectum formale quod seu principaliter intentum est æqualitas stabilienda inter debitum unius et creditum alterius, ita ut tantum præstetur, quantum juste exigere possit : unde dicitur justus qui hanc servat, injustus autem qui non servat. Formale quo seu propter quod est ratio debiti seu jus alterius : ideo enim æquale alteri redditur, quia ipsi debetur ; debetur autem, quia ille alter habet jus ad illud. Proinde objectum formale est naturalis honestas, quæ in eo cernitur, quod unicuique adequate reddatur, quod ei debetur [2].

8. DIVISIO. — Licit alii [3] aliter justitiam dividant, nobis

1. Noldin, II, n. 231.
2. Haine, II, n. 4 ; Noldin, I, n. 242.
3. Alii dicunt justitiam dividi prout respicit ordinationem partium inter se, vel partium ad totum, vel totius ad partes ; ideo dantur tres species justiæ : justitia commutativa, legalis et distributiva, prout respiciunt jus essentialiter diversum. Tria enim jura proprie dicta sed specifice diversa sunt ; *a*) jus personæ privatæ erga personam privatam, seu partis erga partem ejusdem communitatis. quod respicit justitia commutativa ; *b*) jus societatis qua talis erga personas privatas seu partes societatis, quod respicit justitia legalis ; *c*) jus personæ privatæ seu partis societatis erga societatem, quod respicit justitia distributiva. Hinc ex triplici hoc jure oritur triplex debitum, quod solvunt tres virtutes justitiæ. (Noldin, II, n. 243; Marc, I, n. 400; Pighi, II, n. 77; Zaninetti, II, n. 746).

Justitia { Particularis seu commutativa / Socialis { Legalis, distributiva, vindicativa }

videtur magis comprehensiva et logica sequens divisio. — Justitia, quatenus inter privatos homines viget, vocatur **particularis** ; prout inter societatem et ejus membra aut vice versa, dicitur **socialis**. — Justitia **particularis** seu commutativa est virtus moralis inclinans privatum ad reddendum alteri privato debitum rigorosum, secundum proportionem arithmeticam, quæ ipsa est æqualitas rei ad rem, v. gr. dati ad acceptum, mercedis ad laborem, rei restituendæ ad sublatam, ita ut nec plus nec minus restituatur, quam quod exigit jus alterius. — Dicitur *commutativa*, quia præcipue versatur circa varios contractus et innumeras commutationes, quæ inter homines fieri solent. — Dicitur etiam *stricta* vel *rigorosa*, quia ipsi, et ipsi soli, tria insunt quæ ad perfectam justitiam requiruntur [1].

Justitia **socialis** ea est qua cives ordinantur ad societatem et societas ordinatur ad cives, ad bonum commune promovendum. Triplex esse potest : legalis, distributiva ac vindicativa [2].

(*a*) **Legalis** ea est quæ singulos cives inclinat ad præstanda ea omnia, quæ communitati debentur in ordine ad bonum commune. — Hæc justitia est tum in principe tum in subdito ; nam uterque ab ea movetur ad juvandam rempublicam, cujus est pars, ex affectu communis bonis. «Est in principe principaliter et quasi architectonice (quia ipse modum præscribit juvandi rempublicam) ; in subditis autem secundario et quasi administrative [3].» Dicitur *legalis*, quia in condendo et servando leges potissimum sita est ; *generalis* etiam, in quantum ad bonum commune ordinat omnes actus quos præcipit [4].

(*b*) **Distributiva** est virtus moralis inclinans eum, qui curam communitatis habet, ad communia bona, onera et munera inter cives distribuenda juxta singulorum merita, vires et facultates ; proindeque dicitur respicere proportionem geometricam, quæ est adæquatio proportionis rerum distribuendarum cum proportione conditionis personarum quibus eæ res distribui debent, ita ut in

Alii distinguunt justitiam in generalem seu legalem, prout ordinat hominem ad bonum commune. et particularem, prout ordinat hominem ad privatos. Hæc autem subdividitur in commutativam, per quam pars comparti quod ejus est reddit, et distributivam, per quam superior communitatis bona communia dispensat, juxta merita singulorum. (Mechlinensis, q. 6 ; Ferraris, IV, p. 635).

Alii quadruplicem justitiam distinguunt : legalem, distributivam, vindicativam et commutativam. (Bulot, I, n. 471 ; Ærtnys, I, n. 242 ; Ferreres, I, n. 518).

1. Tanqueray, II, n. 10 ; Haine, II, p. 5 ; Marc, I, n. 400.
2. Tanqueray, II, n. 10.
3. S. Thomæ, 2. 2., q. 58, a. 6.
4. Zaninetti, II, n. 746.

bonorum communium distributione tanto plus distribuitur uni præ alio, quanto major est dignitas aut præstantius meritum istius præ alio. Hinc v. gr. supposito quod centum nummi distribuendi sunt decem militibus secundum eorum merita, si ille, cujus merita sunt duo, accepturus sit sex nummos, is, cujus merita sunt ut quatuor, debet accipere duodecim. Licet enim sex et duodecim sint inæqualia, attamen proportionem habent : quia sicut sex superant duodecim duabus partibus, pari proportione duo superant quatuor. — Huic opponitur **acceptio personarum**, vi cujus, in distributione bonorum non attenditur ad illam personæ qualitatem, quæ facit eam dignam, sed ad aliquid aliud, puta consanguinitatem, dona, amicitiam aliaque hujusmodi [1].

(*c*) **Vindicativa** est virtus inclinans superiores ad debitas et condignas pœnas in reos inferendas. Quæ quidem justitiæ distributivæ maxime affinis est, sed ab ea distingui videtur in eo quod reparationem ordinis læsi immediate respicit [2].

9. Controvertitur utrum justitia socialis sit species proprie dicta justitiæ, an virtus specialis, analoga quidem justitiæ commutativæ, sed tamen ab ea vere distincta. — Juxta non paucos, justitia socialis vere participat de ratione justitiæ, et est veluti species infima hujus virtutis, quia discrimina sunt potius accidentalia quam essentialia [3]. Sed probabilius sola justitia commutativa perfectam rationem justitiæ attingit. Etenim sola est perfecte ad alterum, quatenus existit inter terminos æquales et ab invicem independentes ; sola fundatur in jure rigoroso seu stricto ; sola æqualitatem arithmeticam servat. Justitia vero socialis, quum inter societatem ejusque membra existat, terminos respicit non omnino distinctos nec independentes ; fundatur non in jure stricto, sed in debito convenientiæ ; servat tandem proportionem geometricam seu æqualitatem proportionatam. Ideoque quandocumque agitur de justitia simpliciter dicta, tunc loquimur de justitia commutativa [4].

10. OBLIGATIO. — *A.* — Justitia **commutativa** obligat sub gravi *per se*, et cum onere restitutionis.

1. Haine, II, p. 5 ; Tanqueray, II, n. 12.
2. Tanqueray, II, n. 12 ; Ferreres, I, n. 518.
3. Vermeersch, n. 21-25.
4. Lugo, disp. 1, n. 47-54; Crolly, I, n. 36-85; Cathrein, Philosophia moralis, n. 142 ; Pothier, disp. II, n. 11-31 ; Tanqueray, II, n. 13.

Probatur. — **1a pars.** — *a*) Nam justitiæ commutativæ proprium est servare cuique jus suum. Atqui juris alieni violatio per se, seu ex genere suo, gravem inordinationem dicit : hac enim violatio, quæ essentialiter consistit in nocumento alteri inferendo, per se seu ex natura sua repugnat caritati, quæ movet ad volendum alterius bonum. Ergo. — *b*) Finis justitiæ gravissimus est, scilicet ut cujuslibet libertas atque independentia et humana activitas conservetur, ut pax et concordia imperturbata maneat. Quare qui justitiam commutativam lædit, huic fini gravissimo resistit et ideo committit peccatum mortale ex genere suo. — *c*). . Eo vel magis, quia legitur apud S. Paulum [1] : « Nolite errare : Neque fornicarii. . . . neque fures. . . . neque rapaces regnum Dei possidebunt.»

Dicitur tamen : *per se* ; quia hac in materia parvitas admittitur, ut omnibus perspicuum est. Nam de facto potest esse levis materia in qua violatur jus alienum [2].

2a pars. — Justitia commutativa exigit, ut detur uniquique quod suum est ; si ergo per læsionem justitiæ commutativæ, aut furto aut damnificatione, aufertur alteri quod suum est, ipsa exigit ut reddatur quod alteri ablatum est ; redditur autem per restitutionem ; ergo obligat ad restitutionem. Unde læsio hæc, si facta sit, perdurat donec fiat restitutio, et ideo lædens peccat servando inæqualitatem, sicut peccavit violando justitiam [3].

II. *B*. — Justitia **socialis** obligat sub gravi *per se*, sed non cum onere restitutionis, nisi *per accidens*.

Probatur. — **1a pars.** — Nam justitiæ socialis læsio gravem inordinationem in societatem inducere nata est ; atqui gravem inordinationem in societatem inducere est gravissimum peccatum, quia est societatis malum ; ergo.

Major constat *a*) ex eo quod justitia legalis, ut ait S. Thomas [4] « est quædam specialis virtus secundum suam essentiam, secundum quod respicit commune bonum, uti proprium objectum » ; unde qui justitiam legalem lædit, communi bono nocet et committit peccatum speciale, quum præcipue pravum suum facinus ad societatis perturbationem dirigit. — *b*) Ex eo quod ad

1. I. Cor., VI, 9, 10.
2. Delama, n. 7 ; Ferreres, I, n. 531 ; Bucceroni, I, n. 837 ; Lehmkuhl I, n. 762.
3. Noldin, I, n. 248.
4. 2. 2., q. 58, a. 6.

justitiam distributivam pertinet, ut communia bona ita inter subditos distribuantur, ut servetur æqualitas proportionis inter distributa bona et meritum dignitatemque eorum quibus conferuntur (idem dicendum est de justitia vindicativa, quæ requirit æqualitatem proportionis inter culpam commissam et pœnam imponendam) ; atqui hanc æqualitatem cum ordinis publici necessarii perturbatione prorsus tollit personarum acceptio, quæ subdito tribuit communia bona non propter causam, quæ illum dignum faciat, sed ob indebitas causas seu ob personam. Hinc acceptio personarum gravissime improbatur a S. Scriptura : legitur enim in Ep. S. Jacobi [1] : « Si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege quasi transgressores.»

Dicitur : *per se* : quia veniale potest esse peccatum ex levitate materiæ, si scilicet bonum distribuendum sit parvi momenti, vel levis tantum sit meritorum differentia inter unum et alium [2].

2a pars. — Ratio est, quia per læsionem justitiæ socialis non tollitur alterius jus strictum, sed minus proprium (debitum convenientiæ), nec quisquam privatur re sua, sicut nec per violationem obedientiæ aut caritatis, sed homo desinit facere id quod ex officio et ex regula rationis præstare tenetur. Hinc peccat transgressor, sed ad nihil amplius tenetur, nisi ad pœnitentiam de peccato per læsionem justitiæ commisso. Ideo ad restitutionem non tenetur civis, qui anno præterito fraudavit tributum, quod ex justitia legali solvendum erat, sicut dives ad restitutionem non tenetur, qui pauperi eleemosynam sub gravi debitam negavit [3].

3a pars. — *Per accidens* tamen etiam justitiæ socialis læsio ad restitutionem obligat, quando scilicet justitia commutativa simul læditur : sæpe enim fit, ut ratione pacti, vel expliciti vel impliciti, obligationes justitiæ socialis etiam ex justitia commutativa servari debeant, ejusque læsiones simul inducant læsionem juris stricti. — Ita simul cum justitia legali læditur justitia commutativa, si superior iniquis legibus et statutis inferat damnum subditis in eorum bonis : subditi enim jus strictum habent exigendi, ne ipsis damnum bonorum suorum inferatur. — Cum justitia distributiva simul læditur justitia commutativa : — *a*) in distribuendis bonis, si superior conferat officia indignis : tunc,

1. II, 9.
2. Delama, n. 8.
3. Lugo, Disp. 1, sect., 3, n. 51 ; Noldin, I, n. 248.

enim violat justitiam commutativam, non quidem erga dignos, qui per se jus strictum ad officia non habent, sed erga societatem, propter pactum implicitum quo se obligavit erga societatem ad procurandum ejus bonum et impediendum ejus malum. Si autem dignis conferat officia, omissis dignioribus, jus strictum non læditur, quia ad aptam, non autem ad optimam, administrationem stricta obligatio adesse censetur. Attamen dando officia dignis, omissis dignioribus, superior lædit justitiam commutativam, si proposuerit concursum specialem et se obligaverit ad dandum officium digniori ex concurrentibus : tunc enim peccat contra justitiam commutativam, si digniorem omittat, propter pactum quo se obligavit ad digniorem ceteris præferendum. Superior vero qui dignitates mere honorificas distribuit sive minus dignis, sive etiam indignis, peccat ob personarum acceptionem, sed non lædit justitiam commutativam, quia neminem jure suo privat. — *b)* In distribuendis oneribus, e. g. imponendis tributis, peccat contra justitiam commutativam superior, quando subditis majus onus imponitur, quam exigit bonum commune secundum eorum facultates : subditi enim jus strictum habent, ne priventur bonis suis, nisi bonum commune secundum mensuram eorum virium id exigat. — Cum justitia vindicativa simul læditur justitia commutativa, tum si deliquentes cum damno communi non puniantur, tum si pœna justo graviore plectantur : judex enim stricta obligatione, propter implicitum practum, tenetur erga societatem punire deliquentes, et erga delinquentes eos non punire ultra condignum [1].

ARTICULUS II

De notione generali juris

12. DEFINITIO. — Jus *lato sensu* varias sortitur acceptationes : sumitur enim : 1) pro **scientia** seu **peritia juris**, quo sensu dicitur studere juri, et juris professores vocantur jurisperiti ; 2) pro ipsa **lege**, quæ est expressio juris : jus naturale et jus positivum ; in hoc sensu jus opponitur facto, et hinc dantur locutiones : quæstio juris, quæstio facti ; ignorantia juris, ignorantia facti ; 3) pro **sententia judicis**, et inde vox judex seu

1. Noldin, I, n. 248 ; Haine, II, p. 7.

jus dicens ; 4) pro **loco in quo jus dicitur**, et hinc locutio : comparere in jure ; 5) pro **eo quod est justum**, sed quod est alteri debitum : et sic dicimur alteri jus suum reddere [1].

Jus autem *sensu proprio* seu *stricto* sumitur vel **active** vel **passive**.

Jus strictum, si **active** sumatur, est facultas legitima et inviolabilis aliquid agendi vel obtinendi in proprium commodum.

Dicitur : 1) **facultas** ; est enim aliqua habitudo, quasi exigentia ad aliquid obtinendum, habendum, retinendum, qua habens uti potest ut illud obtineat, habeat aut retineat ; vel aliis verbis : est prælatio specialis ad rem determinatam aut specialis connexio cum determinata re quadam [2].

2) **Legitima** ; hoc est moralis seu a lege concessa ; non est igitur merum factum, sine ulla relatione ad regulam morum ; — neque potestas mere physica, quæ aliquando juri opponitur ; non enim hic agitur de potestate physica, qua virium materialium obstacula superantur aut valide operatio perficitur, sed de potestate morali quæ sit secundum naturam legesque, ac licite exerceri possit secundum rectæ conscientiæ dictamen. Huc spectant sequentes in Syllabo proscriptæ propositiones : LIX. « Jus in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia facta juris vim habent. » — LXI. « Fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati doctrimentum affert [3]. »

3) **Inviolabilis** : quam nempe ceteris violare aut impedire non licet ; quare hæc potestas moralis in uno infert aliis obligationem recognoscendi eam potestatem, tum theoretice tum practice [4].

4) **Aliquid agendi vel obtinendi** : quibus verbis continetur objectum juris. Concipitur enim jus exerceri posse vel in proprias actiones, et est potestas aliquid agendi, vel in res exteriores, et est potestas aliquid obtinendi : nam hisce duobus : habere et agere, omnis absolvitur hominum facultas et capacitas [5].

5) **In proprium commodum** : est itaque illa habitudo nihil aliud quam connexio moralis (i. e. ex æstimatione rationis in re fundata), quæ existit inter illud quod habetur vel exiguitur seu objectum juris, et illum qui habet vel exigere potest seu subjectum juris ; sed qualis connexio ? Talis connexio qua fiat

1. Haine, II, p. 8 ; Marc, I, n., 720 ; Pighi, II, n. 138.
2. Waffelaert, I, n. 24 ; Lugo, disp. 1, n. 5.
3. Tanquerey, II, n. 7.
4. Pighi, II, n. 139.
5. Delama, n. 4.

ut res, de qua agitur, jam censeri debeat exclusive destinata utilitati et commodo proprio illius, qui hanc connexionem obtinuit. Unde vocatur **jus proprietatis**, quod scilicet fundatur in connexione rei cum proprietario independentur ab aliis hominibus spectato, et vi cuius dici potest de rebus sic connexis : meum, suum, vel tuum. Exinde jus strictum distinguitur tum a **jurisdictione**, quæ est etiam facultas legitima aliquid habendi vel agendi, at non per se in ipsius, qui ea pollet, commodum, sed potius principaliter in aliorum bonum ordinata : « jurisdictio enim, ait S. Thomas [1], non est commissa alicui homini in favorem suum, sed in utilitatem plebis, et gloriam Dei » ; tum a **jure alto**, quod competit societati vel principi super bona subditorum, ut hi e bonis suis conferant id, quod ad bonum publicum exigitur ; unde jus altum nequaquam denotat potestatem qua princeps subditorum res auferre posset, ut ipse illas habeat : nam, ut docet S. Thomas [2], « omnia sunt principum ad gubernandum non ad retinendum sibi aut dandum aliis [3].»

13. Jus strictum, si **passive** sumatur, est id quod alteri rigorose debetur, ita ut alter possit illud tanquam sibi debitum exigere in judicio. Unde jus passivum respondet juri activo, seu. aliquid est debitum alteri, quia alter habet jus activum, facultatem illud exigendi ut sibi debitum. Debet enim lex, sive naturalis sive positiva, simul cum confert alicui jus activum, obligare alios seu iis imponere obligationem jus alterius non lædendi. — Jus itaque et passivum et activum oritur ex lege, non unum ex altero ; sed jus passivum correspondet juri activo, seu debitum rigorosum habetur, si ille cui debetur habeat jus rigorosum activum. — Proinde, quia jus passivum respondet juri activo, præsertim de hoc jure activo in hoc tractatu agimus [4].

14. DIVISIO. — Jus activum strictum *duplici ratione* dividitur : ratione principii et ratione termini.

1) Ratione **principii**, jus est vel *a*) **naturale**, quod in lege naturæ fundatur, ut v. gr. jus vitæ tuendæ contra injustum aggressorem ; vel *b*) **positivum divinum**, quod a lege revelata descendit, ut v. gr. jus absolutionis apud pœnitentem rite

1. Suppl., q. 8, a. 5, ad.
2. Quodlib. XII, a. 24.
3. Waffelaert, I, n. 24 ; Haine, II, p. 9 ; Pighi, II, n. 142.
4. Haine, II, p. 10 ; Waffelaert, I, n. 24 ; Tanqueray, II, n. 16.

dispositum ; vel *c*) **humanum**, quod a lege humana sive ecclesiastica sive civili constituitur ; quare duplex est, **ecclesiasticum**, jus percipiendi decimas, et **civile**, jus possesssoris bonæ fidei retinendi omnes fructus durante bona fide debitos et perceptos [1].

15. 2) Ratione **termini**, aliud est jus **personale** seu **jus ad rem**, aliud jus **reale** seu **jus in re.**

Jus ad rem est illud quod quis habet ut res fiat sua ; aut aliis verbis ; est legitima potestas quam quis habet ut res aliqua fiat sua, Ideo dat actionem non in rem, sed tantum in personam (unde vocatur jus personale) : efficit nempe, ut debitor possit a creditore, per sententiam judicis, cogi ad tradendum vel ipsam rem vel ejus pretium ; non tamen efficit ut res possit ante sententiam occupari. — Jus ad rem autem non est tantum spes boni adipiscendi, sed est titulus seu ratio, quam quis habet ut res quædam fiat sua : hujusmodi est jus legatarii ad legatum sibi relictum et nondum acceptum, et generatim omnis titulus obligationis. — Hinc ille cui hoc jus competit, *a*) rem devinctam tenet solummodo mediante persona obligata, *b*) rem vindicare nequit ab alio detentore, ad cujus manus res forte devenerit, *c*) habet actionem tantum contra personam, quæ se obligavit, ut præstet quod debet, si adhuc possit, aut secus, compenset damna si quæ exinde orta sint. Jus ad rem igitur est via ad jus in re, ut ait Lehmkuhl [2]. — Ut vero jus ad rem acquiratur, sufficit justus titulus : qui titulus, ejusdem juris causa et radix, est vel contractus aut quasi-contractus, vel delictum aut quasi-delictum, vel demum legis auctoritas ; unde de hoc jure potissimum agetur, ubi de restitutione ob damnificationem injustam et de contractibus tractabitur [3].

16. Jus in re est illud quod quis habet in re determinata jam sua ; aut aliis verbis : est legitima potestas quam quis habet in re jam sua : tale est jus dominii proprietatis ; afficit immediate rem ipsam, et idcirco dicitur jus reale. — Unde ad illud constituendum tria requiruntur, duo ex parte objecti juris, et unum ex parte connexionis moralis seu tituli in quo fundatur jus : *a*) primum est, ut res, quæ est objectum juris, actu existat ; evidens enim est illud, quod non existit, non posse hic et nunc

1. Delama, n. 5.
2. I, n. 752.
3. Tanqueray, II, n. 22.

Res semper clamat domino.

alicui devinciri in proprium ejus commodum, proindeque usufructuarius non habet jus reale in fructibus anno sequenti colligendis, quia nondum existunt ; *b*) secundum est, ut res sit in se et in individuo determinata, et ab aliis etiam ejusdem speciei distincta ; sine illa enim determinatione nullum determinatum vinculum habetur cum illa præcise re, ideoque qui aliquem ex quatuor equis emit, non acquirit jus reale in unum, nisi iste secernatur et determinetur ; *c*) tertium est ut res non tantum realiter possideatur, sed ut devinciatur titulo legitimo, vi cujus dicere possit aliquis : hæc res est mea ; titulus autem ille requiritur, quia jus in re supponit jus ad rem : hinc fur non habet jus reale in bonis quæ furto possidet. — Hinc qui hoc jure gaudet, *a*) rem immediate sibi habet obligatam ita ut nemo in exercitio ejus juris illum turbare possit, *b*) servat sibi rem devinctam ad quemcumque detentorem vel possessorem deveniat, et proinde *c*) contra detentorem quemlibet habet actionem realem, quæ directe rem ipsam attingit et vi cujus potest rem suam vindicare ubicumque sit et a quocumque detineatur. Unde multi dicunt jus in re idem esse ac dominium proprietatis, et de hoc jure hic speciatim agendum est [1].

17. Ex hoc jam intelligitur in quo consistit **actio**. Etenim actio est facultas prosequendi in judicio jus suum. — Actio realis (revendication) est ea quæ rem ipsam respicit et eam restitui exigit a quovis possessore ad quem devenerit. — Actio personalis est ea quæ personam respicit et eam ad contractum implendum aut damnum injuste illatum resarciendum cogit. — Res exemplo declaratur : si quis equum emerit et ejus pretium solverit, jus in re habet in eum ita ut possit eum vindicare a quocumque detineatur, ideoque habet actionem realem ; si vero Titius Caio promiserit vendere unum e quatuor equis quos habet, Caius habet quidem jus ad rem et ideo actionem personalem, quatenus a Titio exigere valet ut promissum equum tradat, sed non potest eripere unum ex his quatuor equis ubicumque eum invenerit [2].

18. Proinde jus in re est jus ad rem perfectum per traditionem rei aut saltem ejus determinationem. Jus ad rem vero et jus in re requirunt titulum, qui aliquando est lex civilis : unde hic exsurgit

1. Tanqueray, II, n. 22 ; Mechlinensis, p. 8 ; Marc, I, n. 839 ; Delama, n. 5; Waffelaert, I, n. 43.
2. Waffelaert, I, n. 47 ; Tanqueray, II, n. 22.

quæstio : utrum lex civilis in materia juris obliget in conscientia ante sententiam judicis ? — Distinguere oportet inter leges quæ proprietatem directe respiciunt, seu quæ jura inter cives constituunt atque determinant, cujusmodi v. gr. est lex quæ statuit partem thesauri in alieno fundo inventi ad dominum fundi pertinere ; et leges quæ latæ sunt de actibus quibus proprietas ab uno ad alterum transfertur, seu de contractibus, vel quæ referuntur ad actus juridicos qui sunt actus humani quibus jus aliquod acquiritur vel exstinguitur.

Quoad **priores,** licet aliqui [1] teneant leges civiles non obligare ante sententiam judicis, dicendum est tamen juxta sententiam communem Theologorum leges illas jura determinantes seu proprietatem directe respicientes "ordinarie" ante omnem judicis sententiam in conscientia obligare ex justitia commutativa.

Probatur. — **1a pars,** scilicet hae leges obligant in conscientia ante sententiam judicis. — Nam lex ab auctoritate competenti in bonum commune condita in conscientia obligat. Atqui ita se habent leges jura statuentes. Ergo.

Major eruitur ex natura et fine legis. — Minor autem constat ex eo quod legislator civilis veram et legitinam auctoritatem a Deo habet ad bonum commune procurandum. Hae vero leges sunt conditæ in bonum commune ; nam sine talibus legibus jura manerent incerta et fraudes coerceri non possent : quod esset contra bonum commune. Si autem admitteretur sententia aliorum, sequeretur 1° requiri duplicem promulgationem legis civilis : quod videtur repugnare ; 2° legem civilem sæpe fine suo frustrari, cum sæpe violari posset absque periculo incurrendi pœnam externam, et proinde lex inefficax esset ad bonum commune [2].

1) **2a pars,** scilicet hæ leges obligant ex justitia commutativa. — Etenim agitur de legibus quæ jura determinant. Atqui jura, quæ ad bona fortunæ referuntur, constituunt objectum justitiæ commutativæ. Igitur leges, quæ jura civium de bonis fortunæ statuunt, ex justitia commutativa obligant.

Dicitur tamen : **ordinarie** ; nam excipiuntur duo casus : 1) si qua lex civilis contraria esset legi naturali vel legi ecclesiasticæ in his quæ Ecclesia regit jure proprio, prout sunt fundationes piæ, bona ecclesiastica, etc. ; tunc enim vigente jure superiore, lex civilis vim omnem amittit ; 2) si constat legem quamdam esse

1. Bertagna, De rest. n. 94 ; Piscetta, I, n. 343 ; Zaninetti, I, n. 194.
2. Sweens, n. 353 ; Suarez, l, 3, c. 21, n. 7.

Lex civilis paenalis
Sunt

mere pœnalem, quod deprehendi potest vel ex ipsius argumenti natura, e. gr. ubi lex thesaurum, in fundo alieno ex industria quæsitum, totum tribuit fundi domino (hoc statuitur in pœnam investigationis factæ, inscio domino), vel ex communi virorum timoratorum persuasione, qui talem legem pœnalem habent[1].

Quoad **posteriores**, quidquid sit de antiqua controversia, certum est et ab omnibus hodie admissum, legislatorem etiam civiles posse condere leges, quæ actus juridicos ex se et jure naturali validos plane irritos faciunt, adeo ut ante omnem sententiam judicis nullam pariant obligationem : etenim tales leges non parum conducunt ad fovendum bonum commune, neque apparet cur ipsi legislatori denegaretur facultas quæ, omnibus fatentibus, judici nullitatem declaranti competit. — Nunc si quæritur utrum de facto hujusmodi leges exstent, disputant AA. Quidam jurisperiti et Theologi[2] affirmant ; alii communius negant et volunt actus quos lex irritos vocat, ex ipsa legislatoris intentione, valorem suum naturalem servare, donec nullitas judicio declarata fuerit. Etenim contractus jure naturali validos non sunt habendi nulli, donec de hac nullitate clare constet ; jamvero de hac non clare constat in Juribus recentioribus, ut liquet e defectu claræ determinationis in Codice civili et e controversiis jurisperitorum. — Insuper hi actus ex communi persuasione solum valore civili carent. — Sed post declarationem judicis habendi sunt plane irriti etiam in conscientia : id enim et publicus ordo requirit et legislator merito intendisse censetur.—Practice igitur, licet rem actu juridico informi possessam accipere et retinere, donec legitime repetatur, modo actus fuerit undequaque de jure naturæ validus et licitus.

Sed si bonum commune postulet ut lex, ante omnem sententiam judicis, in conscientia irritet ipso facto, tunc statim irritat. Ex hoc autem principio, ut etiam ante judicis sententiam irritantes habendæ sunt : *a*) leges quibus declaratur nullus actus, quo officio alicui naturali renuntiaretur, v. gr. conventio, qua quis renuntiaret juri ad alimenta ; *b*) irriti etiam sunt contractus de facienda re illicita antequam actu illicitus positus sit ; *c*) plane irriti sunt actus quibus derogatur juri aliorum, etiamsi forte hoc jus per solam legem civilem illis sit concessum, v. gr. nulla est renuntiatio juris facta a minore ad rescindendum contractum quo læditur : nam contra bonum commune foret quod homines

1. Bulot, I, n. 474 ; Noldin, II, n. 355 ; Génicot, I, n. 464.
2. Troplong. n. 7 ; Carrière, (De Contractibus, I, n. 121).

perversi hoc facile medium haberent quo imprudentes adolescentes a beneficio restitutionis excluderent [1].

19. Hinc constat juris civilis notitiam aliquam theologo morali non utilem modo esse, sed et necessariam. Nam multa sunt in Theologia morali, quæ ex juris civilis institutis pendent, neque aliter definiri possunt quam legibus. Quæ necessitas pro animarum rectoribus et confessariis eo magis patet, quod ad ipsos spectet fideles suæ curæ commissos ad bene agendum in foro conscientiæ etiam in rebus civilibus dirigere, et de justo sententiam sæpe proferre. Quapropter in decursu tractatus opportunum visum est exponere dispositiones juris civilis canadensis ; sed addenda erit duplex appendix, una de jure anglico, et altera de jure americano [2].

CAPUT II

De præcipuis juris speciebus

Licet alii [3] aliter dividant jus in re, communius tamen tenetur jus in re non differre a dominio rerum, et ideo de diversis juris speciebus tractandum est loquendo de dominio : quod forsan est conformius regulis logicæ. Quare satis erit hujus dominii exponere 1° naturam et species, 2° objectum, 3° subjectum, 4° modum æquirendi : unde dantur quatuor articuli [4].

Articulus I

De natura et speciebus dominii

20. DEFINITIO. — Dominium, *lato* sensu sumptum, est facultas disponendi de re aliqua vel actione, tanquam sua. — Sic

1. Bulot, I, n. 710 ; Noldin, II, n. 347 ; Génicot, I, n. 594 ; Ferreres, I, n. 516; Ballerini-Palmieri, III, nn. 24-44; Marres, l. 3, n. 21 seqq.; Van Gestel, de Just. et lege civ., p. 172 seqq. ; Lehmkuhl, I, n. 1073 ; Waffelaert, I, n. 352 ; Vermeersch, n. 326 seqq.

2. Delama, n. 6.

3. Alii cum Timotheo (II, n. 206) dividunt jus in re, in jus perfectum seu plenum, et jus imperfectum. Jus in re perfectum est illud quod tum rei tum omnium ejus commodorum proprietatem includit, et istud vocant **dominium**.— Jus in re imperfectum et illud quod non includit nisi unum ex supradictis, nempe proprietatem sine usu, aut usum seu fruitionem sine proprietate, et tunc habetur **usus, ususfructus, servitus, aut possessio.**

4. Marc. I. n. 840.

definitum comprehendit et dominium jurisdictionis, de quo alibi agendum est, et dominium proprietatis, de quo hic agitur [1].

Dominium *stricto sensu* sumptum, vel dominium proprietatis, quod idem est ac jus in re, est **facultas legitima pro arbitrio disponendi de re aliqua tanquam sua, nisi dominus aliunde prohibeatur.**

Dicitur : *a*) **jus seu legitima facultas** : nam dominium est jus strictum eo sensu quo supra explicatum est.

b) **Disponendi,** i. e. possidendi, utendi, vendendi, commutandi, donandi, destruendi, etc. : nam disponere aliquis potest aut de substantia rei, aut de ejus utilitate, aut de utroque.

c) **Pro arbitrio** : dominium enim dat domino facultatem de re sua, prout placuerit, disponendi, quin lædat justitiam ; arbitraria igitur dispositione, v. gr. prodiga donatione aut rei destructione, contra aliquam virtutem, puta liberalitatem vel pietatem, peccare potest dominus, non vero contra justitiam peccat.

d) **De re aliqua** : quod generice accipiendum est, prout comprehendantur res corporeæ et incorporeæ ; datur enim dominium non solum rerum corporalium, ut auri, agri, etc., sed etiam rerum incorporearum, ut famæ, honoris, juris hæreditatis.

e) **Tanquam sua,** ut dominium distinguatur a simplici jure ad rem, quod non dat facultatem disponendi de re, et a potestate curatoris vel procuratoris, qui disponunt de re, non autem tanquam sua.

f) **Nisi aliunde dominus prohibeatur** : variis enim modis impediri dominus potest, quominus de re sua pro arbitrio disponat : 1) **lege civili,** sic minoribus non permittitur rerum suarum alienatio ; 2) **conventione,** ut si quis alicui vendat domum suam hoc pacto, ne convertatur in cauponam, vel si inter venditorem et emptorem pactum intercesserit, ne emptor re utatur nisi post aliquod tempus ; 3) **testatoris voluntate,** ut si quis legato in alium transferat proprietatem prædii hac conditione, ne vendi posset.

21. Hoc vero dominium vocatur **proprietatis** vel **humile** et opponitur dominio **alto,** quod est potestas, quæ auctoritati publicæ competit statuendi de bonis subditorum suorum in utilitatem communem. — Patet hoc dominium altum non esse veri nominis dominium (potestas enim civilis nullum in bona subditorum habet proprie dictum dominium), sed proprie non esse

1. Marc, I, n. 841

nisi jus præscribendi circa bona civium illud quod princeps ad bonum commune expedire judicaverit. Potest igitur princeps dominium ab uno in alium transferre, exercitium domini variis modis restringere, imo subditos jure expropriationis bonis suis privare seu potius cogere ad abdicandum dominium bonorum suorum. — Duplex tamen conditio requiritur, ut suprema potestas hoc suo dominio uti possit : 1*a*, ut adsit causa necessitatis vel magnæ utilitatis publicæ ;2*a*, ut damnum privatis illatum non tantum ex parte, sed quantum fieri potest, perfecte compensetur : id enim postulat æqualitas justitiæ commutativæ propria : sic quando ædes, invito domino emuntur, non sufficit ipsius ædificii pretium solvere, si dominus per illam coactam domicilii mutationem commercio lucrativo privatur [1].

22. DIVISIO. — Dominium humile, de quo solo hic agitur, duplici ratione dividitur.

A) **Ratione subjecti**, aliud est **singulare**, quod uni personæ, aliud **commune**, quod pluribus circa eamdem rem indivisam competit et **condominium** vocari solet.

B) **Ratione perfectionis**, aliud est **perfectum** seu **plenum**, aliud **imperfectum** seu **semiplenum**.

a) Dominium **plenum** seu **perfectum** est illud, quod complectitur omnes dominii partes, seu jura specialia in eo contenta ; videlicet rei proprietas, commodum ex usu et jus percipiendi fructus : huic competit data definitio.

b) **Dominium semiplenum** seu **imperfectum** est illud, quod uno ex præfatis juribus caret. — Aliud est **directum**, seu **nudae proprietatis**, quod solum rei substantiam respicit.—Aliud **utile**, seu **indirectum**, quod, absque rei proprietate, habet vel usum vel usumfructum. Ad hoc pertinet etiam **jus servitutis**, quo res aliena servit rei nostræ. Accedit vero **possessio**, quæ est dominii velut indumentum et signum [2].

Veniunt igitur explicanda : 1° condominium ; 2° dominium plenum ; 3° dominium directum ; 4° ususfructus ; 5° usus ; 6° servitus ; 7° possessio.

1. Noldin, II, n. 348 ; Génicot, I, n. 466 ; Van Gestel, p. 121.
2. Delama, n. 18 ; Marc, I, n. 841.

1° CONDOMINIUM

23. Condominium est duorum vel plurium circa unam eamdemque rem comproprietas ; tunc vero habetur, cum duo vel plures, quin intendant inter se veram societatem inire, unam eamdemque rem tenent indivisam, singuli pro sua quota parte dominium rei illius conservantes. Casus esse possunt : si fratres ætate majores simul conviventes hereditatem paternam teneant indivisam ; si duo unum prædium simul emant ac tenent ; item frequentiores sunt casus muri communis inter duas ædes contiguas, communes aquæ, scalæ etc.

Circa regimen condominii : 1) Spectandæ et servandæ sunt speciales conventiones, de quibus inter comproprietarios conventum fuerit. — 2) Habentur generales dispositiones juris naturalis, quæ ex ipsa notione condominii deducuntur : *a*) omnes comproprietarii participant tum de utilitatibus, tum de oneribus rei communis ; singuli pro sua quota proprietatis ; *b*) singuli jus habent utendi re communi juxta ejus destinationem, sive naturalem, sive consuetudinariam ; dummodo hic usus non obstet pactis conventis, vel utcumque juri alieno præjudicet ; *c*) singuli jus habent exigendi ut alii ad rei communis conservationem et necessarias reparationes concurrant ; *d*) singuli conservant dominium suæ quotæ indivisæ, eamque possunt locare, vel alienare, aut hypothecæ subjicere ; dummodo per hæc non lædatur jus aliorum, nec agatur de jure mere personali [1].

3) Habentur in Codice nostro Civili dispositiones speciales, quas non censemus nobis esse prosequendas singillatim, pro casibus sequentibus : (*a*) si agatur de hereditate inter plures indivisa [2] ; (*b*) si agatur de aqua vel de muro duobus vel pluribus communi [3] ; (*c*) si agatur de domo, cujus alius partem inferiorem habeat, alius superiorem [4].

2° DOMINIUM PLENUM

24. Dominium plenum seu **perfectum**, quod jam definitum fuit, hos effectus habet : *a*) dominus potest, pro arbitrio

1. Pighi, II, n. 208 ; Marres, I, n. 6-8.
2. C. C., a. 689.
3. C. C., aa. 503, 510-520.
4. C. C., a. 521.

suo, absque injustitia, re sua frui, uti et abuti. Ideoque jus romanum definit dominium, « jus utendi et abutendi re sua, quatenus juris ratio patitur.» Jamvero, ut communiter interpretantur jurisperiti, *abuti* hic suam primariam habet significationem consumendi ipsam rei substantiam : quod elucet ex ejus oppositione ad vocem *uti*, quæ juridice sonat usum rei, salva ejusdem substantia. Unde peccat quidem dominus abutendo, e. g. rem prodigando vel sine causa destruendo, sed lædit solam liberalitatem (per excessum), non justitiam commutativam. — *b*) Potest rem suam alienare, seu dominium ejus in alterum transferre, sive in toto, v. gr. eam donando, vendendo, permutando, etc., sive in parte, v. gr. eam locando, oppignorando, servitute onerando, et generatim cedendo jus quodcumque reale in ipsam. — *c*) Potest injustum rei invasorem immediate et illico vi externa repellere.— *d*) Potest rem suam a possessore quocumque, etiam bonæ fidei, per judicem repetere, promovendo in judicio actionem, quam dicunt petitoriam : lex tamen, ob commune bonum, excipit certos casus, ut suo loco videbimus [1].

3° DOMINIUM DIRECTUM seu NUDÆ PROPRIETATIS

25. Dominium directum est illud, quo rei proprietas habetur, absque ejus usufructu.

Dominus directus potest, sicut dominus perfectus, rem suam alienare, vi defendere, in judicio repetere ; sed salvo jure usufructuarii vel usurarii. — Non privatur ordinarie omni rei utilitate : sic lex tribuit ei partem thesauri in suo fundo ab alio inventi ; quosdam proventus, qui inter fructus non recensentur, ut venas metallorum, etc.[2]

4° USUFRUCTUS

26. DEFINITIO. — **Ususfructus** est jus utendi et fruendi re aliena, sicut ipse proprietarius, salva tamen rei substantia.

Dicitur : *a*) **jus utendi et fruendi**, i. e. capiendi ex re omnem, quæ renovari possit, utilitatem ; *b*) **re aliena**, sive mobili, sive immobili ; *c*) **sicut ipse proprietarius**, i. e. cum

1. Marc, I, 842 ; Génicot, I, n. 465 ; Hilarius, II, p. Delama, n. 19.
2. Marc, I, n. 843.

pleno dominio emolumentorum et fructuum, ita ut hos fructus, pro libitu suo, sive consumere sive alienare valeat ; *d*) **salva tamen rei substantia**, tum quoad materiam, tum quoad formam : nam qui habet usumfructum, utitur et fruitur, sed non abutitur ; ideoque non potest rem immutare, etiam in melius.

Ille, cui hoc jus competit, vocatur **usufructuarius** vel **fructuarius**.

Fructus autem est quidquid ex re nasci et renasci potest.— Distinguuntur fructus, 1° **naturales**, qui ex re frugifera vel sponte sua vel parca hominis opera nascuntur, ut herba pratorum, fœtus animalium, etc. ; 2° **industriales**, quos natura hominis industria adjecta, producit, ut segetes, vinum, oleum, etc. ; 3° **civiles**, qui non ex ipsa re proveniunt, sed ex contractu circa hanc rem inito proveniunt, ut pretium locationis annui reditus, pensiones, lucrum ex mutuo perceptum.— Fructus naturales et industriales dicuntur **nascituri vel nati** ; isti autem dicuntur **pendentes**, si rei frugiferæ adhuc adhærent, uti si poma arbori, et frumentum solo ; **separati seu collecti**, si a re frugifera separati sint, uti sylvæ ligna jam secta.— Fructus vero civiles dicuntur **jam debiti**, si dies, qua ex pacto vel ex lege solvendi sunt, advenit ; adhuc **futuri** autem, si talis dies nondum advenit [1].

27. DIVISIO.—Ususfructus, 1° **ratione originis**, est **legalis** vel **conventionalis**, prout lege, v. gr. ususfructus parentum in bona filiorum minorum, vel voluntate hominis, v. gr. donatione, testamento, constituitur.

2° **Ratione perfectionis**, est **proprius** vel **improprius** : prior constituitur in rebus, quæ non consumuntur usu, uti sunt domus, hortus, etc ; posterior vero in rebus, quæ usu consumuntur, uti sunt pecunia, fructus jam collecti, etc., et dicitur improprius, seu quasi-ususfructus, quia servari nequeunt res usu consumptibiles, ac proinde non salvatur earum substantia (ut definitio requirit), sed solum earum valor [2].

28. EFFECTUS. — *A*. Quoad **usumfructuarium**, enascuntur et jura et obligationes.

1) Sequentia habentur **jura**. — Ab *initio* ususfructus, fructuarius jus habet ad fructus naturales et industriales adhuc pendentes, sine onere solvendi pro seminibus, cultura, etc., item ad

1 Marc, I, n. 844 ; Delama, n. 78 ; Tanqueray, II, n. 236.
2. Marc, I, n. 847 ; Zaninetti, II, n. 1406.

fructus civiles, qui deberi tunc incipiunt, quia hi in dies acquiruntur; — jus autem nullum habet ad fructus a fundo vel a re jam separatos, et ad fructus civiles jam debitos sed nondum perceptos [1].

2° *Decurrente* usufructu, fructuarius utitur et fruitur re quasi esset proprietarius, etiamsi res sit fungibilis, ut pecunia, frumentum, liquores, vel usu atteratur, ut linteamen, supellex. Hinc fructuarius (*a*) fructus quoslibet ex re vel occasione rei provenientes facit suos, v. gr. fœnum, fructus arborum, fœtus animalium, proventus piscationis, pretium locationis domus; proinde facit suos fructus tum naturales, tum industriales, tum civiles. Attamen non potest cædere arbores, sed adhibere potest pro usu suo arbores casu avulsas vel fractas; si vero arbores casu avulsæ vel fractæ non sufficiant vel non conveniant, potest cædere arbores quæ sunt necessariæ tum ad reparationes faciendas, tum ad ædificia calefacienda, dummodo observet usum locorum et dominorum consuetudinem. Arbores autem frugiferæ emortuæ aut casu avulsæ pertinent ad fructuarium, cum onere tamen alias substituendi, nisi maxima earum pars sic destructa fuerit. Sed ipse nullum jus habet ad thesaurum forte inventum, durante usufructu, salvo tamen jure quod sibi ut inventori competeret. Quoad vero fodinas, hæc tenenda sunt: gaudet fructuarius fodinis apertis, quæ jam exercebantur initio ususfructus, dummodo exerceantur eodem modo quo incœptum fuit; sed jus non habet in fodinas nondum apertas, nisi ad accipienda ea quæ sunt necessaria ad reparationes ipsarum rerum quæ ad usumfructum pertinent. — (*b*) Gaudet fructuarius juribus servitutis inhærentibus fundo, cujus usumfructum habet, et generatim omnibus juribus, quibus gaudere potest proprietarius. — (*c*) Item gaudet augmento fundi, quod fit per alluvionem, non vero insula sic formata etsi ad fundum pertineat. — (*d*) Tandem cedere potest quovis titulo oneroso vel gratuito exercitium sui juris [2].

3° *In fine* ususfructus, fructuarius jus habet ad fructus naturales et industriales jam separatos, atque ad fructus civiles jam debitos. Sed nullum jus habet ad indemnitatem pro cultura vel pro meliorationibus a se factis, licet valor rei creverit; potest tamen recuperare specula, tabulas depictas, et alia ornamenta

1. C. C. aa. 450, 451.
2. C. C., aa. 647, 455, 456, 461, 460, 459, 458, 457.

a se collocata in fundo, cujus usumfructum habuit, modo omnia in pristinum statum restituat [1].

29. 2) Obligationes. — *A.* **Fructuarius** debet re uti, tanquam bonus paterfamilias, eamque domino reddere in statu supponente et subsequente bonam administrationem.

Proinde *incipiente* usufructu, tenetur ad inventorium mobilium et descriptionem immobilium, præsente vel vocato proprietario ; hac omissa, præsumitur (nisi contrarium probetur) usufructuarium rem iis omnibus præditam recepisse, quæ pro ordinario usufructu ejusdem rei ad usum mediocriter aptæ requiruntur. Imo cautionem præstare debet fruendi more boni patrisfamilias, nisi ex titulo dispensatus sit : pater et mater, qui habent usumfructum legalem in bonis filiorum, et venditor aut donator cum reservatione ususfructus ad cautionem non tenentur [2].

Durante usufructu, fructuarius *a*) tenetur ad reparationes minores seu ordinarias, et etiam ad extraordinarias, si proveniant ex negligentia exequendi ordinarias post incœptum usumfructum (majores aut extraordinariæ sunt reparationes murorum principalium et abscidum, integra substitutio trabum, et instauratio tectorum, aggerum et murorum fulcimenti et ambitus ; aliæ sunt ordinariæ) ; ad onera ordinaria et extraordinaria (a publica auctoritate) rei imposita, uti tributa, vectigalia, etc. ; ad omnes expensas, sine quibus fructus referri non possunt ; ad expensas litis circa fruitionem motæ, et ad ea quæ propter has lites vi sententiæ solvenda sunt.—*b*) Insuper monere tenetur proprietarium, si quis aliquid usurpet de fundo, vel aliter jura proprietarii lædat ; secus, tenetur de omnibus damnis proprietario illatis. — *c*) Tandem fructuarius alicujus animalis, hoc pereunte sine ejus culpa, ad nihil tenetur. Si autem sit fructuarius gregis, hoc omnino pereunte sine ejus culpa, respondere debet tantum de coriis aut eorum valore : si pereat tantum ex parte, tenetur supplere defectum subrogando solum animalia, quæ postea ex hoc grege nata fuerunt [3].

In fine ususfructus, res reddi debet, diverso autem modo pro diversa ejusdem natura. Nam *a*) si res fungibilis sit, fructuarius debet restituere rem in eadem quantitate et qualitate,

1. C. C., aa. 450, 451, 462.
2. C. C., aa. 463, 464.
3. C. C., aa. 468, 469, 471, 475, 476, 477, 478.

vel solvere ejus pretium currens tempore quo cessat ususfructus. — *b*) Si infungibilis sit, sed ex iis quæ solo usu ordinario deteriora fiunt, uti sunt linteamina, suppellectiles, sufficit eam restituere, uti est, cum cessat ususfructus, facto tamen indemni proprietario, si dolo vel culpa fructuarii deterior evaserit. — (*c*) Si in alia re frugifera ususfructus sit constitutus, restitui debet res in eo statu, in quo fructuarius illam recepit, quin jus habeat ad conspensationem pro meliorationibus a se factis [1].

30. *B.* **Proprietarius** *a*) debet ex stricta justitia usumfructum pati et nullo modo nocere potest juribus fructuarii ; *b*) cura reparationum majorum ipsi incumbit ; *c*) solvere debet impensas litis, in qua de rei dominio agitur. — Non tenetur tamen proprietarius nec fructuarius reædificare ædificium quod vetustate aut casu periit [2].

31. CESSATIO. — Ususfructus c[illegible] : *a*) morte naturali vel civili fructuarii, si ususfructu[illegible]am, quia tunc est jus personale et ideo ad hæredes non tr[illegible] elapso tempore statuto ; *c*) consolidatione, cum nempe qualitates fructuarii et proprietarii in eadem persona uniuntur ; *d*) interitu totius rei, super qua ususfructus constitutus fuit ; si solummodo pars rei intereat, ususfructus in reliqua parte servatur ; *e*) non usu per spatium triginta annorum, et per præscriptionem acquisitam a tertia persona. *f*) abusu fructuarii, si nempe bona alienet, vel deteriora faciat, vel in eorum damnum ordinarias reparationes negligat, interveniente tamen in favorem proprietarii sententia judicis, quia nemo sibi jus dicere debet ; *g*) renuntiatione fructuarii, modo non fiat in fraudem creditorum [3].

32. DE USUFRUCTU PAROCHORUM. — Bona, quorum usufructu gaudent parochi, sunt ecclesiastica, et ideo ecclesiasticæ potestati subjiciuntur. Hæc autem bona vel proveniunt a diversis actibus ministerii ecclesiastici et tunc dicuntur **casualia**, vel proveniunt e decimis, supplementis, collectis in ministrorum beneficium factis, aut e fructibus fundi quod ad ecclesiam pertinet. — Priora totaliter pertinent ad eum qui actus, ex quibus pendent, posuit ; ideoque successor nullum ad hæc

1. C. C., aa. 452, 454, 462.
2. C. C., aa, 462, 468, 475, 470.
3. C. C., aa. 479, 486.

jus habet. — Quoad posteriora, **ex lege communi**, clerici translati possunt percipere fructus prioris tituli quousque possessionem novi tituli inierint. — Tempore autem vacationis, hæc bona pertinent ad ecclesiam vacantem ita ut si, solutis debitis et his quæ fuerint necessaria pro deservientibus ministris et aliis oneribus, aliquid supersit, hoc reservandum sit successoribus, nisi alia sit consuetudo : sic enim habetur in cap. Præsenti, 9, de officio Ordinarii, in 6°. — In casu tandem translationis, resignationis vel mortis, in decursu anni, alii volunt dividendos esse fructus ita ut prædecessor jus habeat fructus solum perceptos retinendi ; cœteros vero fructus nondum perceptos pertinere ad successorem vel ad fabricam, si nondum successor possessionem inierit. Alii tamen tenent fructus tunc dividendos esse pro rata parte temporis uniuscujusque possessionis [1].

Ex lege particulari, in nostra dioscesi, quando novus parochus init possessionem initio anni curialis, i. e. prima die mensis octobris, nullum jus habet ad fructus etiam pendentes, qui omnes pertinent ad prædecessorem ; lignum autem, quos provenit e terra fabricæ, pertinet ad novum parochum, qui tenetur compensare expensas secationis et translationis, sed, si illo non indigeat, prædecessor potest illud vendere, et, distractis suis sumptibus, residuum pretii fabricæ remittere debet. — Si plures, decurrente anno curiali, successive obtinent idem beneficiim, unusquisque habet jus ad partem fructuum pro rata parte temporis suæ detentionis. Tenpus autem detentionis computatur de die in diem. Tandem si successor vult participare de fructibus, debet etiam participare de expensis necessariis pro ipsa cultura, sub qua veniunt stercoratio, aratio, occatio, sementis et coactura, non vero alii labores [2].

5° USUS

33. DEFINITIO. — **Usus**, prout hic sumitur, est **jus reale utendi re aliena, salva ejus substantia.**

Dicitur : *a*) **jus**, i. e. jus stricte dictum seu potestas independens et irrevocabilis ; et ita differt ab usu **facti**, qui est actualis usus rei alienæ, revocabilis ad nutum concedentis, qualis v. gr. religiosis conceditur ; — *b*) **reale**, i. e. afficiens rem

1. Craisson, n. 533-535.
2. Cfs. *Discipline*, ad verbum, *Partage*.

ipsam, quæ usui obnoxia est ; — *c)* **utendi**, quæ vox non idem sonat ac hæc altera **frui**: nam **uti** significat ex re illud solum percipere, quod exigit necessitas ; **frui** autem dicit percipere omnia, quæ ex re proveniunt ; — *d)* **salva ejus substantia**, tum quoad materiam, tum quoad formam, quia secus jus proprietarii læderetur : hinc non datur usus rei, quæ primo usu consumitur, quia usus hujusmodi rei semper ususfructus esse reputatur.

Ille cui competit usus, dicitur **usurarius** ; ille vero, ad quem pertinet dominium rei, **proprietarius**.

Ad usum refertur **habitatio**, i. e. jus reale utendi pro sua indigentia parte habitabili alienæ domus [1].

34. ACQUISITIO. — Jus utendi ex lege nostra acquiritur tantum ex voluntate hominis per actus inter vivos aut per actum ultimæ voluntatis. — Attamen lex nostra confert viduæ jus obtinendi omnia sibi necessaria ad sustentationem suam suæque familiæ ex rebus quæ ad communitatem pertinent et jus habitandi domum in qua vivit tempore mortis mariti, durante tempore ipsi concesso ad inventarium conficiendum et ad deliberandum de acceptatione communitatis : hoc tempus autem est spatium trium mensium, quibus adduntur quadraginta dies [2].

35. EFFECTUS.—I.—Quoad **usuarium**, *A*) **jura** determinantur a conventione vel a lege, sed restringuntur ad necessitatem personalem. Proinde *a*) potest usuarius uti re aliena ad illa duntaxat, quæ sibi ejusque familiæ, pro sua conditione, ad usum quotidianum sunt necessaria : in familia autem comprehenduntur etiam filii nati post usum incœptum, etsi usuarius initio usus nondum matrimonium contraxisset, necnon domestici et hospites. — *b*) Nequit vero jus suum aliis cedere aut locare, nisi clare pateat talem ipsi concessam fuisse facultatem.

B) **Obligationes** sunt eædem ac fructuarii ; proinde si omnes fructus consumit usuarius aut integram domum occupat, tenetur sicut usufructuarius ad expensas conservatorias ; sed si partem tantum usurpet vel habitet, pro rata partis usurpatæ aut occupatæ obligatur.

II. — **Proprietarius** jus servat ad omnia emolumenta, quæ

1. Marc, I, n. 848 ; Bulot, I, n. 476 ; Walfelaert, I, n. 76 ; Pighi, II, n. 210 ; Marres, I, n. 441 ; Delama, n. 76.
2. C. C., aa. 488, 1382.

sine damno usurarii ex re percipi possunt, et tenetur ad omnes expensas, quæ usuario non incumbant [1].

36. CESSATIO. — Cessat jus utendi iisdem modis atque ususfructus [2].

6° SERVITUS

37. DEFINITIO.—**Servitus,** generice accepta, **est quædam subjectio, qua res vel persona aliquid pati debet ab alia re vel persona.** — Si persona alii personæ tanquam res subjacet et inservit, habetur **servitus personalis**, in qua erant servi, et de qua hic non agitur sed agendum erit tractando de dominii objecto. — Si res alii personæ, præter proprium dominum, inservit, habetur **servitus mixta**, qualis est usus et ususfructus, et de his duobus jam egimus. — Si demum res rei inservit, habetur **servitus prædialis** seu **realis**, de qua hic sermo est.

Servitus autem realis **passive sumpta** definitur : onus impositum uni prædio in gratiam et utilitatem prædii alterius domini. Huic vero correspondet servitus **active sumpta,** quæ est jus reale, quod quis habet, ut res aliena rei suæ serviat : in hac definitione dicitur rem rei servire, ut indicetur onus et jus a re seu prædio separari non posse, atque cum rei dominio ad novum transferri dominum ; etenim rei dominus hoc onus pati debet, sicut alterius rei dominus hoc jure fruitur. — Proinde ad servitutem realem requiruntur 1° res seu prædia duo, alterum **serviens,** quod servitutis onus patitur ; alterum **dominans,** quod servitutis onere fruitur, nam, uti habet jus romanum, prædium non persona servit ; — 2° ut hæc prædia diversorum sint dominorum, nam si unius et ejusdem sint domini, hic utroque pro libitu frui potest : unde illud principium juris : nemini res sua servit [3].

38. DIVISIO. — Lex civilis nostra dividit servitutes, ratione originis, in **naturales, legales** et **conventionales**, prout oriuntur vel ex dispositione locorum, ut cursus aquæ, vel ex lege,

1. C. C., aa. 487-498.
2. C. C., a. 488.
3. Marres, I, n. 447, 448 ; Waffelaert, I, n. 80 ; Dalama, n. 71 ; Génicot, I, n. 496 ; Marc, I, n. 847.

ut jus prospectus, vel ex facto hominis, v. gr. per contractum aut testamentum. — Sed stricte et proprie loquendo servitutes tantum conventionales sunt quibus convenit definitio supra data ; aliæ, nempe naturales et legales, sunt potius jura et obligationes pro universis omnium prædiorum dominis, quibus mutuum jus dominii in vicinorum gratiam coarctatur, et proinde a theologis et jurisperitis dicuntur leges restrictivæ exercitii juris. Re quidem vera, possunt facile distingui hæc obligationes et jura a veris servitutibus, si attendatur ad tria sequentia discrimina ex natura rerum oriunda : *a*) servitutes respiciunt quædam tantum prædia pro quibus constitutæ sunt, et continent onus pro uno, favorem pro altero : hae vero leges respiciunt omnia prædia, dummodo vicina sint, et mutuum utriusque onus et favorem comprehendunt ; — *b*) servitutes, quia jus commune limitant, titulo positivo debent acquiri et probari ; jura vero et obligationes ex legibus hujusmodi restrictivis jus commune constituunt et propterea vigere reputantur donec contrarium probetur ; — *c*) in servitute prædium serviens tantum pati debet ; istæ vero leges nonnunquam obligationem aliquid faciendi imponunt [1].

Ideo imprimis agendum est tantum de servitute proprie dicta seu conventionali, et sub fine aliquid addendum erit de servitutibus improprie dictis.

Servitus autem proprie dicta dividitur *a*) **ratione modi, in continuam**, si durare potest absque facto hominis, uti est servitus aquæductus, et in **non continuam**, si sine hominis facto exerceri nequit, uti jus hauriendi aquam, transeundi per agrum, etc. ; *b*) **ratione signi**, in **apparentem**, quæ signo permanente manifestatur, ut servitus fenestræ, et in **non apparentem**, quæ signo externo caret, ut esset prohibitio extollendi altius ædificium, et generatim servitutes negativæ ; *c*) **ratione objecti**, in **urbanam** et **rusticam**, prout vergit in utilitatem ædificii aut fundi [2].

39. ACQUISITIO. — In nostro jure, servitus proprie dicta acquiritur per titulum quemdam aut per destinationem patrisfamiliæ ; numquam vero per prescriptionem, etiam immemorialem. — Acquiritur autem per titulum, quando enascitur vel

1. Marres, I, n. 459 ; Waffelaert, I, n. 85 ; Migneault, II, p. 11.
2. Marc, I, n. 847 ; Delama, n. 72 ; Pighi, II, n. 213 ; C. C., aa. 546-548.

Sunt restrictiones jurium.

ex contractu sive gratuito sive oneroso, vel ex testamento. Hujus vero tituli locum tenet aliquando patrisfamiliæ destinatio, quæ est dispositio et ordinatio a domino duorum prædiorum aut unius prædii facta, juxta quam unum ex duobus prædiis aut una pars prædii subditur usui et utilitati alterius. Porro hæc destinatio debet probari per scriptum, quo servitutis natura, amplitudo et situs designentur [1].

40. EFFECTUS. — **Jura et obligationes** servitutum hæc a lege nostra statuuntur. — 1° Jus servitutis comprehendit omnia pro ejus usu necessaria : sic servitus hauriendi aquam ex fonte alieno includit jus transitus per fundum alienum. — 2° Qui jure servitutis utitur, opera necessaria pro ejus usu [illegible] servatione implere debet, propriis tamen suis expensis, nisi aliter statutum fuerit in titulo. — 3° Cum servitus sit indivisibilis quatenus jus rei inhærens, diviso prædio dominante, servitus cuilibet portioni debetur, ita tamen ut prædium serviens non magis gravetur : sic si agitur de jure transitus, singuli proprietarii fundi dominantis divisi eadem via uti debent. — 4° Dominus fundi servientis nihil facere potest, quod usum servitutis diminuat, vel eum magis incommodum reddat ; et ideo mutare nequit statum fundi, nec locum servituti addictum ; sed si prior locus ipsi onerosior factus sit, vel ei impediat opera, reparationes vel meliorationes, præstare potest alium locum æque commodum, quem proprietarius fundi dominantis recusare nequit. — 5° Tandem possessor rei dominantis potest juxta titulum exercere jus suum ; sed nihil præstare potest, ex quo onus prædii servientis gravius evadat [2].

41. CESSATIO. — Exstinguuntur servitutes : 1° elapso tempore statuto ; 2° renuntiatione expressa vel tacita habentis jus servitutis ; 3° consolidatione, qua dominus prædii dominanti fit simul dominus prædii servientis aut vice versa ; 4° si res non amplius servire valeat, v. gr. si fons, ex quo haurire quis poterat, exiccetur ; si tamen res ad pristinum statum redeat, servitus semper reviviscit, etiamsi tempus ad præscribendum jam elapsum fuerit ; 5° præscriptione seu non-usu per triginta annos [3].

1. C. C., aa. 549-551.
2. C. C., aa. 552-558.
3. C. C., aa. 559-566.

Read at least the jus Anglicanum –

42. Servitutes vero improprie dictæ sunt illæ quæ in codice nostro vocantur servitutes naturales et legales.

A. — Servitutes autem **naturales** respiciunt *a*) aquas, *b*) terminationem vicinorum prædiorum, *c*) sæpimentum.

Quoad **aquas**, prædium inferius debet recipere aquas e prædio superiori naturaliter decurrentes absque ullo hominis interventu. Proinde proprietarius inferioris prædii non potest adstruere aggerem, quo aquæ prohibeantur quominus a fundo superiori in suum defluant ; proprietarius autem fundi superioris nihil facere potest, quod inferioris onus aggravet. — Dominus autem, qui in suo prædio habet **fontem** aquæ, in eam jus perfectum habet : ideoque potest aut aquam in suo prædio retinere, aut permittere ut in prædium inferius fluat. — Dominus vero, cujus prœdium limitatur per rivum non navigabilem, potest uti aqua hujus rivi, quin tamen possint alios accolas eodem usu privare ; dominus autem prædii, per quod transit rivus, potest pro libitu in toto suo territorio uti aqua hujus rivi, cum tamen onere illam restituendi cursui naturali in termino prædii. In utroque casu non licet domino exhaurire partem notabilem hujus aquæ, nec illam polluere, nec ei substantias nocentes commiscere. — Insuper in omni casu, etiamsi flumen sit navigabile, sive rivus aut flumen prædium limitat, sive per illud transeat, dominus prædii habet jus ædificandi pistrina aut fabricas et constituendi cataractas, canalia, muros, aggeres et alia opera ad pistrinorum aut fabricarum usum necessaria, sed cum onere compensandi damna forsan aliis illata, nisi damnum proveniat ex casu fortuito, i. e. ex eventu improviso causato per causam majorem, cui resistere impossibile sit [1].

Terminatio est actus quo domini duo indicant per appositionem signorum visibilium et permanentium, quæ dicuntur termini, limites suorum prædiorum vicinorum. — Unusquisque dominorum, qui prædia confinia habent, potest exigere terminationem, quæ fit impensis utriusque, licet prædia sint inæqualis amplitudinis. Attamen sumptus mensurationis, quando hæc fit debent dividi juxta amplitudinem prædiorum, quia quo extensius est prædium, eo major est labor mensurationis. — Impensæ vero litis habitæ occasione terminationis debent totaliter solvi ab eo qui causa cadit [2].

1. C. C., aa. 501-503 ; S. R. B. C., aa. 5535, 5536.
2. C. C. a. 502 ; C. P., aa. 1059 et seqq.

(unless you know the law well) out give no advice – ...

Quilibet proprietarius habet jus exigendi a vicino domino ut inter confinia prædia **sæpimentum** constituatur impensis utriusque [1].

43. *B.* — Servitutes **legales** aliæ respiciunt utilitatem publicam, aliæ commodum privatum.

Priores respiciunt viam ripariam secus flumina navigabilia, confectionem et reparationem viarum et aliorum operum publicæ utilitatis : hæc omnia per leges aut statuta perticularia determinantur [2].

Posteriores versantur circa *a*) muros, sæpes et fossas medias, *b*) diversa unius domus tabulata quæ ad diversos dominos pertinent, *c*) casus in quibus antemurale ædificari debet, *d*) jus luminis et prospectus, *e*) jus stillicidii, et *f*) jus itineris.

a) Medius censetur **murus**, qui interest duobus ædificiis, aut duabus areis, aut duobus hortis seu prædiis, aut areæ et horto ; e contra murus, qui interest ædificio et prædio, areæ aut horto, censetur pertinere ad dominum ædificii. — Reparatio et reædificatio muri medii fiunt co-proprietariorum sumptibus. Quando habetur murus medius, unusquisque co-proprietarius potest juxta illum ponere ædificium, ei inserere tigna et illum altius tollere : qui vero murum medium extollit, sumptus elationis ejusdemque conservationis et indemnitatem pro inædificatione solvere debet. — Sed co-proprietariius januam aut fenestram in medio muro aperire non potest absque licentia alterius [3].

Sæpes quæ existit inter duo prædia, censetur media, nisi unum tantum prædium sit circummunitum, aut ab uno domino habeatur titulus vel possessio per triginta annos. — Sæpes autem media sumptibus utriusque proprietarii conservari debet. — Arbores vero, quæ in sæpe media existunt, sunt etiam mediæ et pertinent ad utrumque dominum ita ut uterque habeat jus ad dimidiam partem fructuum et ligni quando cæduntur. — Attamen quia hoc arbores nocivæ esse possunt seminibus, unusquisque dominorum exigere potest ut cædantur.

Arbores autem, quæ habentur in limitibus prædiorum quin adsit sæpes, pertinent ad dominos prædiorum juxta partem trunci, quæ habetur in uniuscujusque prædio.

1. C. C., a. 505.
2. C. C., a. 507.
3. C. C., aa. 510-515.

Arbores vero, quæ in prædio quodam existunt, debent a vicino prædio separari distantia statuta a legibus particularibus aut consuetudine communiter recepta ; deficiente autem utroque, distantia hæc debet determinari juxta naturam et positionem arborum, ita ut prædio vicino nocere non possint. Proinde dominus alicujus prædii potest exigere ut destruantur arbores, quæ in vicino prædio contra hanc regulam habentur. — Si tamen arbores a vicino prædio distant distantia statuta, dominus prædii vicini potest dominum arborum cogere ut cædat ramos qui attingunt prædium suum ; si autem radices harum arborum ingrediuntur prædium vicinum, potest dominus hujus prædii eas cædere.

Tandem quilibet dominus alicujus prædii, quod seminibus repletur, exigere potest ut arbores omnes, præter felices arbores, acera et platanos, existentes in vicino prædio non extricato cædantur per triginta pedes in latitudinem et in tota longitudine hujusce prædii [1].

Fossa inter duo prœdia existens censetur media et debet servari sumptibus dominorum prædiorum. Insuper alteruter dominorum potest alium cogere ut participet ad mediam fossam fodendam, reparandam aut immunditiis liberandam [2].

b) Quando **domus quædam** ad plures dominos quoad diversa **tabulata** pertinet, si tituli proprietatis non determinant ea quæ reparationes et reædificationem respiciunt, hæc tenenda sunt : muri et tectum reficienda sunt sumptibus omnium dominorum juxta valorem uniuscujusque tabulati ; insuper unusquisque dominus debet pavimentum sui tabulati, et gradus ad illud ducentes ponere [3].

c) Qui vult juxta murum medium aut vicinum fodere puteum, debet pedale **antemurale** ædificare ; qui vero vult juxta talem murum latrinas habere, antemurale quindecim unciis crassum ponere debet, et hoc autemurale crassum vinginti et una unciis esse debet, si puteus habeatur oppositus. — Attamen si puteus et latrinæ a muro medio aut vicino distant distantia statuta a legibus particularibus vel consuetudine, aut, his deficientibus, tripedanea distantia, non requiritur autemurale. — Qui juxta murum medium aut vicinum vult fumarium aut caminum aut

1. C. C., aa. 527-531.
2. C. C., aa. 523, 526 ; C. M., aa. 420-424.
3. C. C., a. 521.

stabulum ædificare, vel sal aut aliquam rodentem materiam ponere, vel solum extollere aut terram novam asportare, debet autemurale aut aliquod aliud opus ædificare juxta statuta particularia aut consuetudinem vel, his deficientibus, juxta sententiam judicialem pro singulis casibus obtinendam.

Tandem qui vult furnum aut fornacem ædificare, debet inter ea et murum medium aut vicinum spatium sex unciarum relinquere .[1]

d) Quoad **jus luminis et propectus**, hæc tenenda sunt : si agatur de muro medio, co-proprietarius non potest absque alterius consensu ullam fenestram in illo aperire ; si agatur de muro non medio, dominus ejus potest in eo fenestram aperire. Sed si murus non medius adjaceat prædium vicinum, fenestra debet habere gypsomunitum replum, esse cancellata, et distare a pavimento distantia novem pedum in tabulato quod est in plano et distantia septem pedum in aliis tabulatis. Ut vero habeantur fenestræ liberæ aperturæ, requiritur ut murus distet a prædio vicino distantia sex pedum, si prospectus est rectus, et distantia duorum pedum, si propectus est obliquus [2].

e) Nullum **jus stillicidii** agnoscitur pro uno prædio contra aliud [3].

f) Dominus prædii ita inserti agris alienis ut ad viam publicam nullus habeatur aditus, habet **jus ad transitum** per agros vicinos, diverso tamen modo pro diversa origine inclusionis. Si hæc facta fuerit ex casu quodam, v. gr. lapsu terrarum, transitus non debetur nisi soluta indemnitate, et generatim habetur per breviorem viam. Si vero hæc facta fuerit venditione, divisione hæreditatis, aut testamento, venditor, aut co-participans vel co-hæres cujus prœdium breviorem viam præbet, tenetur absque indemnitate transitum præstare. — Quandocumque autem transitus cessat esse necessarius, potest supprimi et indemnitas soluta restitui debet [4].

44. Quæ legislator hac in re pro suo officio ad mutuam civium pacem sapienter constituit ab omnibus etiam in conscientia servanda sunt. — Lites, in quibus de hisce juribus et obligationibus coram judice agitur, plerumque intricatæ et obscuræ

1. C. C., a. 532.
2. C. C., a. 534.
3. C. C., a. 539.
4. C. C., aa. 540-544.

esse solent, et proinde facilem ansam præbent familiarum ruinæ aut inexpiabili civium odio. Parochus igitur, ut officio suo non desit, data occasione omnes moneat, ut juris regulas, quantum fieri potest, servent ; speciatim vero litigantes, ut in re adeo incerta potius juri suo aliquatenus cedant, quam fortunam et concordiam certo ruinæ periculo exponant. (Marres, I, n. 460).

7° POSSESSIO

45. Definitio. — *Sensu latiori*, possessio est omnis detentio rei ; *sensu autem stricto*, possessio est **detentio rei, quam nihil possideri prohibet, cum animo eam habendi ut suam** [2] vel aliis verbis : **est detentio rei, corporis, animi jurisque adminiculo.**

Dicitur : *a)* **detentio**, quæ supponit rei apprehensionem : possessio enim inchoatur per apprehensionem, qua quis rem occupat, et detentione possessio continuatur. Quod ad jura attinet, apprehensio ordinarie in acceptatione et detentio in exercitio consistit. — *b)* **Rei,** non solum corporeæ, ut agri, domus, pecuniæ, sed etiam incorporeæ, ut census, beneficii, servitutis et similium jurium : hæc tamen improprie possideri vel quasi-possideri dicuntur. — *c)* **Corporis adminiculo** : quia non incipit, nec est possessio, nisi interveniat actus corporeus, quo vel pede, vel manu, vel oculis, vel alio simili modo apprehendatur res in se, vel in alio quo censeatur contineri. Modus autem apprehensionis est diversus pro diversa rerum natura : si res sit nullius, ad eam acquirendam requiritur vera et realis apprehensio ; si res sit alicujus qui eam alteri tradit, sufficit apprehensio ficta, ut si alteri tradatur clavis domus ; si sola legis dispositione acquiratur, sufficit apprehensio legis, ut si hæres nesciens hæreditatem acquirat ; si tandem res sit incorporea, apprehensio habetur ipso usu vel juris exercitio, aut servatis formis a lege præscriptis. — *d)* **Animi adminiculo,** i. e., cum voluntate eam ut suam detinendi ; quia res, ut possideatur, debet apprehendi animo illam habendi ut suam, et retineri persuasione quod sit sua : hinc qui jure vicinitatis vel familiaritatis vel meræ tolerantiæ vicini fundum ingreditur et ex vicini puteo aquam attingit, possidere non intelligitur ; item, depositarius proprie non possidet depositum. — *e)* **Juris adminiculo,**

i. e., jure non resistente neque impediente ; quia ad possessionem requiritur non ut lex positive approbet, sed ut lex non resistat, declarando aliquam rem esse commercio humano subductam vel aliquam personam hujus rei acquirendæ inhabilem esse : hinc detentio rei sacræ a laico, rei publicæ a privato, ne possessio quidem facti dici potest, quia lex eos incapaces reddit talis possessionis ; e contra, detentio rei furtivæ profanæ penes furem est vera possessio, licet injusta, quia lex non impedit, quominus detentio talis rei sufficiat ad possessionem. — Tria igitur ad possessionem habendam requiruntur : detentio rei, vel, si agitur de quodam jure, usus rei ; animus eam sibi habendi ; et permissio legis, quæ possessionem etiamsi non quidem approbet, saltem non prohibet.

Exinde patet possessionem differre tum a **detentione**, qua quis rem in sua potestate vel tutela alieno nomine tenet, tum a **dominio**, quod consistit in jure quo res est domini, dum possessio est factum quo res detinetur [1].

3. DIVISIO. — *a*) Ratione **tituli** dividitur possessio in **legitimam**, quatenus inchoatur cum titulo, qui per se dominium transferre potest, ut est donatio, emptio, etc. ; vel in **illegitimam**, quatenus caret titulo, qui possit transferre dominium, ut possessio ex furto.

b) Ratione **fidei** possessoris, possessio est **bonæ fidei, dubiæ fidei** vel **malæ fidei**. — Possessio bonæ fidei habetur, si possessor invincibiliter ignorat rem non esse suam ; dubiæ fidei, si possessor vel initio vel decursu possessionis dubitat num res sit sua ; malæ fidei, si possessor scit rem, quam possidet, esse alienam.

c) Ratione **perfectionis**, dividitur possessio in **naturalem, civilem** et **mixtam**. — Naturalis ea est, qua quis corpore simul et animo rem occupat sciens vel dubitans se dominum non esse. — Civilis autem ea est, quæ corporis adminiculo inchoata, solius animi adminiculo retinetur : sic possidet res suas, qui ab eis abest, nec a jure possessionis per alium dejicitur. — Mixta vero habetur, quando quis corporis et animi adminiculo rem actualiter ita possidet, ut nullus alius ejusdem rei possessionem civilem retineat : hæc est igitur perfectissima possessio.

1. Noldin, II, n. 360 ; Bucceroni, I, n. 855 ; Zaninetti, II, n. 1039 ; Delama, n. 13.

Possessio
Rat. tituli — Legitimam / Illegitimam
Rat. fidei — bonae fidei / dubiae fidei / malae fidei
Rat perfectionis — naturalis / civilis / mixta

47. ACQUISITO. — Acquiritur possessio *a*) **apprehensione vera,** quæ fit vel manibus, e. g. ad rem mobilem manus injiciendo, vel pedibus insistendo scilicet in fundo quem velut nostrum habere contendimus ; *b*) **apprehensione ficta,** quæ perficitur actu qui ex fictione juris apprehensioni veræ æquivalet, v. gr. traditione clavium vel scripturæ ; *c*) **dispositione legis,** quæ aliquando tribuit possessionis commoda absque ulla rei apprehensione [1].

48. EFFECTUS. — Quælibet possessio fundat obligationes et privilegia: de **obligationibus** autem tractabimus in III parte, ubi agetur de restitutione. — Omnia vero jura possessionis sunt quædam privilegia, tum quia ipsum factum possessionis, si bonæ fidei est, fundat præsumptionem juris, scilicet cum possessione conjunctum esse etiam jus in rem possessam, tum quia hæc privilegia conducunt ad tranquillitatem publicam civiumque excitant dilengentiam in rebus suis custodiendis. — *a*) **Possessioni autem bonæ fidei** sequentia privilegia tum ex lege naturali tum ex lege civili competunt : 1) Possessio meliorem facit conditionem illius qui possidet, juxta axioma : in dubio, melior est conditio possidentis : nam possessio est ordinarium signum juris et qui possidet, rem suam ordinarie possidet ; insuper nemo præsumitur malus, ideoque nemo præsumitur possessor injustus, nisi probetur. — 2) Ille qui possidet, non potest in sua possessione turbari nisi legitima auctoritate. — 3) Possessio parit in judicio præsumptionem dominii : unde possessor non tenetur probare rem esse suam, sed in partem adversam contrarium probandi onus rejicitur 4) Possessor suos facit omnes fructus ex re possessa perceptos. — 5) Possessor durante lite rem potest asservare, eam defendere et ut suam tueri. — 6) Possessio tandem præscriptioni locum dat [2]. — *b*) **Possessioni autem malæ fidei** competit tantum jus repellendi alterum, cui deest certa ratio rem pro sua vindicandi, proindeque apud possessorem malæ fidei habetur jus et actio possessionis retinendæ, si violetur ab altero non domino, aut recuperandæ si illa fuerit spoliatus a non-domino [3].

1. Marc, I, n. 849.
2. Noldin, II, n. 362 ; Timothæus, II, n. 215
3. Vermeersch, n. 266 ; Waffelaert, I, n. 61 ; Marres, I, n. 398.

Nihil addendum est de possessione **dubiæ fidei**, quia in jure civili dubiæ fidei non fit mentio : bona enim fides præsumitur ; mala est probanda ; sed dubia probatio nihil efficit [1].

49. AMISSIO. — Possessio amittitur : 1) facto nostro, v. gr., si rem abjiciamus ; 2) facto alieno, si nempe res ab alio occupata vel adempta fuit, etiam nobis insciis ; 3) casu, v. gr. si in incendio periit, aut in mare decidit, ita ut recuperari nequeat ; 4) si res extra commercium sit facta ; 5) dispositione legis ; sic lex statuit, ut possessio quorumdam animalium ob fugam amittatur [2].

Articulus II

De objecto dominii

50. DE IPSO OBJECTO. — **Objectum dominii est id, cujus homo potest esse dominus** ; aut **est id de quo quisque jure exclusivo uti et disponere potest.**

Res autem, quæ hominis dominio subsunt, aliæ sunt **internæ**, aliæ **externæ**, aliæ **mixtæ**. — **Internæ** recensentur hominis vita, potentiæ, membra et actiones ; **externæ** sunt omnes res sublunares : hae primarium dominii humani objectum constituunt ; **mixtæ** sunt fama et honor, quæ veluti mediæ sunt inter bona interna et externa, nam radicaliter internæ sunt utpote in aliqua excellentia et bonis qualitatibus fundatæ, formaliter vero externæ in aliis qui nos honorant et bene de nobis opinantur et loquuntur [3].

51. DE BONIS INTERNIS. — Hæc sunt duplicis speciei : alia **non sunt distincta** ab ipso homine, ut vita (anima et corpus), animæ facultates et corporis membra ; alia sunt ab homine **distincta**, ut actiones seu operationes tum naturales tum supernaturales, et bona illis comparata.

A. Illorum bonorum internorum, quæ ab ipso homine **non sunt distincta**, **homo non dominium directum**, **sed utile tantum habet.**

1. Cornelisse, II, n. 54.
2. Zaninetti, II, n. 1043.
3. Noldin, II, n. 354 ; Bulot, I, n. 479 ; Morino, I, 768 ; Waffelært, I, n. 90.

Probatur. — **1a pars.** — (*a*) Nam Deus, qui absolutus et supremus est rerum omnium dominus dominium directum horum necessario exercet, juxta illud Sapientiæ (XVI, 13) : « Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem. » — (*b*) Nemo enim suipsius vere dominus esse potest, quia dominium est essentialiter aliquid relativum, quo quis superioritatem habet respectu ejus, cujus est dominus. — Hinc homo non potest de sua vita disponere, nec in alium transferre jus disponendi de ipsa; imo debet ipsam positive conservare ad arbitrium Dei [1].

2a pars.—Etenim dominium utile dicit jus utendi vel fruendi re, salva ejus substantia, cujus proprietas pertinet ad alterum. Jamvero Deus, apud quem manet eorum proprietas, ea bona homini dedit ut eis utatur ad finem suum obtinendum, Igitur horum bonorum dominium utile homo habet.—Hinc potest uti tum facultatibus animæ, tum membris sui corporis in propriam vel alienam utilitatem, quin per ipsum usum in se faciat alicui injuriam [2].

B. Illorum bonorum internorum, quæ ab homine **distincta** sunt, homo plenum dominium habet ac proinde de iis disponere pro libitu potest. — Cum enim facultatibus uti possit tamquam suis, dominium habet in fructus eorum usu comparatos, i. e. in operationes et bona ex operationibus provenientia : nam homo dominus est eorum quæ sua industria acquirit seu propria activitate producit. — Proinde opera, quæ homo facit facultatibus sive animæ sive corporis, in quantum ab eo facta sunt, sua sunt ; neque ipse ulli facit injuriam, si illa in propriam utilitatem convertat, aut de illis pro suo arbitrio disponat. Hinc (*a*) opera virtuosa facta ab homine sunt in ejus proprietate ; ac propter ea homo laudem et remunerationem meretur coram hominibus et Deo ; — (*b*) opera, quæ sunt fœtus ingenii alicujus hominis, ipsius sunt ipsique fructificant; ita scripta, inventa, picturæ et alia opera artistica ; — (*c*) opera manualia sunt in dominio operantis, qui potest ea alteri tribuere vel ipsum suarum facultatum exercitium in aliorum utilitatem convertere, sive ad tempus, sive in perpetuum [3].

52. DE BONIS MIXTIS. — Famæ et honoris homo habet per se dominium plenum seu perfectum. — Illorum enim bonorum, quæ sunt fructus propriæ industriæ, dominium plenum

1. Noldin, II, n. 355 ; Waffelaert, I, n. 91 ; Pighi, II, n. 144.
2. Noldin, II, n. 355 ; Haine, II, q. 16 ; Pighi, II, n. 145.
3. Noldin, II, n. 355 ; Waffelaert, I, n. 92 ; Pighi, II, n. 146.

et perfectum habet homo ; sed fama et honor ejus industr[illegible] comparantur et augentur, scilicet honesto propriarum fac[illegible]tatum exercitio. — Insuper homini, omnium consens[illegible] [illegible]mpetunt actus dominii perfecti circa famam et honorem : ea enim se diffamando ad petendum consilicim abjicere, restitutionem calumniatori condonare potest ; ergo ipsum dominium plenum ei competit. — Ideo potest homo suo bono nomine in proprium commodum uti ; potest eidem renuntiare propter bonum superius ; ac, si absque causa renuntiet, per se nemini facit injuriam [1].

Dicitur : *per se*, nam aliquando fama nostra est proximo necessaria, ideoque tunc *per accidens* debet servari et defendi. — Ut autem determinetur quandonam se diffamare sit peccatum contra justitiam, advertendum est quonam modo fama nostra sit proxima necessaria. Jamvero fama nostra tripliciter potest esse proximo necessaria : 1) quando ex nostra fama ita pendet fama proximi, ut ex nostra infamia illius infamia sequatur : sicuti ex infamia patris sequitur infamia familiæ et ex infamia monachi sequitur infamia quædam monasterii ; 2) quando fama nostra est necessaria ut proximo præstemus officium ei stricto jure debitum ; sic fama personæ publicæ, episcopi, parochi, necessaria est ut bene regat subditis ; 3) quando fama nostra est necessaria ad proximo præstandum officium quod debetur ex caritate. In duobus autem prioribus casibus, multorum judicio contra justitiam peccat, qui se infamat : quia proximo nocet, vel inferendo infamiam, vel se reddendo ineptum ad ei impendendum officium debitum ; in posteriori casu, quia læditur tantum caritas, tunc solum contra caritatem peccat, qui se infamat : sicuti contra caritatem peccat, qui pecuniam qua pauperibus prodesse poterat, abjicit [2].

53. DE BONIS EXTERNIS. — Hæc bona sunt vel bona fortunæ vel servitus alterius hominis.

A. **De bonis fortunæ.** — Homo vitam tueri ac servare nequit, nisi ipsi insit jus quædam bona externa ut propria habendi, quibus ad sui suorumque sustentationem frui valeat. Dicemus 1° de jure bona externa possidendi ; 2° de jure privatim hæc bona possidendi ; 3° de variis bonorum generibus.

1. Noldin, II, n. 356 ; Tanqueray, II, n. 36 ; Pighi, II, n. 147.
2. Carrière, I, n. 34 ; Lessius, lib. 2, c. IV, dub. XI, n. 59 ; Waffelaert, I, n. 93.

54. 1° Homo habere potest dominium utile et directum in bona externa fortunæ, legitime acquisita.

Probatur. — Creaturæ enim irrationales immediate fuerunt creatæ propter hominem, ut iste illis uti, et Deo servire possit. Neque vero ulla restrictio apposita est a Deo huic usui ; imo illimitate concessus est quoad prædictum finem, ut patet ex verbis Geneseos (I, XXVIII) : « Dominamini piscibus maris et volatilibus cœli » ; et Ps. (8, VIII) : « Omnia subjecisti sub pedibus ejus ». Deus igitur homini concessit dominium utile et directum harum rerum externarum [1].

55. 2° Jus dominii privatum, permanens et exclusivum in bona externa, justis limitibus circumscriptum, a jure naturali dimanat, ac in præsenti statu moraliter necessarium est.

Declaratur. — *a*) **Jus dominii privatum** : agitur de dominio non solum utili, sed etiam directo, — singulis hominibus, non autem societati competente : non negamus societatem ipsam aliquot bona ut propria habere posse, sed contendimus privatos cives eodem jure gaudere.

b) **Permanens et exclusivum** : jus de quo agitur non solum modo transitorio, sed etiam modo stabili exerceri potest, et ad hæredes aliosve transferri ; ita proprium est ut dominus rei ceteros omnes ab ejus possessione excludere valeat.

c) **In bona externa**, i. e. sive mobilia, sive immobilia, sive ad novam rerum productionem, sive ad usum intendantur.

d) **Justis limitibus circumscriptum** : jus enim illud non est absolutum, sed, sicut alia jura, limitatur, et quidem tripliciter : in **casu extremæ necessitatis**, quisque occupare potest id quod necessarium est ad propriam sustentationem ; — aliquando etiam **bonum commune** exigit ut dominium privatum minuatur, restringatur, vel tollatur a Statu, vi alti dominii : quod tamen fieri nequit sine gravissima ratione et proportionata compensatione ; — **caritas** tandem postulat ut divites ex superfluis aliquid pauperibus erogent.

e) **A jure naturali dimanat et in præsenti statu moraliter necessarium est** : non enim asseritur jus naturale primarium semper et ubique illam privatam dominii formam postulare ; concipi enim potest status rerum in quo collectiva quorumdam

1. Tanqueray, II, n. 43 ; Bucceroni, I, 866 ; Zaninetti, II, n. 1051.

bonorum possessio, in aliquo loco vel in aliqua communitate, hominum necessitatibus ac felicitati satis consuleret, v. gr. apud tribus pastorales. Sed in præsenti rerum conditione, in qua homines communiter seipsos magis quam proximum aut societatem diligunt, — ac dato hodiernæ civilizationis statu, in quo homines vitam pastoralem agere non possunt, sed improbo labore indigent ad necessaria sibi comparanda, — privatum dominium a jure naturali logice dimanat, ac proinde moraliter necessarium ad civium felicitatem et societatis pacem recte dicitur. Merito igitur ait Leo XIII (Encyc. « Rerum novarum ») : « Possidere res privatim ut suas, jus est homini a natura datum. »

56. Hinc apparet thesim nostram directe militare contra **socialismum**, qui generatim dici potest complexus systematum, quæ eo tendunt, ut præsenten societatis ordinem subvertant, eique substituant alium ordinem, in quo jus dominii ab ipso statu seu civitate præcipue, si non exclusive, exerceatur. Tres sunt socialismi formæ : **communismus**, qui vult omnia bona, etiam ad consumptionem destinata (vestes, cibos, potus) communia esse ; **collectivismus**, qui duo bonorum genera distinguit : alia, quæ ad novas res producendas reservantur (v. gr. fundi, instrumenta laboris, etc.), quæque a statu vel civitate retinenda sint ; alia, quæ ad consumptionem destinantur, et quæ sub privatorum dominio maneant ; — **socialismus status**, qui, dum privatum dominium quoad multa etiam productionis media retinet, status interventum universalem ac continuum in omnibus negotiis advocat, nimisque privatorum activitatem ac jura restringit.

57. Probatur thesis. — Etenim illa dominii forma rationi consentanea est et ex jure naturali defluit, quam postulant ex una parte natura hominis ejusque bonum privatum, et ex altera bonum commune seu finis societatis. Atqui, posita præsenti conditione humanæ naturæ, forma dominii privatii, exclusivi et permanentis, moraliter necessaria est sive ad bonum hominis privatum, sive ad bonum commune societatis. Igitur.

58. Minor probatur. — 1° **pars.** — Ad **bonum hominis privatum**, quatenus hic ut **individuum** ac **familiæ caput** consideratur. — (*a*) Quatenus **individuum**, homo, quum sit

ens rationale ac providum, jus habet ut propria possidendi non solum ea quæ actu consumuntur, sed etiam bona mobilia vel immobilia quæ ad futuris necessitatibus providendum necessaria sunt : nam ipsi jus et officium incumbit propriam vitam tuendi non solum in præsenti, sed etiam in futuro, in quantum fieri potest. Atqui futuris necessitatibus secure providere nequit nisi jus habeat modo stabili quædam saltem bona ut propria possidendi, ex quibus vitam sustentare valeat tempore ægritudinis, aut senectutis, vel inopiæ et egestatis : quod quidem melius fieri nequit nisi sibi acquirendo ac permanenter servando non solum fructus aliaque ciborum genera, quæ facile corrumpuntur, sed etiam fundos frugiferos, vel res pretio æstimabiles, ex quibus proprio vel alieno labore omnia sibi necessaria adipisci valeat. Ergo.

(*b*) Quatenus **paterfamilias**, homo, qui naturali instinctu ac divina ordinatione ad speciei conservationem filios procreavit, tenetur jure naturali non solum sibi, sed uxori et filiis providere. Atqui id prudenter ac tuto præstare nequit, nisi jus habeat sibi acquirendi et ad suos transmittendi bona sive mobilia sive immobilia, præsertim vero fructuosas possessiones, ex quibus familiam tempore egestatis, vel fractarum virium, aut etiam post mortem, sustentare valeat. Ergo.

59. 2a pars. — Dominium privatum ad bonum ipsius societatis maxime confert. — Quum enim finis societatis sit bonum commune promovere, salvis civium juribus, ea dominii forma magis juri naturali consentanea dicenda est quæ efficacius copiosam bonorum productionem ac æquam distributionem fovet, simulque legitimam civium libertatem tuetur. Atqui res ita se habet servato jure dominii privati : nam (*a*) homines, cum se elaborare sciunt ad proprias opes augendas, easque ad filios vel alios sibi caros transmittendas, alacritatem adhibent studiumque longe majus : quod quidem valde confert ad ubertatem fructuum, augendasque divitias civitatis ; et revera, sub hac forma dominii privati, in immensum excreverunt atque in dies crescunt divitiæ. Ex adverso autem, quando cives nullum privatum expectant lucrum sibi retinendum ac posteris transmittendum, plerique ignavi ac segnes manent, aliorum laboribus fidentes, et ita paulatim opes minuuntur et evanescunt. — (*b*) Aequa autem distributio bonorum dicitur ea quæ fit secun-

dum cujusque meritum, seu proportionatur sociali valori operis præstiti, non autem ea quæ fit æqualiter omnibus absque ullo respectu ad valorem operis præstiti : secus enim, pigritia, incuria ac justæ querelæ foventur. Jamvero, dato jure privati dominii, generatim loquendo, quilibet bona accipit secundum socialem valorem operis præstiti : plus quidem lucrantur capitalistæ, quia plus ad rerum productionem conferunt, videlicet ipsa media quibus divitiæ multiplicantur, necnon laborem intellectualem ad res augendas omnino necessarium, et insuper periculum sortis, sæpe maximum, in se suscipiunt ; operarii autem minus accipiunt, quia minus conferunt, nec periculo bona jam acquisita amittendi exponuntur ; sed, ex communiter contingentibus, pretium accipiunt laboris sociali valori proportionatum, quod, crescente communi prosperitate, in dies augetur. Ex adverso, vigente socialismo, distributio bonorum æque fieri nequit : si enim fiat juxta cujusque merita, jam inæqualitas, quam socialistæ tollere volunt, sub alia forma redibit, quum omnino disparia sunt vari[illegible] opificum merita ; si fiat secundum cujusque necessitate[illegible]gentias, quis de illis æque judicare poterit ? ; si fiat æqual[illegible]ibus et singulis, jam deerit stimulus ad laborem, et pigriti[illegible]lti indulgebunt. — (c) Admitti sane nequit forma dominii quæ legitimam civium libertatem de medio tolleret, aut plus æquo minueret : vera enim libertas dignitati simul ac felicitati hominis necessaria est. Atqui quamdiu manet jus dominii privati, quædam libertas viget in electione status vitæ, domus, educationis puerorum, cultus religiosi, etc. Regnante autem socialismo, singulorum libertas minuetur ac sæpe conculcabitur, quia Status erit universalis officiorum ac munerum distributorum. Ergo [1].

60. 3° **De variis bonorum generibus.** — Jure proprietatis privatæ jam in tuto posito, pauca dicenda manent de variis bonorum seu rerum generibus ac speciebus. Jamvero res externæ dividuntur : 1) in res **in commercio positas**, et res **extra commercium positas** : priores sunt illæ, quæ usibus privatis inserviunt, et ideo in obligationem deduci, et alienari acquirique possunt ; — proindeque constituunt objectum proprium dominii privati ; — posteriores sunt tum res publicæ ecclesiæ,

1. Cfr Tanqueray, (II, n. 88-98) qui perbelle demonstrat socialismi falsitatem.

ut loca sacra, templa, cœmeteria, tum res publicæ societatis, ut viæ publicæ, plateæ, publici pontes, mœnia urbium, tum res communes, ut aer, lux, mare, quarum rerum usus est omnibus communis, et proinde quarum dominium nullius privati est.

2) Res in commercio positæ aliæ sunt **corporeæ**, aliæ **incorporeæ**, prout sensibus percipiuntur, ut domus, ager, pecunia, aut sensibus percipi non possunt, ut diversa jura e. g. jus utendi aliqua re, jus venandi, jus piscandi.

3) Res corporeæ dividuntur in res **mobiles** et **immobiles**, prout, salva earum substantia, de loco in locum transferri possunt, ut animalia, suppellex, aut transferri non possunt, ut domus, silva.

Ex lege nostra res sunt **immobiles** vel natura, vel ex fine suo, vel propter relationem cum re immobili, vel ex legis dispositione. — *Natura* immobiles sunt res quæ moveri nequeunt, ut ager, domus, aut quæ fundo vel ædificio adhærent, ut segetes immaturæ, fructus ex arbore pendentes, arbores ipsæ antequam secentur, etc. — *Fine suo* immobiles sunt eæ quæ ad usum stabilem conjunctæ sunt cum re immobili, ut instrumenta et machinæ agrorum culturæ aut officiniis necessaria, et omnes res quæ, a re immobili, cui unitæ fuerunt, non possunt separari quin deteriores fiant. — Immobiles sunt *propter relationem cum re immobili*, ususfructus rei immobilis, jus vidicandi rem immobilem, servitutes activæ in prædio, etc. — Tandem *ex legis dispositione* immobiles sunt omnes res mobiles quas lex declarat immobiles, ut pecunia quæ est proprietas minoris et quæ provenit ex venditione bonorum ejus immobilium facta durante minoritate, et pecunia ab ascendentibus data pueris suis causa eorum matrimonii, ex qua acquiri debent immobilia [1].

Res sunt **mobiles** vel natura vel ex legis dispositione. — *Ex natura* dicuntur mobiles res quæ possunt transferri de loco ad locum sive ex propria virtute sive ex aliena actione, ut equus, currus. — *Ex dispositione legis* mobiles sunt res, etiam immobiles, quas lex permittit declarari mobiles ; sic mobilia censentur ususfructus rei mobilis, jus ad rem mobilem, census tum vitalitii tum perpetui, omnes fere societatum schedulæ (actions), varia credita etiam hypothecæ jure firmata. [2] Verbum **mobiles**,

1. C. C., aa. 375-382.
2. C. C., aa. 383-394.

si solum adhibeatur in lege aut in actu civili quodam, habet sensum restrictivum, et ideo non comprehendit pecuniam, gemmas, credita, libros, numismata, instrumenta scientiis aut artibus aut artificiis inservientia, vestimenta, equos, redas, arma, frumenta, vinum, fœnum, esculenta, et omnia quæ ad quoddam commercium exercitum pertinent [1]; si opponatur immobilibus, tunc includit omnia quæ non sunt aliquo modo immobilia. — Verbum **suppellex** (meubles meublants) non comprehendit nisi mobilia destinata ad usum et ornatum ædium et cubiculorum [2].

63. 4) Res mobiles dividuntur in **fungibiles** et **non fungibiles** : fungibiles dicuntur illæ, quarum una in solutione vel restitutione vice alterius fungi potest, et in quibus ideo non ad speciem (i. e. ad rem individuam), sed ad genus attenditur : res hujusmodi sunt oleum, triticum, vinum, pecunia ; — non fungibiles dicuntur illæ, quarum una non potest vice alterius fungi, sed quæ in individuo tradi debet, ideoque in quibus speciem (i. e. ad rem individuam), non solum ad genus attenditur : hujusmodi sunt animalia, vestes, etc.

64. 5) Tandem res dividuntur in res **primo usu consumptibiles** et **primo usu non consumptibiles** : illæ in primo suo usu naturali destruuntur seu in aliam substantiam mutantur, ut panis, vinum, lignum ad comburendum ; hæ usu quidem atteruntur, at non corrumpuntur, sed in sua substantia perdurant, ut vestis, domus, suppellex [3].

65. *B.* **De servitute alterius hominis.** — *a*) Homo non habet dominium proprietatis in alium hominem, nec quoad corpus, nec quoad animam ejus. — Nam dominium importat quamdam superioritatem ; atqui homo non est superior alio homine quoad ipsam hominis naturam ; ergo. — Præterea ideo jure naturali competit homini dominium directum in reliquas creataras sublunares, quia hæ ex natura sua ordinantur ad hominem, ut ei serviant. Ergo, cum homo ex natura sua ordinatus sit, ut Deo serviat, dominium proprietatis in hominem soli Deo competit.

1. C. C. a. 395.
2. C. C., a. 396.
3. Marc, I, n. 852 ; Noldin, II, n. 357 ; Bulot, I, n. 481 ; Tanquerey, II, n. 18.

b) Homo tamen potest in alium hominem habere dominium utile, i. e. potest ipsi competere legitima facultas disponendi in proprium commodum de alterius hominis actibus et de horum actuum fructibus. — Ratio est, quia homo quilibet est dominus actuum suorum et fructuum laboris sui ; dominus autem pro arbitrio potest de objecto dominii sui disponere, ac proinde potest actus suos alteri locare, ut fit in statu famulatus, vel etiam, nisi quid obstet, alienare in perpetuum. Ergo.

66. Hinc juri naturæ repugnat servitus in sensu pagano, per quam scilicet servi non personis, sed rebus accensentur, quibus dominus uti possit et abuti ; sed non repugnat, per se loquendo, illa servitus seu ille perpetuæ subjectionis status, quo quis pro alimentis tenetur operas suas alteri præstare. — Quadruplici titulo, ut communiter docent, potest induci hæc servitus : 1° *ex pacto*, seu remuntiatione propria ; etenim non repugnat ut quis renuntiet suæ libertati ad propriam inopiam sublevandam vel ad debita, quibus impar est, solvenda : attamen ex jure nostro [1] debet contractus operum locationis fieri pro tempore limitato aut pro opere determinato. — 2° *Ex jure belli :* si enim victor potest quandoque captivos occidere ob gentis securitatem, a fortiori potest eos in servitutem redigere. — 3° *Ex delicto*, seu ex justa condemnatione : nam si reus potest damnari ad mortem, a fortiori potest ad servitutem, cum privatio vitæ summa omnium pœnarum merito censeatur. — 4° *Ex nativitate*, si quis nascatur a serva : quia partus sequitur ventrem, i. e. conditionem ipsius matris. — Ex his resolves : (*a*) illicitum non est per se legitimos servos vendere et emere ; quia semel admissa servitute ut legitima, dominus verum jus in servos seu in eorum operas habet, et proinde illud transmittere in alios valet. Excipe tamen, si obstent vel leges civiles, prout reapse generatim in Europa et nostris regionibus servitus interdicitur, vel peculiares circumstantiæ, v. gr. si conjux a conjuge, vel proles a parentibus separaretur. — (*b*) Graviter illicitum est **nigritarum commercium,** quo nempe homines liberi, contra propriam voluntatem et absque ullo titulo, a propriis regionibus transvehuntur et veduntur. Contra hanc inhumanam negotiationem fortiter insurrexerunt plures

1. C. C., a. 1667.

RR. Pontifices, inter quos Paulus III, Urbanus VIII, Benedictus XIV, Gregorius XVI et Leo XIII [1].

ARTICULUS III

De subjecto dominii

67. DEFINITIO. — **Subjectum dominii** intelligitur persona, cui dominium competit ; aut aliis verbis : est ille cujus aliqua res est propria [2].

68. QUODNAM EST SUBJECTUM CAPAX DOMINII ? — Omnis et solus homo potest esse subjectum dominii. — Etenim dominium est legitima facultas disponendi pro libitu de aliqua re tanquam sua. Atqui solus homo potest pro libitu disponere de aliqua re tamquam sua, quia solus est præditus libera voluntate. Ergo. — Insuper jus est potestas arcendi alios, ne, domino invito, res ejus attrectent ; atqui invita esse potest sola natura intellectualis ; ergo. — Quare fundamentum dominii est natura rationalis : per rationem enim homo habet potestatem disponendi de rebus suis. — Nec refert utrum expeditum sit et actuale, annon, rationis et libertatis exercitium ; sufficit enim natura rationalis, ac proinde neque amentes neque parvuli dominii sunt incapaces, ut ex omni jure constat. Nam usus rationis necessarius quidem est ad disponendum de bonis, non vero ad habendam eorum possessionem atque habituale dominium ; alioquin dormientes et ebrii verum non haberent dominium, illudque prorsus amitterent actu quo dormiunt, vel quo ebrietate obruuntur. Hinc jure nostro infantes nondum nati, sed concepti, succedunt ab intestato, ita ut, si vivi et vivaces (viables) nascantur, domini hæreditatis fiant eamque transmittant [3].

69. Homines vero, quatenus sunt dominii capaces, considerari possunt vel ut **privati,** vel ut conjuncti in associatione et **personam moralem** constituentes, v. gr. Ecclesiam, Sta-

1. Delama, n. 24 ; Bucceroni, I, n. 858 ; Gury, I, n. 539 ; Marc, I, n. 854 ; Haine, II, q. 25.
2. Noldin, II, n. 358 ; Bulot, I, n. 462.
3. C. C., a. 608 ; Zaninetti, II, n. 1085 ; Bucceroni, I, n. 867.

tum, communitatem. Igitur quærendum est 1° de dominio privatorum ; 2° de dominio personarum moralium.

I. *De dominio privatorum*

70. Licet dominii capacitas omni intellectuali substantiæ insit, non tamen desunt subjecta, in quibus, ad bonum tum commune tum privatum, hæc capacitas restringitur. De his nunc agendum est : sunt autem *A*) filiifamiliæ ; *B*) uxores ; *C*) clerici ; *D*) scriptores et auctores.

A) *De dominio filiorumfamilias*

71. DEFINITIO. — **Filiifamilias** dicuntur filii legitimi vel legitimati, qui adhuc sunt sub potestate paterna constituti. — **Legitimi** dicuntur, qui e matrimonio secundum leges contracto orti sunt. — **Legitimati** vero dicuntur, qui, quamvis non e legitimo matrimonio nati, postea legitimorum jura acquisierunt per subsequens matrimonium parentum, dummodo non sint adulterini vel incestuosi [1].

72. DIVISIO. — **Filiifamilias**, juxta legem nostram, sunt aut **majores**, aut **minores**, aut **emancipati**.

Majores aut majorenses sunt ii, qui jam adepti sunt annum vigesimum primum suæ ætatis [2] — **Minores** aut minorenses dicuntur, qui nondum attigerunt annum vigesimum primum suæ ætatis [3]. — **Emancipati** sunt minores, qui sive explicite, actu juridico speciali, sive implicite, matrimonium contrahendo, aut mercaturam exercendo (sed tunc quoad actus mercaturæ tantummodo), subtrahuntur auctoritati paternæ [4]. Emancipatio autem non imponit finem minoritati, sed modificat tantum conditionem minoris [5] : nam emancipatio minorem liberat a paterna potestate vel a tutela, et ideo ei confert jus sese gubernandi et bona sua administrandi, non vero ea alienandi absque curatoris assistentia [6].

1. C. C., a. 237.
2. C. C., a. 324.
3. C. C., a. 246.
4. C. C., aa. 314, 315, 327.
5. C. C., a. 247.
6. Migneault, II, p. 255.

73. Quonam dominio gaudent filiifamilias ? — Prænotandum est quod, licet jus romanum distinctionem faciat circa bona filiorumfamilias, attamen in juribus modernis nostris nulla fit talis distinctio.

a) **Minores filii habent dominium tum directum tum indirectum bonorum suorum, non vero eorum administrationem, quæ remittitur tutori.** — Prior pars constat ex eo quod jus possidendi quod naturaliter minoribus utpote usum rationis habentibus competit, non limitatur secundum legem canadensem. — Posterior pars probatur ex eo quod in codice nostro [1] legitur : « Tutor repræsentat minorem aut ejus locum tenet in omnibus actibus civilibus ». — Notandum est tamen quod tutor non est necessario pater, quia in nostra regione omnes tutelæ sunt dativæ, i. e. debent dari aut deferri ab auctoritate competenti [2].

b) **Emancipatus, quoad bona sua, habet idem dominium ac habet minor, et insuper potest ponere omnes actus puræ aut simplicis administrationis** ; sed **pro aliis actibus civilibus debet habere curatoris assistentiam.** — Hoc eruitur ex ipso textu legis canadensis [3].

c) **Major filius habet et dominium perfectum et administrationem bonorum suorum.** — Ratio est, quia major declaratur habilis ad omnes actus civiles ponendos [4].

74. I. Filiusfamilias censeturne renuntiare usuifructui ad quem jus habet, si, eo vidente et tacente, pater hunc usumfructum percipiat et suum faciat ? — Juxta legem canadensem, *minor filius* non potest renuntiare, quia ipse tale jus non habet : nam in omnibus administrationis actibus repræsentatur a tutore, qui tenetur rationem reddere tutelæ suæ [5]. Ideo tutor tenetur ad restitutionem, si permiserit aliquam defraudationem contra pupillum suum. Hinc si pater sit tutor filii sui, tenetur qua tutor ad compensationem pro fructibus, quos contra jus filii fecit suos ; si pater non sit tutor, debet etiam hos fructus restituere, quia aliter esset injustus erga tutorem, qui pro patris defraudatione compensare deberet. — *Filius emancipatus aut*

1. C. C., a. 290.
2. C. C., a. 249.
3. C. C., aa. 319, 320, 321, 322.
4. C. C., a. 324.
5. C. C., aa. 290, 308.

major, licet possit renuntiare, tamen, generatim loquendo, non censetur renuntiare : quia silentium eatenus æquivalet renuntiationi, quatenus filius facile reclamare posset ; at quominus id facile queat, plerumque metus reverentialis obstat [1].

75. II. Quale dominium habent filii in pecuniam vel alia bona mobilia, quæ sibi dantur a parentibus vel a cognatis ? — 1° **Quoad bona a parentibus data**, attendendum est ad parentum intentionem sive expressam sive rationabiliter præsumptam. Hinc *a*) si data fuerint *absolute*, filii habent plenum et independens eorum dominium, ideoque pro libitu de iis disponere possunt : quia censentur data in proprietatem ; proinde si hæc in vanos usus impedant filii, prodigalitate, non autem injustitia, peccant. — *b*) Si data fuerint *ad determinatum usum*, v. gr. pecunia ad emendos libros aut ad solvendam pensionem, etc., filii plenum dominium non acquirunt, ideoque contra justitiam agunt et per se ad restitutionem tenentur, si ea in alios fines, præsertim vanos vel inhonestos, impendant : nam filii quoad hæc non accipiunt proprietatem, sed tantum usum. — *c*) Si *intentio expressa non fuerit*, dignosci potest ex circumstantiis, præsertim ex ipsa natura rei : hinc si agatur de re primo usu consumptibili, modo absoluto donata censetur, quia secus donatio non esset in commodum, sed potius in incommodum filii, qui teneretur ipsius rei curam suscipere ; si de re non primo usu consumptibili agatur, ad usum determinatum donata censetur, proindeque vendi nequit, ut pecunia in alium usum adhibeatur. — Hinc graviter peccat filius, qui expandit in res turpes aut vanas, v. gr. in compotationes, notabilem summam contra voluntatem parentum ex iis pecuniis, quas pater ad honestos usus dedit. Ratio est, quia pater non concessit ei pecunias ad tales usus, neque intendit illas simpliciter donare, et ideo dominium earum in filium absolute transferre noluit. Igitur ad restitutionem *per se* tenetur filius, quotiescumque per illas vanas expensas cogit parentes ad plus in sui favorem expendendum. — Sæpe tamen a restitutione excusatur, quia præsumere potest filius parentes facile condonaturos esse, si ipse rogare auderet.[2] — Non peccat vero, vel certe non

1. Delama, n. 36 ; Gury, I, n. 546.
2. Lessius, de just. et jure, l. 2. c. 12, n. 81 ; Génicot, I, n. 472.

graviter peccat filius, *a*) si quantitas non sit notabilis pro conditione parentum ; *b*) si putet patrem rogatum facile concessurum esse, quia tunc non videtur pater invitus circa substantiam acceptionis, sed tantum circa modum ; *c*) si, dum versatur in studiis vel extra domum paternam, expendat more aliorum suæ conditionis pecuniam aliquam in eleemosynas, ludum et honestas recreationes : præsumitur enim pater id permittere, quia secus esset irrationabiliter invitus.

2°) **Bona a cognatis vel amicis data** censentur absolute donari, nisi contrarium dicatur : quare si munera contra donatorum intentionem in usus vanos consumantur, prodigalitas committitur, non injustitia [1].

76. III. Quodnam dominium habet filius in laboris sui lucro ?— *A.* — SI FILIUS MANEAT IN DOMO PATERNA, distinguendum est : **vel filius occupatur in arte aut negatione patris, vel extra domum paternam labores suos præstat.**

1°) **In priori hypothesi**, subdistinguendum est : *agit enim vel nomine patris vel nomine proprio* — *a*) *Si agat nomine patris*, omnia bona acquirit patri, sive filius sit minor sive sit major. Ratio est, quia opera, quam filius impedit in hac negotiatione, est aliquid pertinens ad patrem, qui res suas per filios, quos in potestate sua habet, administrare solet. — Insuper compensatio censetur adesse inter sustentationem, quam filius a patre accipit, et laborem, quem ipse præstat in arte aut negotiatione paterna. — Attamen, nisi labor sit necessarius ad vitam parentum sustentandam vel lucrum sit parvum, emancipatus aut major filius dignus est mercedis vel retributionis alicujus : nam filius non est pejor conditione quam famulus. — At majorem mercedem exigere non potest, quam pro eodem labore extraneus acciperet, deductis vero sustentationis expensis a patre factis. — Insuper, in iisdem circumstantiis, filius, tum minor tum major, si labor sit extraordinarius, potest sibi aliquam retributionem vindicare. Ratio est, quia nullum jus habent parentes exigendi a filiis obsequia, quæ suo statui et conditioni non sunt necessaria — Extraordinarius autem censetur labor, si filius aut ratione status laborare non tenetur, aut aliis filiis notabiliter plus laborat. — Verumtamen ut justitiæ limites non excedat filius, caven-

1. Noldin, II, n. 365 ; Tanqueray, II, n. 147 ; Marc, I, n. 862.

dum est : (a) ne notabilis excessus dicatur, quando labor impensus vix æquet expensas sustentationis, quam a patre filius accipit ; (b) ne bis congruam retributionem filius sibi vindicet, quia parentes non raro intendunt in testamento vel alio modo postæ filium talem præ cœteris remunerare. — Ideoque, si labor sit certo extraordinarius seu alias quomodocumque indebitus et si non expresse intenderit gratis laborare, filius potest petere a patre id quod daret extraneo pro tali labore, deductis tamen sustentationis expensis, vel etiam potest illud occulte retinere, si reverentia aut rubor petere non sinat [1]. — Quid vero, si filius laboret et lucretur sat notabiliter præ aliis filiis, non tamen excessu extraordinario ? — Duplex datur sententia : alii tenent filium non acquirere dominium eorum quæ lucratur ; quia tunc censetur agere ut membrum familiæ, et sic lucrum omne in bono familiæ cedere debet ; — aliunde familiarum pax postulat ne plus æquo cupiditati filiorum indulgeatur, quo janua litibus innumeris præcludatur. — Attamen sat probabilis apparet sententia opposita ; quia filius non est pejoris conditionis quam famulus. — Sed lucrum illud filius repetere non debet per se aute mortem patris, cum difficile sit antea dijudicare, utrum filius passus sit damnum necne.

77. Cæterum, in praxi, recedendum non est a prima sententia, saltem ante factum, ob hallucinationis periculum. Insuper perpendendæ sunt circumstantiæ in quibus versantur filius et ejus cohæredes, ut judicetur quid æqualitas juris stricti requirat. — Secunda vero sententia, licet aliquando in praxi, saltem post factum, teneri possit, tamen minime publice docenda est propter incommoda, quæ per abusum inde sequerentur [2]. — De facto, non solent ordinarie parentes filiis domi laborantibus mercedem solvere, nec propter eorum labores hæreditatem multo augere. Hac tamen agendi ratione justitia lædi non censetur : ordinarii enim labores victu, vestitu, peculio aliisque commodis in domo paterna perceptis fere compensantur. Atvero, si filii, præsertim majores, domi manentes et laborantes, pro laboribus sat majoribus aliquid e bonis paternis surripiunt, post factum non sunt facile ad restitutionem cogendi [3].

1. Marc. I, n. 862, qui citat S. Alphonsum et Lugo.
2. Gury, I, n. 547.
3. Noldin, II, n. 364.

78. *b*) ***Si cum bonis paternis filiusfamilias proprio nomine agat***, quanquam generatim peccet sibi assumens pecuniam patris, attamen lucrum ad filium pertinet, dummodo pecunia mansura esset otiosa apud patrem, et filius in se sumpserit obligationem respondendi pro periculo sortis. Ratio est, quia tunc filius agit cum bonis suis, licet hæc bona illicite sua fecerit, et ideo lucrum a se reportatum est suum : res enim fructificat domino. — Si autem pecunia non fuisset mansura otiosa apud patrem, filius ex justitia tenetur patri restituere lucrum cessans. — Si vero non sumpserit filius obligationem respondendi pro periculo sortis (quod ordinarie in se suscipere efficaciter non potest et ideo hac re peccat), tunc ad summum potuit ex præsumpta voluntate patris per modum contractus societatis agere : quodsi fecerit, pars lucri patri, pars filio acquiritur. — Quando tandem negotiatio universim nomine patris a filio agitur, sed de speciali aliquo lucro dubium movetur, num filius suo nomine hoc fecerit, præsumendum est eum etiam tunc nomine patris egisse, quamdiu de contrario non constet : nam plerumque filius sine peccato non potuit suo nomine agere ; eum vero peccasse non præsumitur [1].

79. 2°) **Si vero extra domum paternam** filius laborem præstet, *a*) nulla habetur difficultas, quando agitur *de filio majore* aut *emancipato* : hic enim sibi acquirit omne lucrum ex labore proveniens, et tenetur solvere expensas suæ sustententationis, si alatur a patre. Ratio prioris est, quia filius ille est omnino sui juris ; ratio posterioris est, quia pater non tenetur eum gratis sustentare, quatenus ipse suæ sustentationi providere potest [2].

b) Sed si agatur de *filio minore*, difficilior est solutio, et distinguendum est : vel pater pro conditione sua filium locavit, vel filius ipse se suosque labores locavit. — (*a*) *Si prius*, videtur lucrum, quod filius facit, acquiri patri, maxime si pater etiam domi pro conditione sua labores imponere possit. Nam pater jus habet ad laborem filii, et ideo ad pretium ejus. Igitur, quum saltem per se illicite administrationem bonorum sibi arroget, atque non raro propter periculum mali usus laxiorisque vitæ

1. Lehmkuhl, 1032.
2. Delama, n. 34

peccet, videtur difficilius filio aliquid indulgere, si partem mercedis patri occultet. Attamen, quia non ita constat patrem ex justitia potius quam ex pietate obligare filium, a nimia severitate cavendum est, maxime post factam aliquam defraudationem [1]. — (*b*) *Si posterius*, quamvis pater habeat administrationem eorum quæ acquirit filius minor, attamen filius tale lucrum sibi retinere potest, quia implicite id a parentibus conceditur eo ipso quod extra paternam domum operandi ei licentia data fuerit. Proinde si aliquid inscio patre clam sibi retinet, illicite agit administrationem sibi arrogando, sed non peccat contra justitiam. — Sed plures tituli esse possunt, cur pater lucrum a filio factum sibi juste reclamet : 1) quod filius tantum saltem patri cedere debeat, quantum pater in illius sustentationem impendit ; 2) quod necessitatibus parentum providere teneatur ; 3) quod pro conditione sua aliquid conferre debeat ad sustentationem et educationem fratrum et sororum natu minorum ; 4) quod adsit periculum abusus, quem filius forsan cum pecunia commissurus est. — Quoniam igitur rationes graves sunt, cur filio non ita indulgeatur, ex altera parte etiam plures et graves rationes, quæ frequenter filium excusent a gravi justitiæ læsione, *ante* factum generatim potius in severiorem, *post* factum in mitiorem partem inclinandum est explorando causam, quæ a restitutione filium excuset [2].

80. *B.* — SI FILIUS, ETIAM MINOR, EXTRA DOMUM PATERNAM vivat et laboret aut famulatum agendo, aut artem propriam exercendo, aut cum bonis alienis negotiando, lucrum sic perceptum sibi retinere potest : ratio est, quia implicite id a parentibus conceditur eo ipso quod extra domum paternam operandi et vivendi ei licentiam dederunt, ideoque potest haberi tamquam virtualiter major aut emancipatus. — Excipe tamen, si parentes indigentia laborent : tunc enim filius horum necessitatibus subvenire tenetur, non quidem ex justitia sed ex pietate [3].

81. Notandum est tandem : — I. — quando justitia vere læsa fuit a filiis, generaliter hi non tenentur ad restitutionem, si bona sublata non amplius exstant : ratio est, quia parentes

1. Lehmkuhl, I, n. 1061.
2. Tanqueray, II, n. n. 148 ; Lehmkuhl, I, n. 1061.
3. Tanqueray, II, n. 148.

præsumuntur condonare, nisi ex adjunctis aliter constet, vel cohæredes graviter læsi fuerint [1]. — II. — Petitio horum bonorum proinde non est imponenda, sed potest consuli, prudenter tamen, si judicetur utilis ad ipsius filii correptionem.

V. J. Ang.

B) De dominio uxorum.

82. Prænotanda. — Dominium uxorum dependet ex conventione habita inter sponsos ante matrimonium vel ex dispositione legis.

Juxta **legem canadensem,** prænotandum est : — 1°) quod distinguere oportet inter contractum matrimonii et conventionem matrimonialem. — Prior definiri potest : contractus legitimus, indissolubilis et individuus maris et feminæ ad generandam et educandam prolem, gratiæ spiritualis efficax. — Posterior autem est conventio quæ fit coram notario publico, et qua mediante sponsi dispositiones faciunt circa bona sua. — Conventio hæc fieri debet aute matrimonii celebrationem et ipsi est ita accessoria, ut nullitas posterioris producat prioris nullitatem, sed non vice versa [2]. — Celebrato autem matrimonio, conventio fit immutabilis sicut ipsum matrimonium, ita ut sponsi non possint deinceps durante matrimonio sibi invicem aliquid dare per donationem, excepto tamen quod maritus potest habere assecurationem suæ vitæ in favorem uxoris vel filiorum [3].

2°) Sub quocumque regimine, nisi expresse excludatur, existit in lege nostra jus aliquod, quod vocatur **dos.** Dos autem est jus succedendi in bona mariti, quod lex aut conventio matrimonialis confert uxori, si supervivat marito, aut filiis ex hoc matrimonio natis, si uxor moriatur ante maritum [4]. — Dos est vel **legalis** aut secundum usum, vel **præfixa** aut conventionalis. — **Dos legalis** est ea quam lex ex ipso facto matrimonii constituit ex bonis mariti in favorem uxoris ut ususfructuariæ, et filiorum ut dominorum [5]. — Hæc dos consistit in usufructu pro

1. Lehmkuhl, I, n. 890 ; Marc, I, n. 907.
2. C. C., a. 1264.
3. C. C., a. 1265.
4. C. C., a. 1438.
5. C. C., a. 1427.

uxore, et pro filiis in dominio directo dimidiæ partis omnium bonorum immobilium quorum proprietatem habuit maritus tempore celebrationis matrimonii vel tempore conventionis matrimonialis si talis conventio facta fuerit ante celebrationem ipsius matrimonii, et bonorum immobilium quæ ipse recepit durante matrimonio a suis patre et matre aliisque ascendentibus [1]. — **Dos autem præfixa** aut **conventionalis** est ea de qua partes inter se convenerunt in conventione matrimoniali [2]. — Dos vero præfixa, quando nulla adest contraria conventio, consistit pro uxore in usufructu, et pro filiis in dominio directo partis omnium bonorum mobilium et immobilium mariti, ex qua constituitur hæc dos per conventionem matrimonialem. Licet tamen modificare dotem hanc ad nutum : v. gr. stipulari potest dotem hanc esse proprietatem exclusivam uxoris et sine onere restitutionis, aut dotem filiorum futuram esse diversam a dote uxoris [3]. — Dos autem præfixa excludit dotem legalem. Sed licet disponere quod uxor et filii habebunt jus accipiendi unam aut alteram. Electio verum ab uxore facta post initium juris, i. e. post mortem mariti, filios ligat; si autem uxor moriatur aute electionem, facultas eligendi transit ad filios [4]. — Deficiente tandem conventione matrimoniali, aut nulla mentione circa dotem facta in conventione matrimoniali, dos legalis existit pleno jure. Sed licet disponere quod nulla aderit dos, et hæc stipulatio ligat tum uxorem tum filios [5].

83. Regimen conventionis matrimonialis. — Habetur duplex regimen, juxta quod conventio matrimonialis in jure nostro fieri potest : regimen communitatis, et regimen non communitatis aut sine communitate.

I. — **Regimen communitatis.** — Regimen hoc comprehendit communitatem legalem, et communitatem conventionalem.

84. *A.* — **Regimen communitatis legalis.** — Communitas legalis est ea, quam lex, deficientibus contrariis stipulationibus, constituit inter sponsos ex ipso matrimonii facto circa

1. C. C., aa. 1434, 1433.
2. C. C., a. 1428.
3. C. C., a. 1437.
4. C. C., aa. 1429, 1430.
5. C. C., a. 1431.

quædam bona, quæ censeutur voluisse in communitatem ponere. [1] — Hæc communitas stabilitur triplici modo : *a*) ex simplici declaratione in conventione matrimoniali facta de ejus futura existentia ; *b*) quando nulla invenitur mentio, ne implicita quidem, in conventione matrimoniali de regimini sub quo contrahere matrimonium volunt sponsi ; *c*) quando non habetur conventio matrimonialis. [2] — Constituitur autem ex duplici parte, activa scilicet et passiva. Pars activa comprehendit : 1) omnia bona mobilia quæ sponsi die celebrationis matrimonii possident, et omnia mobilia quæ ab ipsis sponsis aut acquiruntur, aut ipsis obveniunt durante matrimonio sive per successionem sive per donationem, nisi donator aut testator contrarium expresserit ; 2) omnes reditus ex quocumque titulo receptos durante matrimonio ex bonis omnibus sponsorum ; 3) omnia bona immobilia quæ, stante matrimonio, acquiruntur quocumque titulo, exceptis tamen bonis immobilibus *a*) quæ sponsi obtinent ab ascendentibus suis sive per successionem, sive per testamentum, sive per donationem, *b*) quæ durante matrimonio donantur uni sponso ab aliquo ejus ascendente sive in solutionem debiti ante matrimonium existentis, sive cum onere solvendi debita quibus oneratur ipse donans, *c*) quæ acquiruntur in commutationem alicujus boni proprii uni sponso, *d*) quæ acquiruntur ab uno sponso qui jam sibi propriam habebat partem eorum indivisam : hæc autem excepta bona sunt propria sponso illi, qui ea uno vel alio modo obtinet [3].

85. Pars vero passiva complectitur : 1) omnia debita mobilia, quibus onerantur sponsi die celebrationis matrimonii, sed debita mobilia uxoris, ut ad communitatem pertineant, debent certa fieri per congruentem probationem ; 2) omnia debita mobilia quibus gravantur successiones aut acquisitiones, quas sponsi obtinent durante matrimonio, sed cum jure compensationis obtinendæ si agatur de aliqua successione aut acquisitione qua unus vel alter sponsus acquirit immobilia, quæ sibi fiunt propria ; 3)° omnia debita durante matrimonio contracta sive a marito sive ab uxore cum mariti consensu ; 4) omnia reliqua (arrérages) et usuras (intérêts) debitorum, quæ sunt personalia

1. C. C., a. 1270.
2. C. C., a. 1271.
3. C. C., aa. 1272, 1273, 1276, 1277, 1278, 1279.

utrique sponso ; 5) omnes usufructuarias reparationes immobilium, quæ communitatem non ingrediuntur ; 6) omnia onera matrimonii [1]. — Hæc communitas perdurat usque ad dissolutionem, quæ fit vel per mortem naturalem, vel per mortem civilem, vel per bonorum separationem, vel per corporum separationem, quæ includit etiam separationem bonorum, vel per absentiam quinquennialem unius conjugis [2]. — Notandum est tamen : 1° omnem separationem voluntariam esse nullam, sed tum separationem corporum tum separationem bonorum fieri debere a tribunali [3]. Insuper nullus, præter uxorem potest separationem bonorum petere ; creditores autem uxoris, etiam cum ejus consensu, hanc separationem petere non possunt [4]. — Attamen communitas per quamcumque separationem dissoluta potest reconstitui per consensum partium : in casu separationis et bonorum et corporum, regressus uxoris in domum mariti pleno jure hanc reconstitutionem efficit ; in casu vero separationis bonorum tantum, reconstitutio communitatis fieri debet per actum notariatum. Hæc autem reconstitutio communitatis effectum obtinet a die matrimonii, et omnia habentur ac si numquam communitas dissoluta fuisset, absque tamen præjudicio omnium actuum quos, stante dissolutione, posuit uxor utens jure suo. Si vero in reconstitutione communitatis ponuntur dispositiones diversæ a conditionibus quæ aute dissolutionem regebant communitatem, hæ novæ dispositiones nullæ sunt [5]. — 2° Post absentiam quinquennialem unius conjugis, communitas dissolvi potest ad tempus, aut petitione facta ab hæredibus absentis, aut per actionem quam instituit alter conjux præsens contra hæredes ad dissolutionem obtinendam. Tunc possunt fieri liquidatio et partitio bonorum absentis. Hæc autem dissolutio ad tempus facta perdurat usque ad mortem absentis, et tunc fit definitiva. Sed si absens regreditur aut ejus existentia probatur, cessant et dissolutio communitatis et possessio ad tempus ; insuper debet absens obtinere omnia bona sua prout habiti fuerunt tempore sui regressus, et pretium bonorum suorum quæ fuerunt alienata aut bona acquisita cum eorum pretio [6].

1. C. C., aa. 1280 et seqq.
2. C. C., a. 1310.
3. C. C., aa. 1311, 186 et seqq.
4. C. C., a. 1315.
5. C. C., aa. 1320, 1321.
6. C. C., aa. 93-109.

86. *B.* **Regimen communitatis conventionalis.** — Hæc communitas est communitas legalis mutata per dispositiones, quæ statutæ fuerint in conventione matrimoniali, dummodo non sint contre leges aut bonos mores, nempe contra auctoritatem maritalem aut paternam [1]. — Hæc autem communitas regitur per communitatis legalis regulas, quibus non habetur in conventione matrimoniali derogatio sive implicita sive explicita [2].

87. II. — **Regimen sine communitate.** — Regimen hoc etiam est duplex : sine communitate simpliciter, et cum separatione bonorum [3].

A. **Regimen sine communitate tantum.** — Regimen, quod dicitur sine communitate bonorum, consistit in eo, quod, licet conjuges conservent dominium directum bonorum suorum, maritus habet dominium indirectum seu utile omnium uxoris bonorum, quorum fructus censentur marito dati ad onera matrimonii sustinenda [4].

B. **Regimen separationis bonorum.** — In hoc regimine uterque conjux conservat bona sua et eorum administrationem [5].

88. Jura uxoris. — Ad hæc determinanda, statuuntur quatuor veluti principia sequentia :

I. **Uxor, etiam non communis,** non potest donare aut acceptare, alienare aut disponere inter vivos, nec contractum habere aut sese obligare sine concensu mariti vel ejus scripto consensu, qui requiritur sub pœna nullitatis omnium ipsius uxoris actuum [6]. Ratio est, quia nullum est regimen, in quo uxor sit penitus independens a marito.

Attamen *a*) uxor quælibet potest per testamentum disponere de bonis suis absque consensu mariti [7] ; *b*) uxor separata quoad bona potest sola facere actus et contractus, qui ad administrationem suorum bonorum pertinent ; *c*) si vero uxor agit nomine proprio mercaturam publicam, ipsa potest sine consensu mariti sese obligare in iis quæ mercaturam respiciunt, et hæc

1. C. C., aa. 1258, 1259.
2. C. C., a. 1414.
3. C. C., a. 1415.
4. C. C., a. 1416.
5. C. C., a. 1422.
6. C. C., aa. 177, 183.
7. C. C., aa. 184, 832.

Friday Nov. 15, 191[illegible].
Yesterday there was a parade in the city [illegible] express the [illegible]

[illegible] saw the parade [illegible] it in [illegible] parade

obligatio ligat etiam maritum, si existat inter ipsos communitas : uxor autem non potest mercaturam agere sine mariti licentia expressa aut præsumpta [1].

Exceptis hisce tribus casibus, si maritus consensum suum deneget, vel si sit interdictus aut absens, potest uxor obtinere a judice licentiam, qua semper indiget. — Omnis autem licentia generalis, etiam in conventione matrimoniali posita, non valet, nisi pro administratione bonorum uxoris [2].

II. **Sub regimine communitatis**, maritus solus administrat bona, et potest sine consensu uxoris ea vendere, alienare vel pignori dare ; potest etiam solus de eis disponere per donationes inter vivos, dummodo hæc dispositio fiat in favorem personarum ideonarum et sine fraude [3]. — Personæ autem idoneæ censentur omnes homines, præter ipsum maritum, ejus parentes ascendentes quorum hæres esse potest, infantes ex præcedenti matrimonio nati, et, his deficientibus, alios parentes qui possunt ejus hæredes fieri. — Fraus vero præsumitur ex excessu donationis, v. gr. si maritus donaret omnia bona communitatis, et ex tempore donationis, v. gr. si maritus faceret donationem satis gravem durante ultimo uxoris suæ morbo [4]. — Si vero maritus bona communia dilapidet, uxor potest separationem bonorum obtinere [5].

Attamen, quia testamentum effectum non habet nisi potest mortem testatoris, unus conjux non potest in præjudicium alterius per testamentum donare nisi suam partem bonorum communitatis [6].

Insuper maritus habet administrationem et est ususfructuarius omnium propriorum bonorum uxoris, ita ut possit solus exercere omnia jura mobilia et possessiva uxoris. Sed non potest immobilia bona propria uxoris alienare sine ejus consensu. — Si vero bona propria uxoris ex culpa mariti aliquid sui valoris perdiderint, hic tenebitur ad restitutionem [7].

III. **Sub regimine excludente communitatem**, maritus habet administrationem et usumfructum omnium bonorum

1. C. C., aa. 177, 179.
2. C. C., aa. 178, 180, 181.
3. C. C., a. 1292.
4. C. C., aa. 480, 481 ; DeLorimier, X, p. 241.
5. C. C., a. 1314.
6. C. C., a. 1293.
7. C. C., a. 1298.

uxoris. Igitur dissoluto matrimonio aut habita bonorum separatione, tenetur maritus reddere omnia bona sive mobilia sive immobilia, quæ uxor habuit tempore celebrationis matrimonii vel obtinuit durante matrimonio. Si quædam usu consumpta sint, illorum valorem reddere tenetur maritus ; si autem bona quædam per usum deteriora facta sunt, tenetur maritus ea restituere sicuti sunt, quando cesset communitas, facta tamen idemni uxore, si dolo vel culpa mariti deteriora evaserint [1].

IV. **Sub regimine separationis bonorum**, unusquisque, conjux conservans dominium et directum et indirectum bonorum suorum, tenetur ad sustinenda matrimonii onera juxta stipulationes in conventione matrimoniali positas. — Si autem stipulationes deficiant et partes non possint inter se convenire, tribunal judicabit de portione ad quam unusquisque conjux tenetur [2].

Si vero uxor separata usum suorum bonorum marito reliquit, iste, sive ad petitionem uxoris, sive soluto matrimonio, tenetur dare fructus existentes, non autem restituere fructus consumptos [3].

89. Regulæ practicæ. — 1° Generatim legi civili, varia jura et officia conjugum hac in re determinanti, standum est in conscientia, quia agitur de lege proprietatis determinativa, necnon de contractu libere inter partes inito [4].

2° Uxor, sub quocumque regimine, jus habet ad honestam sustentationem pro conditione sua. Nam si bona communia adsunt, hæc etiam ad uxorem spectant ; si bona quædam uxor attulerit, ex sua parte ad onera matrimonii jam contulisse censetur, ita ut jus acquisiverit, ut vice versa a marito sibi provideatur ; si nihil attulerit, maritus juri suo cessisse et gratuito alendæ uxoris onus in se assumpsisse censetur [5]. — Sustentationem autem honestam ingrediuntur non tantum necessaria ad victum et ad vestitum, sed etiam recreationes, munera et eleemosynæ pro conditione uxoris. Maritus enim merito præsumitur consentire in ea quæ fiunt ab uxore juxta honestum regionis atque conditionis usum ; ideoque si invitum se exhibeat, talis dissensus

1. C. C., aa. 1417, 1418, 1419.
2. C. C., aa. 1422, 1423.
3. C. C., a. 1425.
4. Tanqueray, II, n. 67.
5. Lehmkuhl, I, n. 1068.

censetur irrationabilis, quia maritus privare uxorem nequit jure legitima consuetudine concesso. Cavendum est tamen, ne hæc jura extendantur ultra ea quæ mulieres timoratæ ejusdem conditionis facere solent [1].

Quæ autem ad suam familiæque suæ sustentationem necessaria sunt, non tenetur uxor semper diserte a marito postulare : nam, cum non sit serva sed socia, uxor aliquam partem in administratione rei oeconomicæ sibi vindicare potest. Ideo si maritus irrationabiliter quædam necessaria recusat vel justam petitionem moleste laturus prævidetur, potest uxor etiam ea clam surripere. — Insuper potest uxor bona quædam abscondere quibus sibi et proli provideat, si maritus prodigus bona communia aut sua dilapidet. — Potest etiam occulte supplere ea quæ maritus negligit in debita familiæ administratione, v. gr. pecuniam transmittendo ad filium, qui ex voluntate patris studeret vel laboraret extra domum paternam nec sufficientem summam pecuniæ ad convenientem sustentationem a patre acciperet. — Tandem uxor non injuste agit, si inscio marito, nonnulla accipiat, quæ facile ac certo maritus concederet, si rogaretur, quia adest licentia præsumpta, et aliquando datur justa causa non peteudi, ne cogatur se ostendere uti ancillam [2]. — In his omnibus tamen, cavendum est ne nimium sibi aut filiis indulgeat uxor, quia haud raro uxores ad jura sua plus aequo extendenda pronæ sunt [3].

90. 3° Non raro occurrunt dubia de facultate, quæ competat uxori quoad succurrendos parentes suos vel filios e præcedenti matrimonio susceptos et in gravi necessitate constitutos seu misere secundum statum viventes.

Ad hæc dubia solvenda, distinguendum est : *a*) *Si mulier habeat bona propria*, nequit sine consensu mariti ampliores donationes facere ex bonis communibus quam consuetas eleemosynas : quia hi parentes vel filii non censentur ita indigere, ut maritus ad eos sublevandos concurrere debeat, quamdiu uxor, ad quam pertinet eis subvenire, habet sufficientia bona ad id præstandum.

b) *Si talia bona non habeat*, potest ex bonis communibus vel mariti sui illorum necessitati subvenire : nam jure naturæ

1. Gury, I, n. 555 ; Genicot, I, n. 474.
2. Génicot, l. c. ; Delama, n. 42.
3. Tanqueray, II, n. 162.

tenetur eos alere et maritus in id consentire ; unde dissensus mariti esset irrationabilis. — Insuper, cum sit socia mariti sui, videtur ipsi jus esse ut maritus hoc onus commune e bonis suis ferat, sicut ferre deberet si sui parentes vel filii ex priori matrimonio indigerent. — In hoc casu tamen, ab aliis eleemosynis faciendis abstinere debet uxor [1].

Marito autem defuncto, teneturne uxor compensare propter has donationes e bonis communibus vel propriis marito factas, computando illas expensas in partem dotis recuperandæ vel portionis bonorum communium recipiendæ ? — Distinguendum est : 1) *si agatur de minutis donationibus*, non tenetur uxor compensare : nam hæ donationes ut eleemosynæ habentur. — 2) *Si* vero *donationes illæ multum excesserint limites consuetarum eleemosynarum*, plures [2] docent uxorem teneri ad compensationem : nam extraordinarias expensas ex bonis suis vir non tenetur facere vel pati, si uxor bona quædam, saltem quoad nudum dominium, possidet ; plures tamen alii [3] dicunt eam probabiliter non teneri : quia onera omnia, quæ, stante matrimonio, uni e conjugibus naturaliter obveniunt, alteri communia censentur, ac proinde maritus nequit esse rationabiliter invitus.

Quod autem hic de succurrendis parentibus et filiis dicitur, plures [4] probabiliter ad fratres et sorores in eadem necessitate positos extendunt.

91. 4° Jura vero uxorum in bona communia, quæ ex usu et consuetudine eis competunt, non sunt publice in instructionibus proponenda, et ordinarie nec privatim in confessionali nimis est indulgendum mulieribus, cum ipsæ ex indita dominandi libidine valde propendant in jura plus æquo extendenda. Universim magis curandum est, ut uxor marito in caritate, ut par est, subsit et obediat, quam ut juribus suis insistat [5].

92. 5° Maritus tamen contra justitiam peccat : 1) bona uxoris dissipando, *a*) sive ea alienet contra uxoris placitum aut leges civiles, vel uxoris consensum morali violentia aut fraude extorqueat : horum enim bonorum non est dominus, sed solum

1. Lugo, disp. 16, n. 73 ; Lehmkuhl, I, n. 1069 ; Génicot, I, n. 474 ; Zaninetti, II, n. 1067 ; Pighi, II, n. 167.
2. Lugo, disp. 16, n. 71, 72 ; Lehmkuhl, I, n. 1068 ; Génicot, I, n. 474.
3. Haine, II, q. 43 ; Thimothæus, II, n. 230.
4. S. Alphonsus, n. 542 ; Lugo, l. c., n. 72.
5. Noldin, II, n. 368.

administrator, — *b*) sive male et negligenter curam eorum gerat : nam bona uxoris administrare debet tamquam bonus paterfamilias ; secus autem, damnum infert, et, ut damnificator, ad restitutionem tenetur. — 2) Si bona communia alienet modo a lege civili prohibito : nam dimidia pars horum bonorum ad uxorem pertinet, et vir de hac parte disponere nequit nisi ex concessione legis ; jura igitur uxoris usurpat, bona communia contra præscripta legis alienando [1]. Hinc juxta legem canadensem injustus esset maritus, si bona communia per donationem inter vivos largiretur vel personis non idoneis vel fraudulenter.

Si vero maritus intra legis limites hæc bona communia dissipet, ea scilicet vendendo vel permutando, certe peccat contra pietatem et caritatem uxori debitam nam : ea bona in utilitatem communitatis adhibere debet [2] ; — peccatne contra justitiam ? — Plerique [3] affirmant, quia in ipso codice civili hæc bona dicuntur communia, quorum maritus solam administrationem habet. Uxor igitur, etiam durante matrimonio, jus proprietatis in bona communia servat ; proindeque maritus, ea dissipando, lædit ejus strictum jus et consequenter justitiam commutativam. — Alii [4] vero probabilius negant : nam, durante matrimonio, maritus lege civili constituitur bonorum communium dominus, ita ut, quibusdam casibus exceptis, ea etiam alienare possit ; uxori vero conceditur tantum jus petendi communitatis dissolutionem per bonorum separationem, ut se a mariti prodigalitate tueatur. Hæc sententia videtur omnino conformis dispositioni legis nostræ, vi cujus, ut aiunt jurisperiti, [5] maritus habetur ac dominus perfectus bonorum communium et ideo legaliter ea perdere et dissipare potest.

C) De dominio clericorum.

93. Divisio bonorum. — Bona clericorum triplicis sunt generis : patrimonialia, quasi-patrimonialia, et ecclesiastica.

1. Tanqueray, II, n. 164.
2. Marc, I, n. 870 ; Génicot, I, n. 474 ; Pighi, II, n. 167.
3. Ballerini, nota in n. 556, I, Gury ; Waffelaert, I, p. 101.
4. Carrière, I, n. 276 ; Gury, I, n. 556.
5. Migneault, VI, p. 216 ; Langelier, IV, p. 319.

a) Bona **patrimonialia** sunt ea, quæ clericis obveniunt a parentibus aut ab aliis sive per hæreditatem, sive per donationem, sive per successionem, vel quæ proprio labore aut industria personali lucrantur, artem scilicet exercendo a sacris muneribus distinctam, v. gr. libros componendo, statuas conficiendo, etc. ; — aut aliis verbis patrimonialia dicuntur ea bona, quæ clericis obveniunt ex qualibet causa profana, i. e. ex iis titulis, qui sunt communes etiam laicis, videlicet hereditate, donatione, officio non ecclesiastico [1].

b) Bona **quasi-patrimonialia** seu **casualia** sunt ea, quæ clericis contingunt ex labore in ecclesiasticis muneribus exercendis consumpto, qualia sunt stipendia missarum, concionum. — Ad hæc pertinent : (*a*) reditus stolæ, i. e., ea quæ a fidelibus dantur parocho ut quoddam stipendium sui laboris, v. gr. quæ ipsi tribuuntur pro funeralibus, licet iis nullatenus adstiterit : hæc enim dantur parocho ut quoddam stipendium sui laboris et suæ sollicitudinis, nec videntur fideles hæc conferre ecclesiæ, sed parocho ut sua sint sine ullo onere ; (*b*) salaria, quæ accipiunt parochorum cooperatores ; stipendia pro munere docendi Theologiam ; ~~distributiones pro assistentia in choro~~ ; (*c*) ~~oblitiones, quæ ipsi parocho tribuuntur~~ ; (*d*) pensiones, quæ ab ecclesia clericis emeritis aut ægrotis conferuntur : ita constat ex formula T, n. 8, Episcopos canadenses habere facultatem « assignandi pensiones parochis et missionariis ex infirmitate resignantibus parœcias seu missiones, in quas per decem annos incubuerunt, solvendas annuatim a successore, non excedentem tertiam partem fructuum quolibet modo provenientium ex parœciis vel missionibus. »

Hæc bona etiam vocantur **industrialia**, aut **quasi-ecclesiastica** [2].

c) Bona **ecclesiastica** seu **benificialia** sunt ea, quæ clerici percipiunt ex beneficiis ecclesiasticis ; aut aliis verbis : sunt ea, quæ ex bonis Ecclesiæ propter munus spirituale clericis obtingunt [3]. — Ad hæc pertinent reditus bonorum, quæ ecclesia possidet, uti sunt fundi vel domus quæ ibi locatæ sunt ; nam parochi habent administrationem et usumfructum talium bonorum ;

1. Tanqueray, II, n. 166 ; Zaninetti, II, n. 1059.
1. Delama, n. 28 ; Noldin, II, n. 370 ; Gury, I, n. 565.
2. Waffelaert, I, n. 146 ; Marres, I, n. 97.

insuper in nostra regione ad bona ecclesiastica pertinent decimæ et supplementa, quæ parochis a communitate aut a quibusdam in communitate ad congruam sustentationem erogantur, quia publica auctoritate in locum bonorum ecclesiasticorum substituuntur ; in aliis autem regionibus, vel salaria quæ parochis a communitate erogantur, vel ea quæ loco decimarum a fidelibus solvuntur.

Bona ecclesiastica vero subdividuntur in necessaria, parcimonialia, et superflua. — (*a*) **Necessaria** dicuntur ea, quibus clerici indigent ad honestam sustentationem. — (*b*) **Parcimonialia**, quæ clerici honeste vivendo consumere possent, sed parcius vivendo de reditibus beneficii seponunt. — (*c*) **Superflua**, quæ honestæ sustentationi supersunt.

Nomine autem honestæ sustentationis venit quidquid moraliter necessarium est ad victum, vestitum, recreationes et convivia moderata ipsorum clericorum, ad stipendia famulorum, ad moderatas donationes et alias similes expensas a status decentia requisitas. In his determinandis, ratio habenda est variæ dignitatis clericorum, et attendi debet modus quo in singulis regionibus clerici paris conditionis et timoratæ conscientiæ expensas suas moderari solent [1].

94. Regulæ juris de dominio clericorum. — I. — Clerici dominium habent perfectum bonorum **patrimonialium**. — Etenim clerici ex lege naturali sunt dominii capaces, nec ulla lege positiva prohibentur, quin de prædictis bonis libere disponant ; aliunde nullum paupertatis votum emiserunt. Hæc igitur bona pleno jure pertinent ad ipsos clericos, qui consequenter eadem perinde ac laici, in quos velint usus, expendere valent [2].

95. II. — Clerici habent pariter dominium perfectum bonorum **quasi-patrimonialium**. — Dantur enim a fidelibus non quidem ut pretium rei sacræ, sed tanquam compensatio vel laboris occasione rei sacræ impensi, vel expensarum quas clerici incurrere debuerunt dum ad munera sacra rite exercenda sese præpararunt, aut donantur gratitudinis causa. Jamvero minime constat intentionem fidelium esse ut clerici hæc bona in usus pios expendant ; sed potius ex adjunctis hæc donasse censentur

1. Delama, n. 28 ; Gury, I, n. 561 ; Scavini, II, n. 309.
2. Delama, n. 29.

absolute, absque ulla conditione. Ergo de eis ad libitum disponere valent clerici.

Ad quæstionem vero quænam fidelium oblationes ad parochum spectent, respondendum est quod si agatur de oblationibus, quæ vere debentur, v. gr. occasione matrimonii vel funeris, et quæ generatim a statutis determinantur, nisi lex definiat quota pars parocho, vicariis aliisve ministris tribuenda sit, hae oblationes de jure communi ad parochum spectant, ita ut pro se fundatam in jure intentionem habeat[1] : huic legi particulari aut communi omnino standum est in conscientia. Si vero agatur de spontaneis oblationibus, ac nihil de iis definitum fuerit sive lege sive consuetudine, intentio fidelium attendi debet, quum ipsis liberum sit aliquid dare vel non, et cuicumque voluerint. Generatim sacerdoti ipsi, qui sacrum ritum perficit, hanc oblationem largiri intendunt[2].

96. III. — Clerici e **bonis ecclesiasticis** sumere possunt quidquid ad honestam sustentationem requiritur. — Ratio est, quia hæc pars redituum ecclesiasticorum est justa merces eorum, qui Ecclesiæ deserviunt : justum est enim, ut qui Ecclesiæ operam præstant, ab eadem sustententur. Dixit quippe Christus Dominus : « Dignus est enim operarius mercede sua » ;[3] et Apostolus : « Quis militat suis stipendis unquam ? — Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt ; et qui altari deserviunt, cum altari participant ? »[4] In hunc autem finem præcipue instituta sunt beneficia[5].

An autem clericus habens ex patrimonio unde vivat, ex fructibus beneficii se sustentare possit ? — Affirmative. Ratio est, quia justum est ut ille, qui laborat in Ecclesia, ab eadem sustentetur : igitur non ratione paupertatis, sed ratione laboris clericus ad sustentationem jus habet. Unde clericus potest patrimonium parcere, dum fructibus beneficii utitur ad sustentationem suæ dignitati convenientem[6].

1. Reiffenstuel, lib. III, tit. 30, de Decimis ; Gury, I, n. 565 ; Marres, I, n. 100.
2. Tanqueray, II, n. 168.
3. Luc., X, 7.
4. I. Cor. IX, 7-13.
5. Delama, n. 30 ; Pighi, II, n. 169.
6. Gury, I, n. 562 ; Delama, n. 30.

97. IV. — Clerici gaudent dominio perfecto bonorum **parcimonialium**. — Clerici enim habent jus ad honestam sustentationem, ideoque suos faciunt reditus ecclesiasticos, qui ad honeste vivendum sunt necessarii. Proinde si, parce vivendo et a legitimis recreationibus abstinendo, aliquid seponere possunt ex illis reditibus quos suos fecerunt, id tanquam fructus industriæ et parcimoniæ spectari potest, et ad illos omnino pertinet. Ergo.

98. V. — Clerici **superflua** ex bonis ecclesiasticis tenentur sub gravi pauperibus vel in usus pios erogare. — Probatur *a*) ex Conc. Trid., quod ait : « Ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresque suos augere studeant (beneficiarii), cum et Apostolorum canones prohibeant ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent. » — *b*) Benedictus XIV hæc habet [3] : « Hanc obligationem omnes Ecclesiæ canones aut imponunt, aut omnibus impositam agnoscunt qui Ecclesiæ militant stipendiis. » — *c*) Ex intentione donatorum : hi enim pecuniam aliaque bona Ecclesiæ dederunt ut in pios usus, non autem profanos, converterentur, ideoque in clericorum sustentationem aliaque pia opera, non autem ad augendas opes sive clericorum sive eorum familiæ [4].

Attamen sedulo notandum est : 1° ut materia censeatur gravis in male expendendo bona superflua, requiritur quantitas multo major quam in furto, ut docet S. Thomas, qui requirit multum excessum ad malam fidem clerici constituendam. — Quænam vero sit ista notabilis quantitas ? Verius dicitur sufficere partem vigesimam superfluorum bonorum ad materiam gravem constituendam. (Hæc tamen norma superfluum sat pingue supponit). [5] — 2° Nomine pauperum veniunt non soli ostiatim mendicantes, sed ii omnes, qui sine alieno subsidio nequeunt honestum suum statum conservare. « Si consanguinei pauperes sint, iis ut pauperibus clerici distribuant », ait Conc. Trid [6]. Caritatis enim ordo postulat, ut clericus aliis pauperibus præferat consanguineos pauperes, dummodo illud faciat

1. Tanqueray, II, n. 171.
2. Sess. XXV, cap. I. de Reformat.
3. De Syn. l. VII, c. 2.
4. Haine, II, q. 45 ; Tanqueray, II, n. 174.
5. Ærtnys, I, n. 254.
6. Sess. XXV, c. 1., de Reform.

moderate, i. e. ut non indigeant, non autem ut ditiores fiant. Præterea subventio propinquorum, qui aliter statum suum servare nequeunt, pertinet ad proprium statum clerico ipsi servandum : cum talis illorum indigentia quodammodo in ejus dedecus redundet [1]. — 3° Clericus vero potest servare superfluum in futurum. Nam licet habeatur vulgare axioma : « Melius est dare, quam legare », attamen per se nulla est obligatio immediate erogandi superflua, sed reservari possunt ad erigendam piam fundationem aliave opera pia facienda, modo bona fide procedatur et magna cautio adhibeatur ne post mortem sacerdotis ad usus profanos convertantur vel a consanguineis et familiaribus surripiantur. Ideo de iis bonis tenentur clerici condere testamentam [2]. — Insuper, ut habent II Con. Queb., d. XIV, « de bonis propriis, si quæ habeant clerici, non negligant prudenter et opportune testamentum conficere, ne unquam litibus, vel discordiis occasionem præbeant, et ne quod Christi pauperibus aut Ecclesiæ relinquere debent, transeat ad familiam ditandam. » — Et Conc. VII Queb., d. X, post renovationem hujus obligationis, addit : « Singulis annis, præsertim tempore anni secessus, unusquisque sacerdos testamentum suum revideat, et, si opus fuerit, emendet. »

99. **Hæc tamen obligatio impendendi superflua bona in** pios usus ligatne clericos ex justitia, ita ut qui hanc partem ad profanos usus detorquet, restitutionis onere teneatur ? — Magnopere controvertitur, et sententiæ habentur utrimque probabiles. — Alii affirmant, [3] quia dominium superfluorum non est penes clericos, adeoque ex justitia tenentur ea expendere in causas pias. Nam *a*) juxta Patres et sacros canones, bona ecclesiastica sunt *patrimonium Christi*, *patrimonium pauperum*, quorum proinde clerici sunt meri administratores, ita ut *rapinæ* et *sacrilegii* rei habeantur qui in usus profanos hæc bona expendunt. Porro hoc nihil aliud significat eos veræ injustitiæ esse reos, ideoque ad restitutionem teneri. — *b*) Fideles, sua bona Ecclesiæ donando, nihil aliud intendunt nisi clericos sustentare, pauperes sublevare, ac Dei cultum fovere ; non autem clericos

1. Delama, n. 31.
2. Delama, n. 31 ; Gury, I, n. 561.
3. Navarrus, de ecclesiast. Redit., quæst. II, monit. 7 ; Comitolus, Rsp. mos. l. I, q. 70-71 ; Antoine, de Obligat., c. I, q. 5 ; Habert, de Just., c. 21 ; Carrière, n. 162, et alii quos his auctor refert n. 157.

aut eorum nepotes ditare ; atqui clerici, hæc bona accipiendo, implicite saltem et vi quasi-contractus in se suscipiunt donatorum intentiones exequi ; ergo, reditus ecclesiasticos dissipando, quasi-contractum ideoque justitiam violant. — Alii [1] cum Sto Thoma negant : quia clerici horum verum habent dominium, adeoque obligatio ea expendendi in causas pias oritur juxta plures ex virtute religionis, juxta alios vero ex solo Ecclesiæ præcepto. — Nam *a*) ex Tridentino, dum non residentes privat fructibus omnibus tam necessariis quam superfluis, dicendo quod illos non faciunt suos, implicite declarat quod residentes eosdem faciunt suos, sine ulla exceptione ; atqui facere fructus suos idem est ac eorum dominium acquirere ; ergo, si verum dominium acquirunt hujusmodi fructuum, contra justitiam non peccant, etiam eos dilapidando. — *b*) Numquam meminit Ecclesia obligationis ex justitia, neque oneris restitutionis profane expensorum, quod tamen facere debuisset, eo quod restitutionis defectus gravissimum afferret causis piis detrimentum, quarum cura maxima est Ecclesiæ. — *c*) Reditus beneficiales omnes habent rationem mercedis, licet liberalioris ; ergo omnes transeunt in dominium operariorum. — *d*) Bona ecclesiastica dicuntur quidem *patrimonium Christi*, quia intuitu Christi donantur ; *patrimonium pauperum*, quia redituum superflua ex caritate pauperibus distribui debent ; et rapinæ rei habentur, qui hæc superflua dissipant, quia Patres oratoria quadam exaggeratione injustitiæ redarguunt divites qui esurientes non pascunt.

Unde in praxi hæc benignior sententia permitti potest, nec ad restitutionem cogendi sunt clerici qui in usus pios hæc superflua non impenderunt ; sed simul monendi sunt gravem ipsis incumbere obligationem hæc piis usibus applicandi, saltem ex caritate, et, ut aiebat Bellarminus, « parum refert utrum prælatus damnetur ad inferos, quia peccavit contre justitiam, an quia peccavit contra caritatem.» [2] — Habent igitur clerici in bona ecclesiastica etiam superflua dominium verum, sed gravatum onere, quod natura bonorum exigit, ea nempe erogandi in usus pios. [3]

1. S. Thomas, Quodlibet, VI, p. 7, a. 12, ad 3 ; Soto, l. X, q. 4, a. 3 ; Lugo, disp. IV, n. 17 ; Lessius, l. II, c. 4, n. 43 ; Salmanticenses, c. II, n. 155 ; S. Alphonsus, III, n. 492, plerique hodierni auctores.
2. Tanqueray, II, n. 177.
3. Noldin, II, n. 371.

100. Quoniam vero hæc obligatio clericorum est personalis, nec transit ad hæredes seu donatarios, ideo consanguinei vel alii non pauperes, qui superflua redituum male a clericis expensa recipiunt, non tenentur ad ea explenda in pios usus, nec probalius peccant ea recipiendo, quia non cooperantur clericorum peccato, quod jam commissum est [1], nisi ipsi eos induxerint ad donandum. Hoc tamen in casu, peccant accipiendo, eo quod clericorum peccato cooperantur, sed non tenentur ad restitutionem causis piis faciendam, quia nec ipse clericus ad id stricte obligari potest, nisi tamen fraude mediisve injustis clericos ad talem donationem induxerint, eosve a testamento condendo impediverint, quo melius et securius eorum hæreditatem adirent : jam ex hac sola causa ad restitutionem erga pauperes vel causa pias, ut quilibet in simili fraude, tenentur. [2]

Tandem notandum est quod infelicissimum exitum bona a clericis quibuscumque congesta ad consanguineos aliosque ditescendos sortiri, atque divinam maledictionem in cœtera quoque istorum bona evocare, quotidiana experientia docet. [3]

D) *De dominio auctorum*

101. DEFINITIO. — Auctoris nomine venit : *a*) qui librum conscripsit ; *b*) qui aliquid ingeniose composuit, ut musicum rythmum, picturam ; *c*) qui aliquid proprio ingenio invenit, e. gr., theoriam scientificam, remedium medicinale, machinam operi cuidam peragendo aptam. [4]

102. JURA AUCTORUM. — I. EX JURE NATURALI. — *A*) **Ante manifestationem.** — Auctor jure naturæ in opus scientiæ vel artis, quod ipse invenit, dominium perfectum habet, antequam sit publici juris factum. Etenim res, cujus aliquis est auctor, considerari debet ut fructus ingenii sui : jamvero unusquisque jus habet in fructus ingenii sui. — Insuper, quoniam res fructificat domino, auctor strictum jus habet in fructus, quos ipsa

1. Haine, II, q. 46 ; S. Alphonsus, II, n. 492.
2. Lehmkuhl, I, n. 1074.
3. Delama, n. 32.
4. Noldin, II, n. 369.

res a se inventa seu opus a se exaratum producit. — Hinc auctor duplex jus habet : *a*) ne, ipso invito, vulgetur opus suum ; *b*) ne minuatur lucrum ex vulgato opere percipiendum. Ideo contra justitiam agit et ad reparationem damni tenetur, attendendo tamen unice ad posterius, ille qui, invito auctore, typis edit opus manuscriptum, vel secretum fabricationis divulgat, quod tantum e communicatione ab auctore facta vel per fraudem cognoscit. [1]

103. Dubium vero moveri potest, num idem dicendum sit de lectionibus a professore publice traditis, concionibus ab oratore publice habitis, et similibus : si sit enim privata lectio vel concio, juxta omnes auctor totum jus suum retinet. [2] — Licet quidam [3] doceant negandum esse, tum quia res in communitatem jam tradita, eo ipso facta est de communi jure ; tum quia nemo est, qui tamquam injustos condemnat eos, qui in ephemeridibus edunt typis sermones deputatorum vel senatorum in Parlamentis, vel aliorum in publicis conventibus ; — attamen plures [4] affirmant : nam per talem communicationem non videtur auctor cedere juri quod habet in fœtum proprii ingenii, et ideo in fructus quos per editionem lectionum vel concionum obtinere potest : doctrina enim fit publica, non vero modus exponendi. — Eo ipso autem, quod quis publice docet aut concionatur, modus exponendi fit aliquo modo tantum publici juris ; ideo impediri nequit, quonimus auditores eum faciant suum, pro opportunitate eo utantur vel ad usum suum privatum describant et scriptum aliis commodent. [5] — Insuper aliquem ampliorem usum licitum facere potest aut consensus (si enim auctor sciat et taceat, præsumitur consentire) aut consuetudo (si quæ hujusmodi juxta consuetum usum in solis ephemeridibus publicentur, consuetudini standum est). — Hæc autem solutio servanda videtur, etiamsi foliis autographicis, ut aiunt, opus jam paucis communicatum sit : hæc enim folia supplent tantum privatam scriptionem. — Quodsi codex autographicus cuilibet venalis prostitit, jam idem dicendum est ac si opus typis publicatum esset.

1. Ballerini, III, n. 114.
2. Zaninetti, II, n. 1049.
3. Bucceroni, I, n. 880.
4. Lehmkuhl, I, n. 1078 ; Gury, I, n. 567 ; Génicot, I, n. 477 ; Ballerini, III, n. 114.
5. Noldin, II, n. 369.

Ex jure naturali.

104. *B*) **Post publicationem.** — Quando auctor opus aliquod suum typis edidit, si solum jus naturæ spectetur, duplex datur sententia : alii [1] censent manere auctori jus strictum ne opus suum ab alio excudatur, quia, dum istud typis mandavit, unice consensit in usus qui sibi non præjudicarent, qualis esset descriptio privata ; alii [2] arbitrantur lædi tantum æquitatem, minime vero strictam justitiam, quia opus, semel publice editum, fit ementis proprietas, ita ut de illo ad quoscumque usus per se licitos disponere possit. — Præplacet prior sententia quando agitur de prima libri editione, ne scilicet ullus possit idem opus recudere ita ut auctor et bibliopola damnum patiantur in lucro conveniente quod ex hac publicatione rationabiliter sperent. Ultra hos limites videtur non constare de jure stricto, sed omnia legi positivæ determinanda relinqui. [3]

105. Similis solutio applicanda est statuarum, imaginum et et similium reproductioni, quæ inscio vel invito auctore fiat. — Pariter, spectato jure naturæ tantum, controvertitur num justitiam commutativam lædat qui opus, in una regione typis mandatum, in alia regione iterum typis edat. Attamen, qui pro jure stricto e lege naturali oriundo stant, facilius concedunt non esse faciendam restitutionem quando altera editio, invito auctore, fit in regione valde dissita : quia vix impedietur auctor quominus lucrum conveniens percipiat. — Tandem si quis, sine consensu auctoris, edat versionem ipsius operis in alia lingua, magis dubium fit num, spectato jure naturæ, justitiam commutativam lædat. Nam minus solet auctori nocere ; lucrum autem, quod translator percipiet, sæpe ipsius labori in translatione facienda respondebit. [4]

106. II. EX JURE POSITIVO. — Si vero spectetur lex positiva, apud omnes fere gentes excultas, jus strictum habet auctor adimplens requisitas formalitates, ne idem opus suum in eadem natione sive eodem sermone sive in alium sermonem translatum, sine suo consensu, ab alio iterum typis edatur. Neque ullum dubium est quominus hæ legis dispositiones in conscientia servandæ sint : siquidem jura civium determinant ea ratione, quæ plene cum æquitate naturali et bono communi conveniat. [5]

1. Ballerini, III, n. 115 ; Lehmkuhl, I, n. 1077 ; Génicot, I, n. 477.
2. Bucceroni, I, n. 878.
3. Génicot, I, 477 ; Waffelaert, I, n. 171.
4. Génicot, I, n. 478.
5. Tanqueray, II, n. 41.

107. Pro regione nostra, id statutum est [1] : Quilibet inventor alicujus mechanementis aut composotionis potest obtinere a Ministro Agriculturæ Conventus Federalis diploma aliquod ei conferens exclusivum dominium suæ inventionis. Diploma hoc datur vel pro quindecim, vel pro decem, vel pro quinque annis. [2] — Insuper auctor alicujus libri, mappæ, rythmi musicalis, picturæ, graphidis (dessin), statuæ, sculpturæ vel photographiæ gaudet per 28 annos a die declarationis (enrégistrement) jure exclusivo typis mandandi, reproducendi vel vendendi hoc opus, et permittendi translationem quamqumque operis litterarii. [3] — Si agatur de articulis in ephemeridibus editis, idem privilegium obtinetur, dummodo titulus operis et brevis ejusdem analysis deposita fuerint in Ministerio, et quilibet articulus munitur hac inscriptione : Enregistré conformement aux droits d'auteur. [4]

Quoad vero factum typis iterum mandandi opera jam typis mandata in aliis regionibus, qui sic ageret, injustitiam committeret propter pactum internationale, dictum « Convention de Berne,» quod in toto Canada receptum fuit.

Tandem lege civili quandoque prohibetur, ne repræsententur fabulæ aut dramata jam typis edita, aut executioni tradantur musicalia opera, etc., nisi pars fructus inde percepti aut determinatum pretium auctori solvatur. Tales vero ordinationes non videntur in conscientia obligare aute judicis sententiam, neque aliter etiam timorati eas interpretantur. Non enim videtur quod lucrum inde perceptum excedat justam mercedem labori et peritiæ ludentium debitam ; neque damnum certum inde auctori infertur, cum potius hac ratione nomen ejus divulgetur et foveatur diffusio ejus operum. [5]

2) *De dominio personarum moralium*

108. DEFINITIO. — **Persona moralis** est ens juridicum, cui leges capacitatem juris acquirendi et exercendi, necnon privilegium perpetuæ successionis agnoscunt. [6] — Constat vel ex

1. Statutis recognitis, cap. 61 et 62, 49 Victoria.
2. S. R., cap. 61, a. 7, 22.
3. S. R., cap. 62, a. 4.
4. S. R., c. 62, a. 7.
5. Bulot, I, n. 501.
6. Zaninetti, II. n. 1057.

pluribus personis cœxistentibus, uti collegium ; vel ex una persona, quæ nunquam moritur, ut episcopus, qui semper in suis successoribus vivit.[1] — Differt, per se, a societate conventionali : hæc enim initur contractu inter privatos, qui condominium habent, ideoque jus strictum retinent ad bona communia ; illa autem constituitur per actum auctoritatis publicæ, et bona pertinent ad corpus quin membra habeant condominium, juxta illud juris romani : « si quid universitati debetur, singulis non debetur ; nec quod debet universitas, singuli debent.»[2] Quodsi societas conventionalis (v. gr. industrialis) existentiam legalem accipiat, fit quidem persona moralis, sed non stricto sensu.

109. DIVISIO. — Personæ morales institutæ sunt vel ad cultum divinum et officia spiritualia, et **ecclesiasticæ** dicuntur, uti sunt beneficia, capitula, monasteria, paroeciæ ; vel ad bonum temporale directe procurandum et civilia expedienda negotia, et sunt **civiles**, ut municipia, societates industriales ; vel ad exercenda caritatis officia, uti nosocomia, montes pietatis, et utrum sint ecclesiasticæ, an civiles, ex fundationum tabulis æstimari debet ; in dubio, ecclesiasticæ jure canonico consentur.[3] — Iterum personæ morales sunt vel **publicæ**, vel **privatæ** prout bonum ad quod tendunt est bonum commune vel particulare : ita municipia tanquam personæ morales publicæ habentur ; societates industriales limitatæ, ut aiunt, ut privatæ existimantur.[4] — In nostra regione omnes personæ morales ecclesiasticæ habentur lege civili ut publicæ.[5]

110. ORIGO. — Personæ morales constitui nequunt injussu publicæ auctoritatis, vel ecclesiasticæ vel civilis, prout ipsæ sunt vel ecclesiasticæ vel civiles. — Ita ex jure tum civili tum canonico. — Ratio est, quia personæ morales generatim non consistunt sine agnitis privilegiis, quæ a solo rectore supremo concedi queunt.

Hinc : 1° personæ morales quæ ad civilia negotia expedienda pertinent, debent approbari aut constitui a rege vel civili præside ; 2° quæ pertinent ad divinum cultum vel officia spiritualia, debent constitui auctoritate Romani Pontificis vel Ordinarii ; 3° quæ

1. Marc, I, n. 871.
2. Marc, I, n. 871 ; Marres, I, n. 114.
3. Zaninetti, II, n. 1057.
4. Tanqueray, II, n. 181.
5. C. C., a. 355.

pertinent ad officia caritatis, possunt erigi ab alterutra auctoritate, et ex erectione reputantur ecclesiasticæ vel civiles [1]. — Attamen in nostra regione, ut persona moralis constituta ab Ecclesia omnibus suis juribus gaudeat, debet insuper agnosci ab auctoritate civili. Hæc vero agnitio fit vel per adimpletionem formalitatum a lege civili determinatarum, vel per legem (bill privé) latam a Conventu legislatario, quæ lex vocatur « incorporatio.» Ita in provincia Quebecensi episcopus cujuslibet dioeceseos in collegium civile erigitur ipso facto erectionis canonicæ diœceseos et canonicæ nominationis episcopi [2]; item paroeciæ canonicæ erectæ juxta leges ecclesiasticas et usum uniuscujusque diœceseos habentur a lege civili ut personæ morales seu, ut aiunt, corporationes, quæ valent bona temporalia posidere et administrare, in judicio convenire vel conveniri [3]; hae tamen corporationes ex lege civili non habent jus illimatatum bona immobilia possidendi, sed, quia non existunt nisi ad fines cultus divini, possunt possidere tantum ea quæ auctoritas civilis judicat ad hunc finem necessaria [4]; si autem plus juris obtinere volunt, paroeciæ recurrunt ad cœtum legislatorum et obtinent omnia jura personæ civilis [5]. Tandem fabrica est persona moralis ecclesiastica, quæ agnoscitur a lege nostra ut administrator bonorum ad parœciam pertinentium et quæ constat ex parocho et matriculariis nominatis ab episcopo vel electis a membris paroeciæ [6]. — Quoad omnes alias personas morales quas Ecclesia potest constituere, requiritur incorporatio civilis. — Hae vero leges, tametsi sacris canonibus contrariæ, possunt observari, in quantum scilicet Ecclesia non contradicit ; imo, sæpe debent observari, ne actus administrationis fiant civiliter irriti, et majus inde detrimentum Ecclesiæ obveniat [7].

111. JURA ET PRIVILEGIA. — Personæ morales, ubi primum sunt constitutæ, habentur generatim instar privatorum. Quamobrem habent nomina propria, sub quibus designantur, cognoscuntur et agunt ; insuper, si constent ex pluribus, possunt

1. Marc, I, n. 871 ; D'Annibale, I, n. 39-40.
2. Ex statutis, 12 Victoria, cap. 136, et 32 Victoria, cap. 73.
3. Statuta refusa, a. 3371 ; Gignac, II, n. 525-526.
4. S. Ref., a. 3450, 3443.
5. Gignac, II, n. 737.
6. Mignault, Droit paroissial, p. 225.
7. Craisson, n. 5303 ; Marc, I, n. 875.

juxta approbata sua statuta eligere officiales, qui eas in omnibus actibus representant [1]; possunt per hos officiales sibi acquirere per actus inter vivos et ultimæ voluntatis, contractus inere, in judicio agere, opponere præscriptionem, etc. — Diximus : *generatim :* in collegiorum enim bonis socii habent solum jus ea administrandi ex eisque percipiendi fructus, idque juxta normam fundationis ; salva tamen dominii substantia, quæ, ex fundatorum destinatione, est commune patrimonium omnium, qui in posterum sunt in collegium cooptandi. Quapropter communitates, sive ecclesiasticæ sive civiles, reguntur in multis jure minorum, ne scilicet intentiones fundatorum fraudentur infida administratione, et opes futuris generationibus servandæ periclitentur. Sic v. gr., immobilia et pretiosa mobilia ecclesiarum, monasteriorum, municipiorum, etc. nequeunt injussu supremæ potestatis alienari [2].

Quoad vero societates industriales incorporatas sub sociali quadam ratione seu cum limitatione, uti aiunt, lex nostra determinat socios non obligari nisi pro parte quam habent in ipsa associatione, et non teneri personaliter ad solvenda debita, quæ ipsa societas juxta statuta sua et requisitas formalitates contraxit [3].

112. EXSTINCTIO. — *a*) Personæ morales publicæ evanescunt vel per actum dissolutionis ab auctoritate competenti latum, vel per mortem naturalem omnium membrorum, et earum bona ad ecclesiam vel ad fiscum pro communitatis natura deferuntur.— Attamen, si unus collega superstit, jus omnium in unum recidit ; ideoque jus regularium, si unus vel alter custos aut capellanus ibi remanserit, in hanc superstitem recidit [4]. — *b*) Personæ morales privatæ evanescunt vel per actum dissolutionis a Conventu legislatorio latum, vel per mortem naturalem omnium membrorum, vel per mutuum consensum, vel per voluntariam cessionem omnium bonorum. Si autem dissolvantur per actum auctoritatis supremæ vel per mortem membrorum, omnia eorum bona, solutis debitis, pertinent ad fiscum. In aliis vero casibus, bona, quæ solutis debitis supersunt, inter diversos socios dividuntur [5], juxta ratam partis quam singuli in associatione habent.

1. C. C., aa. 357, 359, 360.
2. Marc, I, n. 871 ; Zaninetti, II, n. 1058.
3. C. C., a. 363.
4. Zaninetti, II, n. 1058 ; Marc, I, n. 871.
5. C. C., aa. 368, 370, 371.

ARTICULUS IV

De modo acquirendi dominium

113. Prænotamen. — « Deus generi hominum donavisse terram in communi dicitur, non quod ejus promiscuum apud omnes dominatum voluerit, sed quia partem nullam cuique assignavit possidendam, industriæ hominum institutisque populorum permissa privatarum possessionum descriptione.»[1] Ideo quærendum est qua ratione aut quo modo res in privatum alicujus dominium veniant.

114. DEFINITIO. — Modus acquirendi dominium ab aliis [2] dici solet factum contingens, legis naturalis vel positivæ auctoritate munitum, quo dominium acquiritur ; ab aliis [3] dicitur titulus quilibet, seu causa ex se idonea ad dominium conferendum.

DIVISIO. — *a*) **Ratione originis**, alius oritur ex jure naturali, cui accedere potest determinatio legis positivæ, nempe **occupatio** et **accessio** ; alius ex jure positivo, scilicet ex lege humana (civili aut canonica), quæ quandoque, ratione boni communis, transfert dominium de uno ad alterum, nempe **prescriptio** ; alius ex voluntate prioris domini, saltem præsumpta, nempe **successio hæreditaria** et **contractus**. [4]

b) Ratione **objecti**, alius est **originarius**, qui habetur quando res, quæ acquiritur est aut censetur esse nullius, et sub hoc respectu venit **occupatio** ; alius dicitur **derivativus**, et datur quando acquiritur res, quæ jam ad alium spectat, et sub hoc respectu veniunt **accessio**, **præscriptio**, **successio hæreditaria**, et **contractus**. [5]

De singulis modis acquirendi dominium nunc agendum est ; quia tamen tractatio de contractibus longior evasit, eam ad specialem disputationem remittimus. Hinc agendum erit in quatuor sectionibus de occupatione, de accessione, de præscriptione, et de successione hæreditaria.

1. Génicot, I, n. 479, citans Leo. XIII, Const. « Rerum novarum.»
2. Waffelaert, I, n. 169.
3. Bucceroni, I, n. 882.
4. Marc, I, n. 877.
5. Lehmkuhl, I, n. 1079 ; Tanqueray, II, n. 2..

I. *De occupatione*

115. DEFINITIO. — Occupatio est apprehensio rei corporalis, quæ sub nullius dominio sit, cum animo eam sibi acquirendi. Proinde requiruntur duo ex parte objecti et duo ex parte subjecti.

Ex parte objecti, requiritur : (*a*) **res corporalis,** scilicet imprimis requiritur res quæ dominii objectum esse possit, et ideo non sit communis, nec publica seu publici dominii ; jamvero objectum dominii sunt illæ res quæ, extra hominem positæ, humano usui inservire possunt et ita unius potestati subjici possunt ut alienam occupationem excludant [1] ; — insuper hæc res debet esse corporalis, ut capax sit proprie dictæ apprehensionis, quæ cadere non potest in jura incorporalia ; — (*b*) ut illa res **sit sub nullius dominio** : nam si res jam habeat dominum, aliius titulus requiritur ut fiat mea, quia secus occupatione injuria fieret domino.


Ex parte subjecti, requiritur : (*a*) **effectiva rei apprehensio,** scilicet ad occupationem opus est actu corporeo, quo connexio physica fiat rem inter et occupantem [2] ; porro hæc apprehensio fit eo modo, quem quævis res patitur vel fert usus, v. gr. manu, rete, laqueo, vulnere inflicto ; ideoque sufficit ut facto voluntario et externo res in potestatem redigatur : proinde hæc habetur, si quis animal, quod libere vagabatur, sub suam potestatem redigat, vel si quis solum nullius in agrum aut pascua convertat ; exigitur autem factum externum, quia alioquin daretur locus innumeris litibus [3] ; — (*b*) **animus rem faciendi suam**, scilicet ille qui occupat, debet habere animum acquirendi dominium : ut enim res fiat nostra, non sufficit ut nostræ potestati subjiciatur, sed requiritur voluntas nostra : alioquin non existit illa relatio, qua constituitur dominium [4] ; ita qui domum derelictam occuparet unice ut ubi pernoctaret, eam tali apprehensione non faceret suam ; si vero eam occuparet animo stabilem sedem in ea figendi, apprehensio apta fieret ad dominium acquirendum [5].

1. Marres, I, n. 11.
2. Piscetta, III, n. 110.
3. Zaninetti, II, n. 1071 ; Haine, II, q. 51.
4. Carrière, I, n. 286.
5. Génicot, I, n. 480.



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART

(ANSI and ISO TEST CHART No. 2)



116. EFFECTUS. — Occupatio proprie dicta est legitimus modus acquirendi dominium, ut constat ex effato communi : « Res nullius fit primi occupantis ». Ratio est, quia ille modus acquirendi dominium est legitimus, qui nulli infert injuriam seu nullius jus lædit ; talis autem est occupatio rei domino carentis ; ergo [1].

117. Nunc autem temporis in nostris regionibus valde limitatur jus occupationis, quum paucæ sint res nullius, ac plerumque lege civili determinetur cujusnam sint bona vacantia. Quatuor manent tamen de quibus inquiri potest : animalia, thesaurus, res amissæ, et res derelictæ aut vacantes [2]. Unde in quatuor paragraphis exponere oportet ea quæ respiciunt occupationem animalium, inventionem thesauri, inventionem rerum amissarum, et occupationem bonorum derelictorum seu vacantium.

A. De occupatione animalium

118. DISTINCTIO ANIMALIUM. — Triplicis generis distingui possunt animalia occupanda : *a*) **mansueta** seu **domestica**, quæ naturali libertate non fruuntur, sed ita hominum societati assuefacta sunt ut amplius non aufugiant e potestate domini et, quasi natura sua, domesticis usibus inserviaut, uti sunt gallinæ, equi, oves, canes, etc. ; — *b*) **mansuefacta** seu **cicurata**, quæ in naturali quidem libertate nascuntur, sed hominis industria ea privantur, et ad dominium et consortium hominum redacta sunt, ut apes in alveari, columbæ, aves in cavea ; quibus adnumerantur etiam pisces in privatis piscinis, et feræ iis in locis inclusæ e quibus evadere nequeunt : — si autem primam libertatem recuperent, dicuntur **efferata** [2] — *c*) **fera** seu **sylvestria**, quæ natura sua humanum consortium abhorrent et naturali libertate fruuntur, ut lepores, pisces, aquilæ, leones, etc [3].

119. OCCUPATIO ANIMALIUM. — I. **Mansueta** seu domestica animalia remanent prioris domini, etsi multo aberrent vel

1. Ærtnys, I, n. 259.
2. Noldin, II, II, n. 373 ; Tanqueray, II, n. 211.
3. Noldin, II, n. 374 ; Delama, n. 46 ; Lehmkuhl, I, n. 909 ; Zaninetti, II, n. 1072.

e custodia abscesserint. Ratio est, quia animalia domestica nunquam possunt dici recuperasse suam libertatem, quum ex natura sua libertatem nullam habere consentur. Unde non abrumpitur vinculum, quo cum domino suo constringuntur, solo facto evadendi custodiam, sicut neque aliæ res amissæ cessant ipso facto esse domini ; ideoque nunquam fiunt nullius, et nunquam possunt ab alis occupari neque ipsa neque eorum fructus, sed domino restitui debent, etiam mortua, ubicumque reperta fuerint. — Idem valet etiam in casu quo domino certe periissent, nisi ab interitu liberata fuerint : res enim non desinit esse domini sui, eo quod per alium ab interitu vindicata est ; ideo animalia domestica incendio vel lupo erepta domino restituenda sunt, sed pro labore justum stipendium debetur [1].

120. II. *a*) Animalia **mansuefacta** seu cicurata prioris domini remanent, quamdiu non evaserint custodiam vel consuetudinem revertendi amiserint. Etenim ejusmodi animalia ad possessorem pertinent tum ratione occupationis, tum ratione educationis et detentionis. Igi- tur non licet ea fraudibus aut illecebris inducere ut domicilium actuale relinquant : his enim artibus vera domino fit injuria [2]. — Dicitur : *quamdiu non evaserint custodiam, vel consuetudinem revertendi non amiserint :* animalia enim, quæ in custodia detinentur, sunt duplicis generis : alia, quæ e custodia emissa redire non solent, ut cervi, lepores, pleræque aves ; alia quæ redire solent, ut columbæ, apes. Jamvero priora censeatur recuperasse libertatem, quando eorum consecutio domino moraliter facta est impossibilis vel quando dominus ea non amplius prosequitur ; posteriora vero, quando amiserunt consuetudinem redeundi, si per aliquot dies non redeant [3].

b) Animalia **efferata**, i. e. animalia mansuefacta quæ libertatem suam recuperarunt, fiunt alterius primi occupantis : quia enim libertatem suam recuperarunt, sunt nullius [4]. — Hinc 1) columbæ, si deserto proprio columbario, alterius columbarium incolant, transeunt in dominium illius ad quem colombarium hoc pertinet. Non licet tamen eas allicere ad hoc per fraudem, v. gr.

1. Noldin, II, n. 375 ; Génicot, I, n. 481.
2. Bulot, I, n. 516.
3. Noldin, II, n. 376.
4. Delama, n. 48.

per inclusionem, aut per projectionem exquisitioris pabuli : quia dominus rei strictum jus habet, ne res sua ab aliis per vim vel fraudem sibi subtrahatur [1]. — 2) Ex codice canadensi constat quod, « quando examen apum alveum suum dereliquit, dominus ejus id repetere potest usquedum dominium suum probare valet, et potest illud accipere in quocumque loco in quo sedem fixerit, etiam in fundo alieno : tenetur tamen monere fundi dominum, et omnia damna a se forsan illata compensare. Sed si examen ingrediatur alveum jam habitatum, deperditur a domino suo et fit domini alvei ejus. — Si dominus examinis cujusdam non velit illud prosequi et si alius locum ejus teneat, hic insecutor jus domini obtinet. — Attamen omne examen a nemine exagitatum, independenter a loco unde veniat, fit domini fundi in quo sedem fixerit. — Sed examen non exagitatum et in fundo quodam stans quin sedem fixerit, fit primi occupantis, nisi dominus hujus fundi reclamet [2].»

121. Quæritur : an liceat occidere aliena animalia mansueta aut mansuefacta, quæ agris nocent ? — Jure naturali, unusquisque potest animalia, quæ rebus suis nocent aut sibi incommodum offerunt, etiam illa occidendo repellere. Ratio est, quia licet unicuique rem propriam servare, etiamsi exinde pro altero indirecte sequatur damnum. — Sed ordo justitiæ postulat ut damnum, quod avertere volumus, sit æquale damno quod proximo inferimus, et ut dominus ipse damnum avertere aut compensare nolit. Præterea occisorum corpora retineri non licet, nisi in justam damni illati compensationem [3]. — Ideo concludendum est quod non peccat contra justitiam, qui animalia domestica, v. gr. canes, occidit, ne sibi noceant, vel animalia quæ rebus propriis nocent, v. gr. gallinas aut columbas, dummodo *a*) damnum alio modo præcaveri nequeat, *b*) damnum, quod avertitur, proportionatum sit damno quod alteri infertur, *c*) corpora occisorum non retineantur, nisi ut justa compensatio damni illati. — Propter vero deficientiam secundæ conditionis, fere nunquam licet animalia majora occidere [4]. — Insuper dicitur : « *dummodo damnum alio modo præcaveri nequeat.*» Sed semper potest tale damnum præcaveri vel saltem potest obtineri compensatio ipsius damni [illegible] lege

1. Génicot, I, n. 481 ; C. C., a. 428.
2. C. C., a. 428.
3. Timothæus, II, n. 257.
4. Ærtnys, I, n. 262.

positiva. Nam ex codice nostro [1] « est obnoxius damno ab animali illato vel dominus ejusdem, sive ipsum sit in custodia ipsius domini aut ejus domesticorum, sive ipsum sit errans, vel usuriarius pro tempore ipsius usus.» Unde per se recurrendum est ad judicium civile. — Attamen estne hic recursus semper necessarius, ita ut numquam liceat occidere nocentia animalia minora, ut canes, gallinus, columbas, etc ? Juxta quosdam [2] hic recursus semper requiritur, quia propter damnum illatum animal alienum occidere esset excedere moderamen inculpatæ tutelæ. Sed credo contrariam sententiam esse admittendam, speciatim si ille, qui damnum subit, jam monuerit dominum animalium de damno illato et de sua dispositione ea occidendi si denuo noceant : nam tunc videtur applicandum axioma : scienti et volenti non fit injuria. — Quid vero, si ille qui subit damnum, jam reclamasset tantum ? — Potest, ni fallor, dummodo aliæ conditiones omnes verificentur, talia animalia occidere, v. gr., præbendo venenum : ratio est, quia vitarentur plura incommoda quæ ordinarie resultant ex processibus civilibus, scilicet magnæ expensæ, divisiones graves inter concives, etc. [3] — Tandem notant auctores [4] animalia minora, ut columbæ et gallinæ, ordinarie non graviter nocere nisi tempore messis et seminum ; aliis autem temporibus non graviter nocent, aut saltem tantum prosunt quantum nocent : comedunt enim grana noxia, et impediunt ne herbæ et semina inutilia excrescant.

122. III. Animalia **fera** seu sylvestria, quamdiu libera vagantur, fiunt primi occupantis. Ratio est, quia res quæ nullius sunt, libere jure naturali occupantur. Qui ergo ejusmodi animal capit, ipsa occupatione fit illius dominus, sive in proprio fundo sive in fundo alieno illud ceperit ; et tamdiu servat illius dominium, quamdiu illud in sua custodia retinet, vel si effugerit, tamdiu cum spe recuperandi illud prosequitur [5]. Hinc feræ jam captæ aut inclusæ, ut aves in aviario, pisces in piscina, aliæque feræ sylvestres in vivario vel sylva circumclausa, cum libere non amplius vagentur, suumque occupatorem habeant, hujus subsunt dominio ; si vero custodiam evaserint, ita ut difficilis sit earum

1. C. C., a. 1055.
2. L'ami du Clergé, 1902, p. 91 et p. 636.
3. Zaninetti, II, n. 1075.
4. Delama, n. 48.
5. Delama, n. 49 ; Noldin, II, n. 377.

Scienti et volenti non fit injuria

prosecutio, naturalem suam libertatem recuperasse censentur, ac consequenter alterius occupantis sunt [1]. — Proinde læsa fera est venatoris vulnerantis, si ita læsa sit ut non amplius possit fugere : venator eim ipsa vulneratione illam de facto apprehendit.—Pariter, fera laqueo irretita est ejus qui laqueum posuit, modo sit ita irretita ut non possit evadere : laqueo enim reipsa occupatur [2]. Attamen si quis instrumentum quodvis (v. gr. laqueum, nassam) in fundo alieno, sine consensu domini collocavit, et dominus fundi animalia viva capta extrahit, probabilius eadem ad dominum fundi pertinent : nam, sicut jus habet dominus fundi ne ingrediatur quis fundum ad laqueun ponendum, ita etiam ut ne ad eximendam quidem prædam introeat. Posset igitur ipse feram dimittere, sed dimittendam plane potest occupare [3]. — Insuper, non esset improbanda consuetudo, quæ alicubi vigeret, ut feræ vel pisses censeantur illius qui primus ea plene apprehendat. Frustra enim bona fides perturbaretur ; revera, propter consuetudinem, fit quædam compensatio inter varios casus ; nec res ipsa e jure naturali est adeo perspicua [4].

123. Sed, propter specialem difficultatem quæ habetur si animalia fera per piscationem aut venationem illlicitam occupentur, nunc agendum est **de venatione aut piscatione illicita**. Porro venatio aut piscatio potest esse illicita vel ratione prohibitionis, vel ratione loci in quo fit, vel ratione damni illati ejus occasione.

a) **Ratione prohibitionis legis civilis.** — Ille dicitur venari aut piscari contra legis civilis prohibitionem, qui vel debitam facultatem non coemit, vel utitur tempore aut instrumentis prohibitis. Peccatne ille, qui contra hanc prohibitionem agit ? — Alii [5] tenent eum, qui sic venatur aut piscatur, peccare contra justitiam legalem, graviter aut leviter pro ratione damni illati : talis enim prohibitio fit propter motivum utilitatis publicæ, ne videlicet animalia notabiliter minuantur cum detrimento reipublicæ ; igitur harum legum vialatores damnum inferunt communitati, et ideo peccant contra justitiam, saltem legalem. — Alii [6]

1. Ærtnys, I, n. 261 ; Bulot, I, n. 507 ; Génicot, I, n. 482.
2. Noldin, II, n. 377 ; Delama, n. 49.
3. Gury-Ballerini, I, n. 572.
4. Génicot, I, n. 482 ; Haine, II, q. 57 ; Gousset, I, p. 700.
5. Noldin, II, n. 379 ; Tanqueray, II, n. 219.
6. Bucceroni, I, n. 99 ; Delama, n. 50 ; Waffelaert, I, n. 181.

probabilius docent hanc legem civilem esse mere pœnalem ; tum quia hoc videtur sufficere, inspecta præsertim gravitate pœnarum, tum quia strictior obligatio demonstrari non potest, tum quia generatim hac leges ex communi hominum æstimatione et consuetudine habentur uti mere pœnales. — Proinde cum res dubia sit, existimamus hujusmodi leges practice sub pœna dumtaxat obligare, nimirum post sententiam judicis : valet enim regula juris in 6° : « in obscuris minimum tenendum [1].»

Hinc concludendum est probaluis non peccare *per se*, qui venatur aut piscatur contra prohibitionem legis civilis. Etenim non peccat contra justitiam commutativam : siquidem animalia, quæ capit, erant nullius et a nemine apprehensa realiter, ut supponitur ; neque peccat contra obedientiam seu justitiam legalem, quum recepta consuetudine hujusmodi leges tamquam mere pœnales habeantur, nec commune bonum strictiorem obligationem requirat. — *Per accidens* tamen possunt peccare ii, qui crebre illicitæ venationi aut piscationi operam dant, ob pericula gravis damni cui se et familiam exponunt, vel ob propositum se tuendi aut per apertam vim contra silvarum custodem aut per eorumdem corruptionem [2].

b) **Ratione loci in quo fit** — Prohibetur nempe, si fiat venatio aut piscatio in locis in quibus exclusive certis hominibus competit jus venandi aut piscandi, uti convenit vel ei qui tale jus domino locavit, vel ipsi domino in fundo aut aquis suis. Porro ex codice nostro [3] aliæ aquæ dicuntur navigabiles, aliæ non navigabiles, aliæ vocantur portus publici i. e. loci in quibus naves in securitate ponuntur et qui ut tales agnoscuntur vel consuetudine vel lege speciali. Jamvero ubique, exceptis locis speciali modo concessis aut locatis, linea projectili licite piscari possunt omnes, qui in nostra regione domicilium habent ; extranei vero licentiam obtinere debent. — In aquis autem non navigabilibus, proprietarii adjacentes soli habent jus piscandi quolibet modo legitimo : si tamen inter hos proprietarios invenitur gubernium publicum, jus piscandi pertinet ad ipsum gubernium, quod solum licentiam dare potest. — Aquæ navigabiles vero pertinent ad dominium publicum ; sed ex hodierna jurisprudentia licentia in hisce aquis

1. Haine, II, q. 58.
2. Génicot, I, n. 483.
3. C. C., a. 587.

Consuetudo, optima legum interpres.

piscandi dependet a gubernio provinciali ; solummodo in portibus publicis piscandi licentiam gubernium federale concedere potest. Ideo proprietarii adjacentes non habent jus piscandi in aquis navigabilibus in fronte possessionum suarum, nisi hoc jus eis concessum fuerit expresse ab auctoritate competenti. — Hisce positis, consideranda est actio illius, vel qui venatur aut piscatur in loco publico in quo jus venationis aut piscationis alicui concessum est, cœteris exclusis, vel qui sic agit in fundo alieno. — (a) In priori hypothesi, alii [1] docent actionem venandi aut piscandi esse contra justitiam, sed contra diversam speciem justitiæ pro diversitate concessionis, quæ fit aut vi contractus et soluto pretio, aut per privilegium seu licentiam : si prius, quia per contractum (v. gr. locationis) habens concessionem acquirit jus strictum, ille alter, qui in hoc loco venatur aut piscatur, violat justitiam commutativam et tenetur de damnis ; damnum vero illatum æstimandum est non ex animalium captorum quantitate, sed ex lucro probabili quod propterea cessavit ; — si posterius, privilegium concessum aut licentia, etsi pecunia comparata fuerit, alios minime obligat ex justitia stricta, sed ex justitia legali tantum, maxime si pœna seu multa injuncta sit, quia tunc eam tantum intendere videtur. — Alii [2] tenent nullum esse peccatum, quia, cum feræ liberæ adhuc nullius sint, neque dominus conferre neque conductor acquirere potuit jus strictum in eas, sed tantum jus legale alios vi legis excludens. Si quis ergo in hujusmodi fundo vel stagno laqueum aut retia collocaverit, animalia capta per se fiunt occupantis, neque dominus aut conductor ea potest sibi vindicare, sed tantum jus suum juridice prosequi valet. — (b) In posteriori hypothesi, distinguendum est : fit venatio aut piscatio vel in alieno fundo non clauso, vel in fundo clauso. — In priori casu, non peccat per se qui in tali loco venatur aut piscatur, quia animalia, quæ aufugere possunt, non versantur in potestate domini fundi, ideoque tanquam res nullius fiunt primi occupantis. Quod verum est, etiamsi feræ vel pisces in silva vel stagno posita sunt a domino : is enim, dum scivit ea pristinam libertatem recuperare, implicite simul dominio suo renuntiavit. — In posteriori casu, peccat

1. S. Alphonsus, III, 065, 614, 617 ; Bucceroni, I, 899 ; Marc, I, n. 879 ; Zaninetti, II, n. 1074.

2. Lugo, disp. 6, n. 69 ; Ballerini, III, n. 189, 190 ; Génicot, I, 483 ; Ærtnys, I, n. 263.

contra justitiam commutativam et ad restitutionem prædæ tenetur, qui occidit aut capit animalia in fundo alieno clauso posita : ratio est, quia jam non amplius sunt nullius, sed sub potestate domini ipsius fundi posita sunt. Attamen requiritur ut animalia non tantum in loco clauso versentur e quo exire nequeant, sed etiam ut facile a domino capi possint : ex. gr., feræ quæ in silva satis exigua, muro circumdata, continentur, vel pisces natantes in piscina quæ facile exhauriri potest. Ob rationem contrariam, manent nullius feræ quæ vagentur ex. gr. in magna insula ad duas vel tres leucas extensa, pisces in magno lacu natantes ita ut possint facile retia effugere [1].

c) **Ratione da[illegible] lati occasione venationis aut piscationis.** — Si d[illegible] asione venationis aut piscationis inferantur dominis [illegible] uorum segetes, etc., a venantibus, piscantibus et aucu[illegible] con[illegible]ulcentur, patet hæc damna, utpote injuste illata, reparari de[illegible]re [2].

B. De inventione thesauri

124. DEFINITIO. — I. — **Thesauri nomine** venit, in modernis codicibus, omnis res pretio æstimabilis abscondita vel infossa, cujus proprietatem nemo sibi vindicare potest, et quæ casu plane fortuito invenitur [3]. — Hæc tamen ultima verba : *quæ casu plane fortuito invenitur* , non exprimunt conditionem essentialem, sed modum ordinarium quo thesaurus invenitur et cui lex favere intendit, ita ut extranei spe thesauri inveniendi non incitentur ad effodiendum in agris alienis [4]. — Igitur duæ sunt conditiones omnino requisitæ : *a*) ut res fuerit *hominis manu abscondita* in re etiam mobili (v. gr. armario, scriniis) vel *terræ infossa* , unde si res non sit infossa vel abscondita hominis manu, non est thesaurus, sed res nullius in genere, quæ cedit tota primo occupanti ; nullatenus ergo thesauri instar habendæ sunt venæ metallicæ vel carbonicæ quæ in sinu terræ inveniuntur, nec res antiquæ (statuæ vel sculpti lapides) quæ decursu

1. Génicot, I, n. 483.
2. Noldin, II, n. 379.
3. Génicot, I, n. 484 ; C. C., a. 586.
4. Haine, II, q. 63.

temporis obrutæ sunt, nec res inventæ in superfacie terræ vel in area ; — b) *ut dominus illius rei nulla ratione agnosci possit* : si enim dominus ejus vel domini successor cognoscatur, objectum illud illius est, ac illi reddendum ; ideoque si rei absconditæ aut infossæ dominus inveniri potest, res non est habenda ut thesaurus, sed ut res amissa ; nec refert utrum a longo tempore ut plerumque fit, an nuper res abscondita fuerit [1] ; — attamen, juxta plures [2], res a longo tempore infossa habetur ut thesaurus, etsi possit sciri a quorum majoribus fuerit recondita, quia, quod tanto temporis spatio desiit possideri, desiit etiam esse in dominio cujusquam.

125. II. **Invenire thesaurum** dicendus est qui primus eum visibilem efficit, sive per se, sive per operarios ad *hunc finem* conductos ; non autem qui eum ab alio jam detectum seu erutum primus videt vel apprehendit ; sequidem prior, non vero posterior, sensu presso rem absconditam usibus humanis reddit, quod proprie sonat invenire thesaurum. — Nulla autem realis apprehensio præter inventionem, saltem ex jure positivo, videtur requiri : cum lex civilis nullam aliam conditionem præter inventionem requirat [3].

126. DOMINIUM THESAURI. — *a*) **Ex jure naturali**, totus thesaurus videtur esse inventoris : ratio est, quia censetur esse nullius ; etenim thesaurus spectari nequit ut res domini fundi, quum non constet eum a majoribus ejus absconditum fuisse ; neque ut res ejus qui thesaurum abscondit, quum ex hypothesi hic inveniri nequeat ; nec est pars fundi aut fundi fructus ; igitur thesaurus est vere nullius, ac proinde fit primi occupantis. — Nihilominus cum aliæ rationes, præsertim præsumptio dominii favens proprietario fundi in quo thesaurus reperitur, aliam solutionem suadeant, convenit inter Theologos jus esse penes leges civiles hanc quæstionem dirimendi, easque leges in conscientia, etiam ante judicis sententiam, obligare, iis exceptis quæ in pœnam delicti latæ sint [4].

1. Génicot, I, n. 484 ; Marc, I, n. 882 ; Pighi, II, n. 185.
2. Lessius, lib. III, c. 5, n. 58 ; Piscetta, III, n. 116 ; Zaninetti, II, n. 1077.
3. Noldin, II, n. 380; Génicot, I, n. 844 ; Ballerini, III, n. 193 ; Waffelaert, I, n. 188.
4. Génicot, I, n. 484 ; Noldin, II, n. 380.

a) **Ex lege civili.** — Juxta jus canadense, 1°) thesaurus totus est illius, qui eum *in proprio fundo* invenit [1]. 2°) Si thesaurus *casu in fundo alieno* inveniatur, dimidia pars cedit inventori, et dimidia pars proprietario fundi [2]. — Motiva autem legis aequitatem conciliantia sunt : *quoad dominum fundi* tum aliqua saltem, quæ plerumque existit, præsumptio rem a quodam ex majoribus aut prædecessoribus præsentis proprietarii fuisse absconditam ; tum aliqualis relatio inter fundum et rem quam continet ; — *quoad inventorem*, quod per eum res abscondita hominum usui est reddita [3]. — Dominus autem fundi est, qui habet dominium directum quia thesaurus non est fructus fundi. Proinde thesaurus non cedit usufructuario, salvo tamen jure inventoris, nec beneficiato in fundo beneficii [4]. — Hæc vero dispositio legis applicanda est non solum quando thesaurus reperitur in fundis stricte privatis, sed etiam quando reperitur in iis qui ad Ecclesiam vel statum ad normam privatæ personæ possidentem pertinent, ex. gr. in agro vel ædificio quod in Ecclesiæ vel status dominio sit, nec publicis usibus permittatur. [5] Attamen, juxta probabilem sententiam, thesaurus qui reperitur in loco omnium usibus patente, v. gr. in platea vel via publica, in ecclesia ad nullos privatos pertinente, totus cedit inventori : quia deficit præsumptio in favorem Ecclesiæ, Status vel municipii quod istius loci dominium habeat [6].

3°) Si thesaurus *ex industria in fundo alieno* quæsitus et inventus est, totus tribuitur fundi domino. Ita colligitur e verbis legis civilis [7], quæ, ut prævaleat jus inventoris supra jus proprietarii fundi, requirit ut res abscondita casu detegatur. — Attamen, cum lex ista videatur lata in pœnam illius qui, inscio vel invito domino, in fundo ejus investigationes peregit (nam ex actione injusta nemo fructum percipere debet) poterit inventor, ante sententiam judicis, dimidiam partem thesauri sibi retinere [8] : siquidem lex pœnalis, quando pœna est activa et gravis, non obligat ante sententiam judicis. — Si quis vero, de existentia thesauri

1. C. C., a. 586.
2. C. C., a. 586.
3. Cornelisse, II, n. 71 ; Waffelaert, I, n. 188 ; Migneault, III, p. 236.
4. Haine, II, q. 63 ; Zaninetti, II, n. 1078 ; C. C., a. 461 ; Migneault, III, p. 569.
5. Génicot, I, n. 484.
6. Lessius, l. 2, c. 5, n. 63 ; Waffelært, I, n. 190.
7. C. C., a. 586.
8. Génicot, I, n. 484

habito indicio, sine dolo et fraude petit et obtinet a domino fundi licentiam effodiendi, nulla apposita conditione, potest totum sibi retinere : quia terram fodiendo, injuriam domino non intulit, imo dominus consentiendo jus suum reliquisse censetur [1]. Excipit tamen Lessius [2] casum, quo inventor certo sciret ibi latere thesaurum, et simularet domino fundi quasi nihil sciret.

Hinc si in arca, vel in veste antiqua, vel in pariete domus pecunia aut alia res pretiosa, cujus dominus reperiri nequit, inveniatur, consideranda est ut thesaurus, proindeque tota est inventoris, si ipse est dominus rei in qua invenitur, secus res inventa est dividenda inter inventorem et dominum rei quæ continet thesaurum.

Si quis autem noverit in aliquo agro vel aliqua domo latere thesaurum, potest agrum illum vel domum emere pretio communi, nihil dicendo de thesauro qui ibi lateat, et reperti postea thesauri integrum dominium sibi comparat. Ratio prioris est, quia justum rei pretium non sumitur ex privata alicujus scientia, sed e communi hominum æstimatione ; in [illegible] autem non crescit valor agri vel domus propter thesaurum qui communiter ignoratur ; — ratio posterioris est, quia eruit illum ex loco proprio [3]. — Sed si jam thesaurum detexerit, nequit eum denuo cooperire, et sic agrum communi pretio comparare, ut totum thesaurum sibi servet, nam ipsa detectione dominus agri acquisivit jus ad dimidium thesauri [4].

Si vero quis sciverit thesaurum latere in re mobili, v. gr. in arca, in saccis lana plenis, potest rem emere pretio communi et thesaurum occupare : nam venditor ignarus non videtur dominus thesauri, quia defuit animus illum occupandi [5].

Tandem quæritur : An opifex, qui in domo aliqua laborando invenit in quodam angulo parietis summam pecuniæ, illius partem retinere sibi possit ? — Affirmative, si signa adsint, quæ indicio sint, pecuniam hanc ab antiquo fuisse absconditam, ita ut non amplius domini memoria extare possit : tunc enim inventor dimidiam partem sibi retinere potest, quia pecunia in casu

1. Haine, II, q. 63 ; Zaninetti, II, n. 1078 ; Ballerini, III, n. 132.
2. L. c.
3. Génicot, I, n. 484 ; Zaninetti, II, n. 1079 ; Ballerini, III, n. 140 ; Piscetta, III, n. 118 ; Cornelisse, II, n. 72.
4. Lehmkuhl, I, n. 1088.
5. Piscetta, III, n. 118 ; Zaninetti, II, n. 1079.

rationem thesauri habere videtur. — Negative, si adsint indicia, quæ ostendant, pecuniam esse cujuspiam personæ vel familiæ : tunc enim tota domino reddi debet, uti dicetur de rebus amissis [1].

C.) *De rebus amissis*

127. DEFINITIO. — **Res amissæ** dicuntur quæ, nolente domino, ex ejus possessione exciderunt, quamvis absconditæ non sint. — Differunt a *thesauro*, eo quod non abscondantur, et aliunde sæpe possibile est earum dominum invenire [2].

128. DIVISIO. — Aliæ amissæ sunt **olim**, aliæ **recenter**. Dicuntur **amissæ olim**, quæ a tanto tempore amissæ sunt, ut pro sua natura domino sit ablata potestas physica et spes eas recuperandi, ideoque earum spem nemo, ne viliori quidem pretio, emere vellet : proinde quoad has dicendus est dominus jam earum proprietatem invitus exuisse, eo quod hæ res pro ipso sunt nihil, et ideo habentur ut res derelictæ. — Res **amissæ recenter** sunt illæ, quæ adhuc dominum habent, eo quod pro eo habetur adhuc physica potestas et spes eas recuperandi ; at quinam sit earum dominus, ignoratur [3] : de his tantum nunc agendum est. — Insuper notandum est legem nostram civilem nihil continere relate ad has res recenter amissas.

DOMINIUM RERUM AMISSARUM. — Certum est rem amissam manere domini, qui eam involuntarie amisit, quamdiu rationabilem spem habet illam recuperandi : sic enim manet moralis connexio inter ipsum et rem suam, et amissionis factum hanc connexionem non tollit. — Insuper juxta axioma ab omnibus receptum : ad retinendum sufficit sola intentio. Habetur autem apud dominum intentio retinendi, quamdiu rationabilem spem habet rem amissam recuperandi [4]. — Unde S. Augustinus [5] : « Quod invenisti, et non reddidisti, rapuisti. »

129. Obligationes et jura inventoris. — *a*) Inventor non tenetur ex *justitia* rem amissam colligere, sed tenetur *ex caritate*

1. Delama, n. 55 ; Gury, I, n. 577.
2. Tanqueray, n. 225.
3. Pighi, II, n. 188.
4. Génicot, I, n. 485 ; Ferreres, I, n. 576.
5. Serm. 178 (alias 19) cap. 8, n. 9.

ad curam illius suscipiendam, quando aliter res peritura vel a fure subripienda prævidetur. Ratio prioris est, quia excluso speciali contractu nemo ex officio tenetur rem alienam colligere et conservare. — Ratio posterioris est, quia ex caritate tenemur damnum proximi avertere, quod facile impedire possumus : hinc si alias dominus rem suam non recuperaret, quia exponeretur periculo destructionis vel ablationis, urget obligatio rem assumendi, nisi incommodum excuset ; quæ quidem obligatio eo major est, quo majoris pretii est res inventa [1].

130. *b*) Post quam rei amissæ curam suscepit, juxta sententiam communem et probabiliorem, inventor ex justitia tenetur tum ad rem custodiendam, tum ad dominum inquirendum. Hujus obligationis fundamentum est quasi-contractus quem, apprehendens amissam rem tacite init cum illius domino, videlicet negotium eam curandi sicut curaret ipse dominus ; adeoque censetur se obligare ad eam restituendam et consequenter ad interrogandum de domino rei : is enim rationabiliter invitus esset quominus res, sine tali duplici obligatione, apprehenderetur. — Hinc contra justitiam peccant non solum illi qui rem inventam temere destructioni vel ablationi exponunt, sed etiam illi qui eamdem occultant ne a domino invenire possit, vel qui ne mediocrem quidem diligentiam adhibent ut dominum detegant [2]. — Item, qui rem alienam colligit, et postea in eodem loco reponit, peccat non solum contra caritatem, sed etiam contra justitiam, si aderat probabilitas dominum detegendi, rem retinendo, tum quia rem in tuto jam positam periculo exponit, perinde ac qui pannum ab incendio a se ereptum in ignem eumdem projiciat, tum quia, rem alienam colligendo, suscipit obligationem ex justitia eam domino reddendi, si possit [3]. Excipe tamen, « si, ut ait S. Ligorius [4], prævideas damnum te inde passurum, potest illam in eodem loco reponere et permittere, ut alter auferat, licet id faciendo in deteriorem statum rem immittas ; tunc enim acceptio furis evenit ex sua malitia, et tua cooperatio est tantum permissiva detrimenti, quod tu evitare non teneris cum proprio damno. »

1. Bucceroni, I, n. 891 ; Noldin, II, n. 383 ; Tanqueray, II, n. 226 ; Génicot, I, n. 485.
2. Génicot, I, n. 485 ; Bucceroni, I, n. 890.
3. Bucceroni, I, n. 892 ; Zaninetti, II, n. 1080.
4. III, n. 569.

comme un officier de liaison

131. Si autem inventor conservat rem alienam, quanta debeat adhiberi diligentia, e rei inventæ valore, loci consuetudine, etc. mensurandum est. Generatim, quando sat magnus rei valor tale medium adhibendum esse suadebit, sufficiens habebitur diligentia si rei inventæ notitia evulgetur, in locis ruralibus per parochum in ecclesia, in cavitatibus per ephemerides civicas.

Sopme collars

Attamen si nulla adsit spes dominum inveniendi, nulla diligentia, quia inutilis, adhibenda est : sic, v. gr., famula cauponis, quæ tabernam verrendo aliquos nummos invenit, quin spes adsit, ob magnum scilicet concursum, fore ut dominus inveniatur, potest eos sibi retinere [1].

132. Per quale tempus expectandum sit, determinatur a circumstantiis. Nonnulli censent omnino oportere, ut inventor de re notabili numquam absolute disponat ante elapsum triennium, quia hoc est magis conforme dispositioni juris. Verum regula ista nimis rigorosa videtur. Quis enim damnaverit inventorem, qui ante elapsum triennium de re inventa disponat, si jam omnis spes rationabilis dominum recognoscendi evanuerit [2]. — Eo vel magis quia lex canadensis [3] determinat res inventas in vehiculis viarum ferrearum ad Statum pertinentium esse vendendas post annum a die inventionis, si factis debitis denuntiationibus, hæ res non fuerint reclamatæ ; pretium vero earum apud Ministrum nummarium deponi debet, usquedum a domino reclametur. — Res vero parvi momenti, quasque dominus non amplius pro suis agnoscere potest (v. gr. nummi ordinarii), jam ab inventore retineri possunt, postquam moralis pro rei pretio diligentia ad dominum detegendum adhibita fuerit : nam res, quam dominus pro sua agnoscere non potest, ab ipso jam derelicta jure meritoque reputatur, ita ut domini voluntas non obstet, quin res qua nullius statim ab inventore per occupationem acquiratur [4].

133. *a*) Si, posita sufficienti diligentia, *a*) compareat dominus, res ipsi reddi debet (res enim clamat domino), deductis tamen expensis quæ factæ fuerunt tum ut res conservaretur, tum

1. Génicot, I, n. 485 ; Pighi, II, n. 191 ; Konings, I, n. 656.
2. Cornelisse, II, n. 74.
3. Statuts Revisés, I, p. 612, n. 34.
4. Marres, I, n. 242 ; Cornelisse, II, n. 74.

ut inveniretur dominus : has enim tulit tanquam domini mandatarius [1]. — Præterea, tenetur dominus solvere quod a lege positiva forte determinatum sit (apud nos nulla existit talis determinatio), vel prœmium quod ipse promiserit. Nam adest in casu verus contractis promissionis : cum enim promittens intendat excitare homines ad rem accipiendam ejusque curam gerendam, et ad majorem diligentiam in inquisitione domini adhibendam quam forte adhiberent atque adhibere tenerentur, censetur vicissim inventor acceptare promissionem hoc modo factum [2].

Hæc autem promissio obligatne ex justitia, an ex fidelitate tantum ? — Licet quidam auctores [3] teneant hanc promissionem obligare ex justitia, quia, juxta omnes, promissio onerosa, edita scilicet cum adjecta conditione ut promissarius aliquod onus sustineat ad rem promissam consequendam, vere ex justitia obligat, quum sit contractus onerosus, ideoque concludant inventorem posse simul cum expensis in inquisitione domini et rei conservatione factis sibi retinere prœmium promissum ; attamen probabilius dicendum est eam obligare ex fidelitate tantum, quia promissio, nisi constet de promittentis intentione se obligandi ex justitia, obligat ex fidelitate tantum, ideoque inventor non potest sibi retinere prœmium promissum : eo vel magis, quia promissio non confert promissario jus in re, sed jus ad rem tantum [4].

134. (*b*) Si vero dominus non compareat, alii [5] censent rem inventam esse in pauperes vel ad pios usus impendendam : ratio est, quia dominus solo amissionis facto jus in rem suam non amisit ; domino autem in suo jure manente, res impendi debet eo modo quo ipse velle præsumitur ; porro hæc ejus voluntas præsumenda est, ut res in ejusdem utilitatem meliori modo impendatur, et ideo in pia opera erogetur ; quia sic ei saltem prodest spiritualiter, quod corporaliter prodesse nequit. Cui sententiæ suffragatur auctoritas Cath. Conc. Trid. [6] de rebus amissis inquientis : « Quod si rerum dominus nulla ratione

1. Tanqueray, II, n. 227 ; Marc, I, n. 885.
2. Waffelaert, I, n. 195.
3. Noldin, II, n. 383 ; Mechlinensis, p. 39 ; Waffelaert, I, n. 195 ; Tanqueray, II, n. 677.
4. Génicot, I, n. 485.
5. Billuart, diss. 4, a. 2 ; Lessius, cap. 14, n. 49 ; Cajetanus, Sum., v. Furtum, ad 4 ; Haine, II, q. 64.
6. P. 3, c. 8.

inveniri potest, illa sunt bona in usus pauperum conferenda. » — Alii[1] probabilius docent inventorem posse retinere rem a se inventam. Ratio est, quia in his adjunctis res inventa habenda est pro derelicta. Etenim in casu, licet dominus non dimittat seu abdicet dominium proprie dictum in rem suam, penitus tamen amisit facultatem re sua utendi et de ea disponendi, nam nulla moralis spes superesse supponitur, ut hanc facultatem recuperare possit. Hinc, quum res desinat esse in ejus morali dominio, non est voluntas prioris domini quærenda, sed res, utpote moraliter derelicta, primi occupantis fit. — Ideo tanquam merum consilium proponenda est prior sententia. Nam sublato dominii fundamento (scilicet deperdita spe morali rem suam recuperandi), non est cur voluntas prioris domini præsumpta attendatur ; insuper merito præsumi potest velle illum ut res a se amissa fiat inventoris in prœmium diligentiæ adhibitæ ad dominum quærumdum[2].

135. (*c*) Quid vero, si postea appareat dominus ? — Apparebit dominus vel post tempus completum ad præscriptionem requisitum, vel ante ejusdem completionem. — Si *prius*, dominus deperdidit totum dominium, quod translatum fuit ad possessorem actualem : nam talis est effectus præscriptionis. — Si *posterius*, vel res adhuc exstat in se, vel fuit consumpta aut impensa. — Si adhuc in se exstat, debet domino reddi, quia res clamat domino suo, in quibuscumque manibus habeatur. — Si vero consumpta fuerit, vel ipse inventor eam consumpsit, vel pauperibus erogavit, vel in alios pios usus impendit. Si eam in bona fide consumpserit, tenetur id domino reddere ex quo factus est ditior : nam nemo ex re aliena ditescere debet. Si pauperibus eam erogaverit, ad nihil ipse tenetur, et pauperes id tantum restituere debent ex quo ditiores facti sunt : plerumque, ut patet, ad nihil tenentur. Si tandem in alios pios usus illam impenderit, tunc ecclesia, xenodochia, monasterium, etc., quibus fuit distributa, eam, si adhuc exstat, vel ejus æquivalens reddere debent, secus ad nihil tenentur : ratio est, quia res inventa non datur nisi sub conditione saltem implicita eam reddendi, si dominus compareat[3].

1. Lugo, d. 6, n. 140 ; S. Alphonsus, III, n. [illegible] ; Scavini, II, n. 552 ; Bucceroni, I, n. 893 ; Noldin, II, n. 383 ; Gury, I, n. 578 ; Génicot, I, 485, Delama, n. 57.
2. Génicot, I, n. 485 ; Delama, n. 57 ; Struggl, tr. 6, q. 2, n. 24.
3. Haine, II, q. 64.

136. (*d*) Tandem inventor malæ fidei, qui rem inventam occultavit aut dominum debito tempore investigare neglexit, tenetur in conscientia rem inventam pauperibus erogare aut piis causis applicare, etsi postea dominum rei rescire non possit. Ratio hujus est, 1°) quia hoc ipso, quod aliquis rem ab alio deperditam occultet aut negligat dominum investigare, peccat contra justitiam, rem alienam detinendo ; ideo, non minus quam fur, ex injusta detentione tenetur ad restitutionem ; cum igitur non possit amplius dominum rescire, tenetur eam erogare pauperibus vel causis piis applicare. — 2°) Quia non potest prudenter præsumi, quod dominus rei perditæ velit ut talis inventor ex suo delicto habeat emolumentum, sed potius ut, postquam debitam inquisitionem neglexerit, habeat onus rem inventam in eleemosynas aut in causas pias expendendi, ita ut dominus emolumentum spirituale reportet [1].

D. De occupatione bonorum derelictorum et vacantium

137. DEFINITIO. — **Derelicta bona** dicuntur ea, quæ dominus voluntarie a se abdicavit, nec in alios eorum dominium transtulit : v. gr. fructus qui, messe jam peracta, relicti sunt ; veteres panni qui abjiciuntur, etc.

Vacantia bona sunt ea, quæ mortuo domino, fiunt nullius, quia ex una parte defunctus per testamentum de bonis suis non disposuit, et ex altera nulli sunt hæredes qui successionem accipere possint aut velint [2].

His accedunt lapilli, gemmæ, coralla, quæ in fluminis fundo reperiuntur vel scopulis adhærent [3].

138. DOMINIUM HORUM BONORUM. — *a*) **Ex jure naturali**, hæc bona, utpote nullius, a primo occupante legitime acquiri possunt [4]. *b*) **Juxta legem canadensem**, bona quæ domino carent, pertinet ad fiscum [5]. — Sed hæc dispositio, juxta usum receptum et multorum jurisperitorum interpretationem,

1. Bucceroni, I, n. 890 ; S. Thomas, 2. 2., q. 62, a. 5, ad 3 ; S. Alphonsus, III, n. 603 ; Struggl, P. 2, tr. 8, d. 2, q. 2, a. 2, XIV.
2. Tanqueray, II, n. 231.
3. Scavini, III, n. 323 ; Delama, n. 52.
4. Tanqueray, II, n. 232.
5. C. C., aa. 401, 584, 636, 637.

spectat tantum ad bona immobilia, saltem ante sententiam judicis ; quoad bona mobilia, ante hanc judicis sententiam, salvum manet jus primi occupantis [1]. Hinc si peregrinus ignotus apud te decesserit intestatus, nec ejus hæredes inveniantur, poteris ejus bona mobilia tibi vindicare [2].

139. Minime autem pro derelictis habendæ sunt **res naufragio amissæ** (épaves) aut ad salvandam navim in mare projectæ : illas enim dominus non libere et spontanee rejecit, sed in eas dominium retinere vult, in quantum potest ; nam spem quidem, non tamen animum recuperandi abjecisse censendus est ; nec res ex incendio ereptæ, etsi cum aliquo labore et periculo in his adjunctis satis communi. De his igitur idem dicendum est ac de rebus amissis. — Insuper **ligna vel alia bona, quæ inundatione** ab uno loco ad alterum feruntur, non sunt per se res derelictae ; nemo enim præsumitur renuntiare dominio rerum suarum, quamdiu remaneat spes eas recuperandi. Proinde haec, si dominus notus sit e. gr. ex signo lignis impresso, et ea recuperare velit, domino restitui debent : tamen hæc ex aquis eripiens jus habet ex jure naturæ ad pretium industriæ et laboris. Excipe si ex circumstantiis prudenter judicetur dominum vel 1° non amplius esse de re sua sollicitum, v. gr. quia exigui est momenti, quia nimis longe distat, etc. ; vel 2° amissise omnem spem rationabilem rem recuperandi sive per seipsum, sive per alium, v. gr. quia non potest ea recuperare nisi cum certo dispondio boni majoris [3].

140. DE LIGNATIONE ET PASTIONE. — Per lignationem intelligitur collectio parvorum lignorum in sylvis ; per pastionem autem adductio pecorum in pascua aliena. — Licet sylvæ et pascua non sint hodie res nullius, olim tamen sæpe habita sunt ut occupationi singulorum aliquatenus permissa, quia omnino parvi valoris erant ob difficultatem fructus ex eis educendi. Insuper quando agitur de hujusmodi bonis quæ ad rempublicam pertinent, multi sibi facile persuadent ea cedere debere in utilitatem communem, ac proinde singulis competere jus quoddam iis in proprium commodum utendi, modo id fiat cum aliquo moderamine, et absque nimio aliorum incommodo. [4] — Sed alii [5]

1. Génicot, I, n. 486 ; Carrière, I, n. 559.
2. Berardi, Praxis, n. 1675 ; Zaninetti, II, no. 1083.
3. Marc, I, n. 884 ; Molina, De Just., disp. 55 ; Delama, n. 52.
4. S. Alphonsus, III, n. 529 ; Marc, I, n. 910 ; Ærtnys, I, n. 287.
5. Carrière, I, n. 314, 315, 316 ; Bouvier, p. 33.

tenent quod respublica bona communia possidet ad instar privatorum. Unde

a) **De lignatione.** — 1) Qui *ligna viridia*, saltem alicujus pretii, cædunt IN SYLVIS PRIVATORUM, peccant contra justitiam et ad restitutionem tenentur : damnum enim inferunt domino rationabiliter invito, quia arbores sunt fructus terræ et proinde ad dominum terræ pertinent. — Qui vero talia ligna IN SYLVIS COMMUNITATIS cædunt, juxta fautores posterioris sententiæ, peccant et tenentur ad restitutionem, quia communitas bona sua possidet ad instar privatorum ; juxta fautores prioris sententiæ, non peccant nec ad restitutionem tenentur, nisi magnam stragem faciant, quia lex stricte prohibens omnem cæsionem horum lignorum censetur esse pœnalis. Cf. n. 265.

2) Quoad *ligna sicca*, quæ sunt IN SYLVIS PRIVATORUM, justitia prohibet quominus ab extraneis cædentur, quando ipsi domini eis utuntur sive ad comburendum sive ad vendendum, quia domini præsumuntur rationabiliter inviti, ne alii ea colligant ; secus vero, si domini ipsis non utuntur, quia ea habentur ut derelicta. — Si autem ligna sicca cæduntur IN SYLVIS AD COMMUNITATEM PERTINENTIBUS, licet quidam teneant cæsionem eorum esse illicitam ex eo quod nemo debet ex re aliena ditescere, attamen probabiliter licitum est ea cædere, quia communitas non solet talia colligere. Attamen cavendum est ne facilius laxetur habena, quia timendum est ne, facultate semel nimis aperte concessa, cædentes transgrediantur justos limites, et satis grave damnum inferant, v. gr. sæpes divellendo, ligna juniora succidendo, etc.

b) **De pastione.** — Certe injuste agit et tenetur ad restitutionem, qui pecora sua deducit in aliena pascua sepibus circumclausa : nam ex eo quod sepes imponat, dominus voluntatem suam pascua protegendi et animalibus suis reservandi manifestat. — Si vero agatur de pascuis apertis et patentibus, judicandum est ex recepta in variis locis consuetudine [1].

1. Carrière, I, n. 317.

II. De accessione

141. DEFINITIO. — **Accessio** est modus acquirendi dominium, quo nostrum fit, quod vel a re nostra producitur seu naturaliter seu civiliter, vel rei nostræ adjungitur sive natura sive arte [1]. — Hoc modo dominus rei acquirere potest proprietatem incrementi licet ex re aliena, et quandoque etiam mala fide provenientis, ex eo nempe quod illud ex re sua nascitur vel rei suæ adjungitur [2].— Igitur ex duplici capite oritur jus accessionis, scilicet ex productione et unione.

142. PRINCIPIUM JURIS GENERALE. — Unde datur duplex axioma, scilicet : *Res fructificat domino ;* et : *Accessorium sequitur principale ;* quod deter minat jus proprietatis ortam ex facto productionis vel unionis. — Si enim jus accessionis oriatur ex productione, applicandum est axioma : res fructificat domino. Etenim qui plenum dominium alicujus rei habet, jus obtinet ad omnes fructus ex ea nascentes : nam dominium plenum importat jus fruendi [3]. — Si vero jus accessonis oriatur ex unione, recurrendum est ad axioma : accessorium sequitur principale. Etenim. quando res unius conjungitur rei alterius, totum ex utroque compositum spectat ad dominum illius, cujus est id, quod est principalius in toto ; nam, quando separatio est impossibilis (uti sæpe evenit), juxta æquitatem accessorium sequi congruit naturam principalis, ut habet regula 28 in 6° [4].

143. DIVISIO. — Distingui debent tres species accessionis : accessio naturalis, industrialis et mixta, prout aut solis viribus naturæ, aut sola industria humana, aut ex utriusque concursu rei propriæ aliquid accedit [5].

a) Accessio naturalis

Accessio naturalis ea est, quæ ab ipsa natura fit, et est triplex : nativitas scilicet, fructificatio et alluvio.

1. Zaninetti, II, n. 1084.
2. Delama, n. 59.
3. Tanqueray, II, n. 235.
4. Sporer, II, p. 622 ; Waffelaert, I, n. 201.
5. Noldin, II, n. 384.

144. I. — **Nativitas** autem est partus animalium, per quem acquiritur dominium animalis geniti ex proprio animali. — Ad hunc titulum nihil refert quod partus fuerit conceptus ex proprio vel ex alieno animali masculino, sed qui habet matrem, habet jus ad animal ex ea natum : unde commune effatum : Partus sequitur ventrem [1].

145. II. — **Fructificatio** est productio fructus ex alicujus arbore vel fundo. — Qui plenum dominium alicujus rei obtinet, jus habet ad fructus ex ea nascentes, juxta illud : Res fructificat domino ; et merito quidem, quum dominium plenum importet jus fruendi. — Si vero dominium dividitur, ita ut unus jus disponendi habeat, alter autem jus fruendi, hic suos faciet fructus, ut dictum est de usufructu. — Hoc autem verificatur, sive agatur de fructibus naturalibus, qui sive ullo vel fere nullo labore sponte nascuntur, v. gr. fœnum, arbores quædam, nonnulla poma ex arboribus pendentia ; sive agatur de fructibus civilibus, qui non ex ipsa re nascuntur, sed ex contractu circa hanc rem inito proveniunt, v. gr. pretium locationis, annui reditus, pensiones, lucrum ex mutuo perceptum [2].

146. III. — **Alluvio** est incrementum quod a fluvio alicui fundo adjicitur ; aut aliis verbis : est adjectio terræ et incrementum, quod fit successive et impercepto modo fundis positis secus ripas fluminum vel torrentium [3]. — Alluvio terræ pertinet ad dominum fundi, in quo terra consistit, et cui, aiunt, incorporatur [4]; ratio est, tum quia insensibilitas sibi succedentium incrementorum impossibilem reddit separationem [5], tum quia æquum est ut dominus fundi retineat ea quæ naturaliter huic fundo accrescunt, eo magis quia alio tempore aliquid sui prœdii amittere potest [6].

Non idem dicendum est de **avulsione**, quæ habetur cum notabilis et agnoscibilis pars terræ, vi fluminis aut torrentis et subito detracta, fundo inferiori vel ripæ oppositæ adjungitur. Hujus dominium non statim acquiritur a domino fundi, cui fit adjectio, sed dominus, juxta jus canadense [7], potest partem avulsam

1. Bucceroni, I, n. 901 ; C. C., a. 409.
2. Tanqueray, II, n. 235-236 ; C. C., aa. 409, 448, 449.
3. Zaninetti, II, n. 1087.
4. C. C., a. 421.
5. Delama, n. 60.
6. Tanqueray, II, n. 241.
7. C. C., a. 423.

reclamare per integrum annum. Ratio est, quia nullo titulo potest dominus agri vicini hoc incrementum sibi vindicare ; ne titulo quidem antea inceptæ alluvionis, quia ex illo initio nascitur ad summum spes incrementi, quæ multis de causis impediri potest. [1]

Item de **alvei mutatione**, quæ locum habet quamdo flumen, mutato cursu, alveum pristinum dereliquit et novum obtinet. Si hoc fit successive et insensibiliter, tunc habetur alluvio et applicanda sunt ea quæ de alluvione exposita fuerunt. — Si vero repente fiat alvei mutatio, juxta jus canadense [2], derelictus alveus pertinet ad Principem, si illud flumen est navigabile aut fluctuantia sustinendi capax (flottable) ; pertinet autem ad eos quorum agri a flumine occupati sunt, si flumen est nec navigabile nec fluctuantia habendi capax.

Novæ insulæ, quæ in fluminibus efformantur, pertinent ad dominum vicinioris ripæ, vel, si sint in medio fluminis, dividuntur inter riparios ex utraque parte juxta lineam quæ in medio fluminis transducta supponitur, seu, ut aiunt, per medium filum aquæ, quandocumque flumen non est navigabile nec fluctuantia habendi capax ; secus, pertinent ad Principem. — Si vero novus ramus alicujus fluminis fundum riparii cujusdam rumpet et ita circumdet ut insula efformetur, dominus hujus insulæ dominium conservat, etiamsi hæc efformetur in navigabili flumine [3].

b) Accessio industrialis

147. Accessio industrialis vocatur, si sola hominis opera contingat, et fieri potest quadruplici modo : adjunctione, specificatione, commixtione et ædificatione.

Præmotandum est quod, ex jure canadensi [4], accessio fieri potest deficiente bona fide ipsius unionem facientis. Sed quando accessio facta fuit, inscio domino unius rei sic unitæ, et si hæc unio commodum huic domino afferat potest dominus iste vel reclamare compositum, altero domino indemni facto, vel exigere ut

1. Carrière, I, n. 384.
2. C. C., a. 427.
3. C. C., aa. 424, 425, 426.
4. C. C., aa. 440-442.

sibi reddatur alia res similis rei ante unionem a se possessæ, vel obtinere pretium rei suæ. — Attamen artifex, qui tenetur restituere rem a se meliorem factam, potest illam retinere usquedum obtinuerit pretium sui laboris. — Tandem ille, qui usus est re aliena, inconsulto domino, potest obligari ad compensanda damna quæ per actionem suam intulit.

148. I. — **Adjunctio** est duarum rerum mobilium ad diversos dominos pertinentium unio, qua ex duabus unum totum efformatur, ita tamen ut recognosci possint, et licent sint separabilis : fit autem inclusione, textura, scriptura, pictura, etc [1].

In casu adjunctionis, **juxta æquitatem naturalem**, totum compositum pertinet ad eum, cujus res se habet ut principale ; hic tamen debet dominum partis accessoriæ facere indemnem : sic usufructuarius, qui domus parietes depinxit, non potest cum parietum detrimento delere picturam ; e contra, pictor, qui in tela aliena pulchram imaginem expressit, potest pictam telam, soluto hujus pretio, sibi retinere [2].

Ex jure canadensi [3], etiamsi res sint separabiles, totum compositum pertinet ad rei principalis dominum, qui tamen tenetur dominum rei accessoriæ facere indemnem. — Deinde codex noster civilis dat tres regulas, ut determinentur res principalis et res accessoria.

1*a* regula. — Ex duabus rebus unitis, ea dicitur principalis, cui altera unita fuit pro usu, ornamento, vel complemento : sic in annulo, lapis pretiosus est res principalis, quia circulus unitus est lapidi in gratiam lapidis. — Attamen datur exceptio : si res unita accessorie sit valoris longe majoris quam res principalis, dominus rei accessoriæ habet jus ad rem suam recuperandam, etsi separatio utriusque rei non possit fieri quin res principalis aliquod detrimentum subeat: sic si lapis pretiosus fuerit insertus manuali horologio, dominus lapidis habet jus ut lapis ille separetur et sibi reddatur.

2*a* regula. — Si hæc prima regula non possit applicari, ea res dicitur principalis, quæ est majoris valoris.

3*a* regula. — Si duæ res unitæ sint æqualis valoris, ea habenda est ut principalis, quæ est majoris extensionis.

1. Waffelaert, I, n. 210 ; D'Annibale, II, n. 138.
2. Marc, I, n. 888.
3. C. C., a., 430, 431, 432, 433 ; Migneault, II, p. 520.

149. II. — **Specificatio** est introductio novæ formæ in materiam alienam. Ad specificationem habendam, licet non requiratur mutatio substantialis rei physice, requiritur tamen mutatio substantialis moraliter : e. gr. si quis ex aliena lana conficiat pannum, ex auro annulum, ex tabulis navim, ex uvis vinum, ex olivis oleum, ex specis frumentum [1].

Ex jure naturali, dominium rei novæ determinatur juxta axioma : accessorium sequitur principale. Sed, cum frequenter determinari non possit utrum principale sit rei substantia an nova forma, standum est dispositionibus legis civilis [2].

Ex jure canadensi [3], statuitur rem novam pertinere ad eum, cujus est materia, soluto pretio artis adhibitæ ; si vero pretium artis longe superet pretium materiæ, res nova est ipsius artificis, soluto pretio materiæ. — Quodsi artifex specificaverit et materiam suam et materiam alienam, et si hac duæ materiæ sint inter se ita unitæ ut non possint sine detrimento separari, dominus materiæ alienæ et artifex sunt co-proprietarii rei novæ ; unusquisque autem potest exigere hujus rei novæ licitationem, ut recuperet vel pretium suæ materiæ, vel pretium materiæ et laboris sui.

150. III. — **Commixtio** habetur quando res solidæ aut aridæ, **confusio**, quando res liquidæ pertinentes ad diversos dominos junguntur, ut si triticum cum alterius tritico, vinum cum alterius vino miscetur [4].

Ex jure naturali, res commixtæ aut confusæ fiunt communis dominorum proprietas pro rata parte cujusque ; unde, si disjungi possint, cuique domino reddatur pars sua ; secus, vel res commixtæ dividendæ sunt pro rata parte cujusque domini, vel totum vendi debet, ut pecunia dividatur pro rata cujusque parte [5].

Ex jure canadensi [6], si materiæ commixtæ separari possint sine detrimento, qui mixtioni assensum non dedit, jus habet separationis obtinendæ, et unaquæque res mixta suo domino restituenda est. — Si vero res commixtæ separari non possint, domini rerum sunt domini totius massæ, quæ inter ipsos dividenda est

1. Bucceroni, I, n. 906.
2. Noldin, II, n. 385.
3. C. C., aa. 434, 435, 439.
4. Noldin, II, n. 385.
5. Tanqueray, II, n. 230.
6. C. C., aa. 437, 438.

nemo debet ditescere ex re aliena

pro rata parte autes ad unumquemque pertinenti. — Si tamen materia una, utpote major aut pretiosior, haberi possit ut principalis, et materiæ non possint separari absque detrimento, dominus prævalentis materiæ potest sibi totum retinere, soluto alteri valore suæ materiæ [1].

151. IV. — **Ædificatio** habetur, quando quis in proprio fundo ex aliena materia, aut in alieno solo ex propria materia ædificium construit. Idem pro nobis sub lege anglicana

Ex jure naturali, juxta axioma : accessorium sequitur principale, cedit ædificium domino fundi, ex quacumque materia ædificium sit, mediante tamen debita compensatione pro qua solvendum est pretium materiæ. Attamen dominus fundi, in quo alius mala fide quidpiam ædificavit, cogere potest alterum ad ædificium tollendum. Cœterum, etiamsi alter bona fide ædificarit, dominus fundi nullum tenetur damnum pati, si ipse non sit culpandus [1].

Ex jure canadensi [2], ædificium est illius, cujus est solum, præstita compensatione, quæ sic determinatur : *a*) qui in suo solo ædificavit ex materia aliena, hujus materiæ pretium solvere debet, et in casu malæ fidei vel gravis culpae etiam damna refundere ; sed dominus materiæ eam tollere nequit ; — *b*) si quis bona fide ex sua materia in solo alieno ædificaverit, dominus fundi potest sibi retinere ædificium et tenetur solvere alteri vel materiæ valorem et pretium operarum, vel, si malit, augmentum valoris fundi, nisi tamen ædificium non necessarium sit valoris ita magni ut dominus fundi hunc valorem refundere non possit : quo in casu dominus fundi potest cum assensu tribualis alterum cogere ad solum retinendum et ad ejus pretium solvendum ; — si quis autem mala fide sic egerit, dominus fundi potest semper exigere ut alter ædificium propriis suis expensis evellat seu tollat, aut potest vel illud retinere solvendo ejus valorem vel permittere ut alter illud propriis suis expensis tollat, dummodo absque soli detrimento hoc fieri possit ; secus vero, dominus fundi habet jus retinendi ædificium quin ad indemnitatem præstandam teneatur.

1. Ærtnys, I, n. 268.
2. C. C., aa. 414-418.

c) Accessio mixta

152. Accessio mixta est ea, quæ oritur ex natura, hominis industria cooperante, et fit præsertim plantatione et seminatione.

Plantatio habetur, quando quis plantam propriam in solo alieno, vel vicissim plantam alienam in proprio solo posuerit. — **Seminatio** habetur, quando quis semina propria in alieno solo, aut semina aliena in proprio solo posuerit.

Ex jure naturali de hisce idem fere est jus, ac de ædificatione, scilicet domino fundi tribuitur dominium rei, quæ in ejus solo crescit, facta tamen debita compensatione, juxta versiculum :

Quidquid plantatur, seritur aut inædificatur,
Omne solo cedit, radices si tamen egit [1].

Ex jure canadensi, de **plantatione** idem tenendum est ac superius dictum fuit de ædificatione : nam in articulis citatis relate ad hanc ædificationem, codex noster loquitur de meliorationibus ; porro inter meliorationes venit plantatio. — Si agatur de **seminatione**, distinguere oportet : si quis in suo solo semina aliena sparserit, ea acquirit sed eorum pretium solvere debet, et in casu malæ fidei vel gravis culpæ etiam damna refundere tenetur ; sed dominus seminum ea tollere nequit ; — si quis in solo alieno semina sparserit, omnes fructus fiunt soli domini, qui pretium culturæ atque seminum solvere tenetur, nisi in casu malæ fidei sementis pretium habeatur pro compensatione damni illati [2].

153. Nota. — Hæc juris civilis præcepta de accessione ex stricta justitia in conscientia servanda sunt, cum legislator lege sua in materia propria juste, scilicet ad bonum commune tuendum, jus strictum civium aut definerit aut coarctaverit [3].

III. De præscriptione

154. DEFINITIO. — **Præscriptio** est modus acquirendi dominium vel se liberandi ab aliqua obligatione per certum

1. Noldin, II, n. 386 ; Ærtnys, I, n. 268.
2. C. C., aa. 410, 416. 417.
3. Marres, I, n. 355.

temporis lapsum et sub conditionibus lege determinatis [1]. — Hæc tamen notanda sunt :

a) Præscriptio quandoque, præsertim a theologis, pro eodem sumitur atque **usucapio**, quandoque autem ab usucapione distinguitur ; in assignando tamen inter utramque discrimine auctores non conveniunt. Considerata vi terminorum, præscriptio latius patet usucapione : præscriptio enim locum habet tum in iis quæ per usum, tum in iis quæ per non usum acquiruntur ; usucapio autem vi vocis solum in iis intercedit, quæ usu capiuntur seu comparantur.

b) Terminus **dominium** latissime accipiendus est, et significat dominium plenum, aut dominium directum, aut dominium utile, aut servitutem.

c) **Lex**, quæ modum et durationem possessionis ad præscribendum requisitæ determinat, est lex positiva sive ecclesiastica sive civilis : ideo pro diversitate legum, etiam diversum est tempus ad legitimam præscriptionem necessarium [2].

155. ORIGO.—Hunc modum acquirendi dominium a natura quodammodo postulari, vel ut summe convenientem exigi vi juris naturalis saltem in genere, ex eo apparet, quod sine eo innumeræ quæstiones de rebus possessis orientur, quarum tituli certi non adsunt, sive ex tempore immemoriali perierunt ; pax igitur publica et secura possessio continue turbaretur, nisi diuturna ipsa possessione alicujus rei possessor dominus rei habeatur, ita ut, si antea legitimus dominus non fuerit, temporis lapsu vere fiat. Inde est, quod in omnibus legislationibus præscriptio tanquam titulus legitimus habetur : jam enim in codice Hammurabi statutum est, illum qui agrum a possessore suo derelictum per tres annos coluerit, eum legitime possidere. Legis autem positivæ est tempus conditioni gentis conveniens statuere. Lex igitur positiva hac in re legem naturalem interpretatur atque determinat [3].

156. DIVISIO. — Præscriptio dividitur : *a*) in **acquisitivam**, qua aliquis novum jus acquirit, e. g. transeundi per agrum alienum ; *b*) in **liberativam**, qua aliquis se vel suam rem ab

1. C. C., a. 2183.
2. Noldin, II, n. 389.
3. Lehmkuhl, I, n. 1094 ; Wilmers, p. 335 ; Cathrein, n, 469 ; De Bie, II, n. 458.

aliquo onere liberat, v. gr. se ab onere debitum aliquod solvendi, agrum ab onere patiendi ut alius per illum transire possit.

157. EFFECTUS. — A) **Lex humana potest vi præscriptionis transferre dominium in conscientia.** (Sententia communis).

Probatur. — Nam lex humana, quia ex jure naturali ordinatur ad bonum commune procurandum, potest facere illud quod est valde conveniens ipsi bono communi, et quod non repugnat æquitati naturali. Atqui ita se habet translatio dominii per præscriptionem. Ergo.

Minor probatur. — 1*a* pars. — Patet ex causis, propter quas introducta fuit utraque præscriptio. Causæ autem, quæ respiciunt acquisitivam, sunt numero quatuor : 1) ut tolleretur incertitudo et confusio dominiorum ; 2) ne lites multiplicarentur ; 3) ne possessores in continuo metu viverent res possessam amittendi ; 4) ne homines in conservandis suis rebus et juribus essent negligentes [1]. — Quoad vero liberativam præscriptionem dantur etiam quatuor motiva : *a*) præsumptio solutionis ; *b*) ne debitores teneantur diutius servare solutionis apochas (quittances) ; *c*) ut sic puniatur negligentia creditorum ; *d*) quoad solutiones periodice faciendas, ne debitores, coacti solvere magnam ex accumulatis pecuniæ summam, ad miseriam redigantur [2]. — Ex quo constat præscriptione bonum societatis maxime promoveri, et ideo propter bonum publicum præscriptiones introductas fuisse ; hinc stipulari non possunt creditores et debitores, ne ulla inter se præscriptio procedat [3].

2*a* pars. — Non repugnat præscriptio æquitati naturali, quia ex se nullius jura lædit. Nam ut de præscriptionis æquitate judicetur, non in uno casu particulari sed in genere et ex se consideranda est. Atqui ex se, ante omnem eventum, non magis uni quam alteri favet : quisque scilicet parem habet timorem amittendi aut spem lucrandi.—Imo præscriptio ex se omnibus prodest: reddit enim quemque vigilantiorem et solertiorem ; re quidem vera, non pauci incuriæ et pigritiæ indulgerent, terrasque incultas quandoque relinquerent, nisi præscriptionis timore cogerentur suum dominium asserere et vindicare actus quosdam exercendo [4].

1. Bucceroni, I, n. 909.
2. Haine, II, q. 73.
3. C. C., a. 2184.
4. Tanqueray, II, n. 246 ; Thimothæus, II, n. 265.

158. B) **Præscriptio**, debitis conditionibus vestita, dominium **transfert**, etiam in foro conscientiæ. (Communis sententis).

Probatur. — Etenim lex humana potuit facere, quod præscriptio dominium transferat. Atque hoc de facto fecit lex humana. Ergo.

Minor probatur. — 1) **Ex fine legis**: Lex enim eo tendit, ut pacem ac securitatem publicam promoveat ; porro talis finis attingi nequit, nisi præscriptio in conscientia valeat : secus enim, personæ piæ et honestæ anxietatibus laborarent, dum aliæ minus honestæ sine scrupulo legis benificio uterentur, et proinde lex ad conscientias illaquendas deserviret.

2) **Ex verbis in lege adhibitis** : *a*) quoad legem civilem ; verba enim in variis codicibus usurpata clare intentionem transferendi dominium exprimunt : dicitur enim : dominium transferri, acquiri, etc. Quod confirmatur testimonio legisperitorum, qui concordant de intentione legis civilis transferendi dominium per præscriptionem. — *b*) Quoad legem ecclesiasticam : in Conc. enim Lateranensi IV dicitur [2] : « Unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ.» Hinc qui in nulla temporis parte rei habet conscientiam alienæ, præscribere potest, seu præscriptio tanquam titulus domini tunc approbatur. Approbare autem non posset lex canonica, quod illicitum foret et animas damnaret, quia finis præcipuus legis canonicæ est salus animarum [3].

Unde concludit S. Thomas [5] :« Si quis præscribat bona fide possidendo, non tenetur ad restitutionem, etiamsi sciat alienum fuisse, post præscriptionem.» Possessor igitur, licet post præscriptionem resciat quod alius fuerit rei præscriptæ dominus, non tenetur illam huic restituere, cum per præscriptionem legitimam ipse factus fuerit dominus. Præscriptione autem expleta, res ita sua est, ac si semper sua fuisset, neque fructus debet restituere præteriti temporis. Ac etiamsi possessor ignoret se præscriptione acquivisse dominium rei, legitime tamen præscribit ; et, si rem ita legitime præscriptam ex tali ignorantia priori domino reddat, potest dein conscius juris illam repetere [4].

1. Cap. 20, de Præscriptione.
2. Slater, p. 31 ; Haine, II, q. 69.
3. Quodlibet XIII, q. 24.
4. Bucceroni, I, n. 910 ; Noldin, II, n. 391.

159. QUINAM POSSUNT PRÆSCRIBERE.—Illi omnes præscribere possunt, qui capaces sunt acquirendi dominium. Quare et privatæ personæ et communitates et ecclesiæ præscribere possunt, uti etiam præscriptioni subduntur. — Attamen contra seipsum nemo potest præscribere, quia justitia est ad alterum : sic v. gr. benificiarius, qui jam a multo tempore quatuor missas ex errore celebravit, cum tamen ex fundatione benificii ad duas tantum obligetur, non ideo in posterum tenebitur ad quatuor [1].

160. CONDITIONES REQUISITÆ — Claritudinis causa fere omnes moderni auctores exponunt conditiones requisitas ad acquisitivam, et deinceps conditiones ad liberativam præscriptionem : quod exemplum sequimur.

I. — Quoad acquisitivam præscriptionem

Ut valeat præscriptio acquisitiva, quinque desiderantur conditiones his versibus expressæ :

Non usucapies, nisi sint tibi talia quinque :
Sit res apta, fides, titulus, possessio, tempus.

Hinc requiritur : res præscriptibilis, possessio, titulus, bona fides, et tempus a lege statutum.

161. 1°) **Res præscriptibiles** sunt omnes et solæ res, quæ sub dominium et commercium privatum veniunt, et ad quarum acquisitionem potest esse titulus qui sit legitimus tum jure naturæ tum jure positivo. Etenim, cum finis præscriptionis sit dominium transferre ex auctoritate legis, talis translatio fieri nequit de re, quæ ex natura sua vel ex legum dispositione in dominium privatorum venire non potest [2]. — Hinc præscribi possunt res positæ in commercio privato, uti sunt fundi, gemmæ, instrumenta, jus transitus, etc. — E contra, præscribi non possunt : *a*) res quæ sunt juris naturalis aut divini, uti jus patris in filios, jus percipiendi decimas, conferendi beneficium, etc. : contra hæc enim nihil valet auctoritas humana ; *b*) res quæ

1. Bucceroni, I, n. 912 ; Marc, I, n. 891.
2. Sabetti, n. 384.

non sunt in commercio, uti res sacræ[1] (calices, vestæ sacræ, altaria, etc.), onera missarum : non sunt enim objectum dominii privatorum ; *c*) res publicis usibus destinatæ, uti viæ publicæ, plateae, pontes, nisi earum usus cessaverit ; item, ecclesiæ quæ adhuc cultui divino, et cœmeteria quæ adhuc sepulturæ inserviunt[2] : quia hæc, quando usibus publicis inserviunt, sunt extra commercium posita ; *d*) res quæ ex legis sive ecclesiasticæ sive civilis sanctione imprescriptibiles declarantur : sic ex sacris canonibus præscribi nequeunt limites diœcesum vel paroeciarum, si certo constet eos legitima auctoritate constitutos fuisse[3] ; ex lege autem civili impræscriptibilia declarantur et immobilia quæ ad principem pertinent reditusque ex venditione aut locatione eorumdem provenientes[4], et decimarum quantitas[5].

162. 2° **Possessio** est detentio, quam tenemus, aut fruitio juris quod exercemus per nosmetipsos vel per alium qui nostro nomine rem tenet aut jus exercet[6]. — Detentio autem rei dicitur proprie possessio, et fruitio quasi-possessio quæ est in usu juris, puta si quis servitute itineris, aquæductus utatur[7]. — Ideo possessio in præscriptione acquisitiva consistit in detentione rei vel in exercitio juris, prout res præscribitur vel jus.

a) **Ad præscribendum omnino requiritur possessio.** — Constat tum ex regula 3*a* juris in 6° : « Sine possessione præscriptio non procedit » ; tum ex unanimi sententia juristarum, qui possessionem affirmant esse præscriptionis fundamentum[8].

b) Ut autem **possessio sit ad præscribendum apta,** quinque qualitatibus vestiri debet[9] : nimirum debet esse :

163. (*a*) **Dominativa,** i. e. requiritur ut quis rem nomine proprio et tanquam dominus possideat : ratio est, quia agitur de dominio acquirendo : ergo possessio debet inniti idea domini ; alioquin ex axiomate juris : « Tantum præscriptum, quantum

1. C. C., a. 2214.
2. C. C., a. 2217, 2218.
3. Morino, I, n. 804 ; Zaninetti, II, n. 1178 ; Marres, I, n. 405.
4. C. C., a. 2213, 2214.
5. C. C., a. 2219.
6. C. C., a. 2192.
7. Bucceroni, I, n. 916.
8. Marc, I, n. 893.
9. C. C., a. 2193.

possessum », numquam præscriberetur dominium [1]. — Hinc non præscribit, qui facit aliquid ex mera concessione aut tolerantia domini, quia non agit ut proprietarius [2]. — Item, locatorius, depositarius, usuarius, usufructuarius numquam res ipsam sibi præscribit, quocumque tempore ipsam retineat, quia alieno nomine possidet [3]. Sed qui rem alieno nomine possidet, etiam alieno nomine præscribit : sic tutor, qui nomine pupilli possidet, non sibi sed pupillo præscribit [4].

164. (*b*) **Publica**, seu non claudestina, ita ut ille cujus interest, eam agnoscere ac contra eam reclamare possit : ratio est, quia præscriptio introducta fuit, tum ut puniatur negligentia domini qui tempore opportuno non reclamavit, tum ex eo quod præsumi potest eum voluisse renuntiare juri suo ; atqui rationes illæ locum non habent, quando possessio non potest agnosci. — Agnosci autem potest et ideo dicitur publica possessio, si patesc[illegible]t per operas externas aut per actus exteriores. — Hinc non præs[illegible]bit, qui v. gr. furtim aquam per longum tempus ex alieno p[illegible] haurit, nec qui fossam subtus alienum fundum sine ullo app[illegible]renti signo perduxit, nec qui paulatim et sensim sine sensu agrum vicinum invadit.

Non tamen requiritur ut de facto dominus possessionem cognoscat : hoc enim admisso, non attingeretur scopus legis. Nam voluit legislator excitare diligentiam dominorum ; porro parum curarent domini de cognoscenda alterius possessione, si per suam ignorantiam impediretur præscriptio. — Aliunde, eo admisso, vix unquam valeret præscriptio [5].

165. (*c*) **Tranquilla** seu [illegible]fica, i. e. quiete habita et excludens actus violentiæ, ita [illegible] nulla vis intercesserit initio possessionis : possessio enim a[illegible] præscribendum utilis non incipit nisi postquam vis cessaverit [6], sic v. gr. si quis dominum aut ejus colonum a prædii possessione vi prohibuerit, ei prædii usucapio non procedit. Insuper requiritur ut nulla habeatur ex parte alterius litis contestatio [7], uti infra dicetur.

1. Carrière, II, n. 431.
2. C. C., a. 2196.
3. C. C., a. 2203.
4. Noldin, II, n. 395 ; Timothæus, II, n. 267.
5. Carrière, II, n. 395 ; Timothæus, II, n. 267.
6. C. C., aa. 2197, 2198.
7. Pighi, II, n. 199.

166. (*d*) **Certa** et **non æquivoca** [a] scilicet necesse est ut palam appareat aliquem rem possidere quasi suam, jure uti quasi suo. — Est autem æquivoca possessio, quando ambiguum est an habeat omnes dotes requisitas, sed præsertim quando dubitatur num quis suo vel alterius nomine possideat : v. gr. si conductor ex prædio sibi locato aquam in suum ducat, vel si quis aliquid faciat quod fieri solet jure familiaritatis, vicinitatis, aut amicitiæ. — Ratio est, quia, cum ex possessione magnum beneficium consequatur ille qui præscribit, et quidem non sine damno primævi domini, omnino æquum est ut exigatur possessio non æquivoca [1].

Cum tamen aliquando difficillimum sit omnem ambiguitatem tollere, lex civilis quasdam regulas statuit, ex quibus obtineatur præsumptio, cui standum est in utroque foro : nam propterea dantur regulæ juris, ut dubia rite solvi possint [2]. Istæ sunt igitur præsumptiones a lege statutæ : — 1*a* quilibet præsumitur possidere proprio nomine, nisi probetur cœpisse possidere nomine alterius [3] ; — 2*a* : econtra, qui cœpit possidere nomine alterius, præsumitur semper eodem modo possedisse, nisi contrarium probetur [4] ; — 3*a* : possessor actualis, qui probat se olim possedisse nomine proprio, censetur ita possedisse toto tempore intermedio [5].

167. (*e*) **Continua**, i. e. non intermissa per totum tempus lege definitum : nam possessio est detentio rei vel fruitio juris, proindeque non consistit tantum in primo actu detentionis vel fruitionis, sed in ipsa detentione vel fruitione per tempus lege statutum [6]. — At continuitas spectat possessionem, non possessorem : si quis ideo succedit primo possessori, possessio est una et continua, ita ut semper possit simul computari totum tempus per quod plures possiderunt [7].

168. Huic autem continuitati obstat tum **interruptio** possessionis, tum ejus dormitio seu **suspensio,** licet diverso modo. **Interrumpi** enim dicitur possessio, quando omnino

1. Zaninetti, II, n. 1181 ; Carrière, II, n. 436.
2. Carrière, II, n. 436 ; Marres, I, n. 409.
3. C. C., a. 2194.
4. C. C., a. 2195.
5. C. C., a. 2199.
6. Carrière, II, n. 437.
7. Pighi, II, n. 199 ; Génicot, I, n. 490.

extinguitur propter impedimentam superveniens. — **Suspendi** autem dicitur, quando impedimentum enascitur ne ulterius procedat, ita ut tamen, remoto obice, denuo currere pergat. Unde hæc est differentia inter interruptionem et suspensionem : quando interrupta fuit possessio, tempus clapsum ante interruptionem pro nihilo habetur ac denuo incipere debet præscriptio ; dum, si suspensa tantum fuerit, tempus præcedens suspensionem cum subsequente jungitur [1].

Porro **interrumpitur** possessio aut **naturaliter**, quando ille qui præscribit, re sua ultra annum integrum privatur, sive per proprium dominum, sive per alium [2] : quia qui tanto tempore actionem possessoriam non intendat, a lege censetur amisisse possessionem ; — aut **civiliter**, vel per interpellationem judiciariam [3], quia hæc tranquillitatem possessionis tollit (observandum est tamen, quod si interpellatio non sit valida ex defectu formalitatum, vel si petitionem rogatoriam suam auctor deserat, aut perimi patiatur, vel si petitio rejiciatur, interruptio non datur [4]), vel quando præscribens beneficio temporis jam adimpleti renuntiat atque agnoscit jus illius contra quem præscribit [5], quia tunc supervenit mala fides.

169. Possessio autem **suspenditur** variis de causis : (1) ratione personarum contra quas præscribitur. Suspensio illa fundamentum habet in juris axiomate : « Contra non valentem agere non currit præscriptio ». Attamen ne nimium tribuatur illi axiomati, cujus facilis est abusus, lex nostra [6] declarat possessionem currere contra omnes qui non excipiuntur. Jamvero possessio non currit : (*a*) adversus nondum natos, minores, idiotas, furiosos, aut amentes, etiamsi habeant tutorem aut curatorem, salva tamen exceptione facta de præscriptionibus brevis temporis ; habentes autem consilium judiciarium et interdicti ob prodigalitatem hoc privilegio non gaudent [7] ; (*b*) a conjuge contra conjugem [8] ; (*c*) neque contra uxorem, quando

1. Timothæus, II, n. 267 ; Carrière, II, n. 437, 441.
2. C. C., a. 2223.
3. C. C., a. 2224.
4. C. C., a. 2226.
5. C. C., a. 2227.
6. C. C., a. 2232.
7. C. C., aa. 2232, 2269.
8. C. C., a. 2233.

uxor contra maritum juridice agere deberet, aut quando agitur de juribus quæ exerceri non possunt nisi post communitatis dissolutionem [1] ; (*d*) contra hæredem beneficiarium quoad propria credita, quæ habet adversus hæreditatem [2]. — (2) Ratione objecti circa quod versatur. Triplicem casum assignat codex noster [3] : si agatur (*a*) de credito conditionali, dones conditio evenerit ; (*b*) de actione gallice dicta « *en garantie* », donec res evicta fuerit ; (*c*) de credito in diem certum, donec dies venerit. Illud sequitur ex eo quod, quamdiu actio nata non est, ut loquuntur jurisperiti, creditor agere non potest, ac proinde contra illum præscriptio currere nequit. — (3) Ratione circumstantiarum, ex quibus habetur impossibilitas pro eo, contra quem præscribitur, jus suum prosequendi : v. gr. quando judicia exerceri non valent, scilicet tempore belli, etc [4].

170. 3°) **Titulus** est causa ex se habilis ad transferendum dominium, ut emptio, donatio, hæreditas, etc [5]. — Unde dicitur ab aliis [6] causa propter quam possessor putat rem a se possessam esse suam ; ab aliis [7] causa propter quam aliquis rem possidet. — Titulus potest esse : verus, apparens, aut vitiosus, Est autem verus, quando habet omnia requisita ad transferendum dominium; est apparens, quando dominium non transfert, sed illud transferre censetur ; vitiosus, quando ex natura sua non est translativus proprietatis, v. gr. titulus, quo res precario possidetur, ut locatio, commodatum [8].

171. *a*) Ad præscriptionem acquisitivam necessario requiritur **aliquis titulus**. — Probatur : tum ex eo quod translatio non fiat sine causa ad translationem necessaria ; tum ex eo quod titulus sit fundamentum justæ possessionis et sine eo non possit possidens habere bonam fidem, cum credere nequeat se habere jus possidendi, nisi existimet se habere titulum ex quo jus istud oriatur [9].

1. C. C., aa. 2234, 2235.
2. C. C., a. 2237.
3. C. C., a. 2236.
4. Carrière, II, n. 441 ; Marc, I, n. 898.
5. Ballerini, III, n. 310.
6. Timothæus, II, n. 270.
7. Noldin, II, n. 394.
8. Bellerini, III, n. 329 ; Marc, I, n. 894.
9. Mechlinensis, p. 54 ; Bucceroni, I, n. 919 ; Haine, II, q. 69.

Verus - (non requiritur)
apparens { Coloratus / Putativus / Praesumptus }
vitio. - non sufficit

172. *b*) Non autem requiritur **titulus verus.** — Ratio est, quia ille titulus sine præscriptione sufficit per se ad dominium transferrendum, et proinde, si requireretur, superflua esset præscriptio [1].

173. *c*) **Titulus vero vitiosus** non sufficit, sed potius præscriptioni nocet. — Ratio est, quia ad præscriptionem requiritur possessio animo domini habita ; porro hic non adest ; nam qui incœpit nomine alterius seu modo precario possidere, præsumitur a lege semper eodem modo possedisse [2], et ideo talis est sensus hujus axiomatis in jure recepti : « Ad primordium tituli posterior semper formatur eventus. » — Hinc illud effatum : « Melius est non habere titulum, quam habere vitiosum » : nam aliquando sine titulo quis præscribere potest, minime autem cum titulo vitioso [3].

174. *d*) Proinde ad præscribendum sufficit **titulus apparens.** — Ratio est, quia talis titulus bonam fidem fundare potest [4].

Sed titulus apparens est aut **coloratus**, aut **putativus** seu existimatus, aut **præsumptus.** — *Coloratus* est ille, qui speciem quidem habet veri tituli, attamen ex vitio occulto caret effectu, v. gr. emptio rei furto ablatæ. — *Existimatus* seu putativus est ille, qui ex adjunctis prudenter creditur adfuisse, etsi de facto non adfuerit ; v. gr. si filius hæreditate possideat alienum bonum, quod putat a patre emptum, sed revera furto ablatum, vel si herus, qui famulo tradiderat pecuniam ad rem emendam, existimat rem a famulo fuisse emptam, quæ tamen ab eo non empta sed furto ablata fuit. — *Præsumptus* est ille, qui demonstrari non potest, sed ex pacifica et diuturna possessione præsumitur adfuisse [5].

Porro jure naturali ad præscribendum sufficit titulus coloratus vel existimatus, quia cum utroque bona fides existere potest. — Imo accedente saltem jure positivo, sicuti fit in fere omnibus juribus modernis, titulus præsumptus ad præscriptionem longissimi temporis, scilicet 30 annorum, sufficit, quia

1. Zaninetti, II, n. 1180.
2. C. C., a. 2195.
3. Carrière, II, n. 493 ; Marc, I, n. 894 ; Tanqueray, II, n. 257.
4. Noldin, II, n. 394.
5. Marc, I, n. 894.

diuturna possessio merito præsumitur non esse sine titulo [1]. — Insuper idem titulus præsumptus sufficit ad præscriptionem rerum mobilium : nam lex nostra [2] asserit quoad mobilia possessionem titulo æquivalere. — Sed pro præscribitione longi temporis, scilicet 10 annorum, requiritur titulus coloratus, nam titulus probari debet [3] ; unde requiritur ut adsit titulus confectus juxta solemnitates lege requisitas [4].

175. 4° *a*) **Bona fides** generatim describi potest : judicium practicum quo possessor rei alienæ prudenter persuasum sibi habet se rem juste et legitime possidere ut suam. — Fundatur autem hoc judicium vel in argumento directo, puta titulo colorato, quo moraliter constare videtur se rem tam materialiter quam formaliter juste possidere ; vel in argumento indirecto, puta principio possessionis, quo eidem possessori moraliter constare videtur se, practice loquendo, rem ut suam possidere formaliter juste, quidquid sit de dubio speculativo forsan remanente an etiam materialiter justa sit possessio.

176. *b*) Distinguitur bona fides **theologica** et **juridica**. Theologica est judicium prudens quo possessor credit rem esse suam, aut saltem juste a se possideri. — Juridica autem est persuasio qua possessor putat se esse proprietarium, vel jus quoddam habere, et quæ adesse censetur in foro externo, eo quod rem legaliter acquisivit ab eo quem verum proprietarium non fuisse non probatur. — Discrimen itaque inter utramque duplex præsertim est : (*a*) quod theologica simpliciter excludat peccatum injustitiæ a possessione rei ut suæ ; juridica vero requirat titulum coloratum vitio formæ non laborantem : (*b*) quod theologica numquam admittitur nisi reapse in conscientia existat, juridica vero præsumitur nisi mala fides probetur [5]. — Existere igitur potest bona fides theologica sine juridica, ut quando datur titulus vitiosus : si enim tunc revera absit omne peccatum aut saltem culpa gravis, aderit bona fides coram Deo, non coram judice. Similiter existere potest bona

1. C. C., a. 2242.
2. C. C., a. 2268.
3. C. C., a. 2251.
4. C. C., a. 2254.
5. Waffelaert, I, n. 230, 231.

fides judirica sine theologica, v. gr. in eo qui detegit tituli vitia, quæ ignorabat intio possessionis [1].

177. *c*) I. — Ut valeat in foro conscientiæ præscriptio acquisitiva, requiritur **bona fides theologica non tantum in initio possessionis**, verum **toto decursu usque ad tempus legale præscriptionis completum.** — Constat : (*a*) ex regula 2*a* juris in 6° : « Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit ». — (*b*) ex aperta Ecclesiæ doctrina hisce verbis exposita : « Definimus ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica quam civilis...... Unde oportet ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ [2] » ; — (*c*) ratione: nam statim ac quis conscius est rem a se possessam esse alienam, antequam tempus ad præscriptionem requisitum elapsum fuerit, tenetur eam domino quamprimum moraliter restituere ; secus, injustus fit alienæ rei detentor ac justitiam lædit ; res enim clamat domino [3]. — Confirmatur Conc. Quebecenci VII, quod in Decreto XXV docet : « Quapropter si jus civile bonam quamdoque non exigat fidem, vel initio tantum possessionis adfuisse requirat, talem juris dispositionem nullius prorsus roboris esse pro foro conscientiæ declaramus ».

Ex quibus deducitur dispositiones legis civilis, in quantum bonam fidem non exigunt, aut eam tantum in principio possessionis requirunt, aut statuunt bonam fidem præsumi, malam esse probandam, pro foro concientiæ efficaciam non habere : jus enim naturale postulat ut fraus et mala fides non patrocinetur ; secus fures incitarentur ad alienas res invadendas, ac totus ordo socialis perturbaretur. Dispositiones autem illæ habendæ sunt ut meræ denegationes actionum pro foro judiciali, forte ut nimia litium frequentia vitetur [4].

178. II. Insuper ad præscriptionem acquisitivam legitimam etiam in conscientia, requiritur bona fides juridica (bona fides cum titulo), quoties hanc fidem postulat lex. — Ratio est, quia præscriptio, cum suam vim a lege mutuatur, non valet, etiam in foro interno, nisi habeat ea quæ ab eadem lege requiruntur [5].

1. Haine, II, q. 69.
2. Conc. Lat. IV.
3. Tanqueray, II, n. 255 ; Haine, II, q. 69 ; Noldin, II, n. 393.
4. Waffelaert, I, n. 232 ; Haine, l. c. ; Tanqueray, l. c.
5. Waffelaert, I, n, 233.

Porro hæc bona fides requiritur jure nostro pro præscriptione longi temporis, quia in ea exigitur titulus qui ex natura sua dominium transferre valeat, et qui non sit nullus ex defectu formæ [1]. Sed non requiritur pro præscriptione longissimi temporis, quia in hac præscriptione titulus coloratus non est exhibendus nec potest opponi mala fides [2] ; — neque pro præscriptione rerum mobilium, quia quoad mobilia possessio æquivalet titulo [3].

179. Bona autem fides intelligitur usucapientis, ut planum est ; quare si defunctus pater rem bona fide a non domino emit, filio id sciente, et usucepit, et postea filius ei hæres extiterit, hanc rem non tenetur restituere filius : nam quamvis peccaverit contra caritatem, dum currebat præscriptio, hac tamen completa absque novo peccato sive injustitiæ sive contra caritatem rem accipere et retinere potest. Ei tamen ratione læsæ caritatis et naturalis æquitatis rei redditio suadenda est [4]. — Tandem bona fides antecessoris [illegible]per prodest successori tum universali tum particulari, qui ip[illegible] fide sit ; si quis ergo post completum tempus præscripti[illegible]tecessore inchoatæ et a seipso continuatæ cognoscat rem e[illegible]am, non tenetur eam restituere : ratio est, quia antecessor rem tradit successori cum omni jure, quod ipse habet [5].

180. *d*) Bonæ fidei autem tria principaliter adversantur, videlicet : mala fides, dubia fides, et ignorantia vel error.

(*a*) Mala fides dicitur illa qua quis ante tempus præscriptionis completum agnoscit rem, quam possidet, esse alienam. — Jamvero hæc potest esse possessoris actualis, vel potuit esse possessoris antecedentis. — In priori hypothesi, mala fides semper præscriptionem impedit, quia deficit conditio bonæ fidei, quæ est omnino necessaria. — Ad malam fidem etiam reducitur conscientia illicitæ, etsi infundata : quia non potest esse in bona fide, qui agit contra suam conscientiam, sive erroneam sive rectam. — Hæc autem mala fides semper impedit præscriptionem, etiamsi post aliquod tempus ex oblivione naturali possessor credat rem a se possessam esse suam ; quia bona fides

1. C. C., a. 2251, 2254.
2. C. C., a. 2242.
3. C. C., a. 2268.
4. D'Annibale, II, n. 140, nota 8 ; Zaninetti, II, n. 1179 ; Corlelisse, II, n. 88.
5. Noldin, II, n. 393.

theologica non potest consistere cum culpa gravi, et aliunde nemo ex gravi culpa debet commodum reportare [1]. —— In posteriori hypothesi, ex jure canadensi, distinguendum est : scilicet possessor actualis succedit vel titulo universali, vel titulo particulari. — Dicitur autem aliquis succedere titulo universali, quando accipit determinatam partem omnium bonorum mobilium vel immobilium ipsius antecessoris. E contra dicitur succedere titulo particulari ille qui accipit bona determinata et individua [2].——(1) Jamvero mala fides prioris possessoris impedit quominus res ab ejus successore immediato vel mediato præscribatur, quando is ei succedit ex titulo universali : ratio est, quia fictione juris hæres censetur una persona cum antecessore, et ideo hunc semper repræsentat cum vitiis suis [3]. Quæ ratio confirmatur ex ipsius Codicis nostri verbis : « Neque fur, neque ejus hæredes et successores titulo universali rem furto ablatam per ullum temporis spatium præscribere possunt [4]. » Ideo apud nos deest locus controversiæ quæ apud auctores [5] invenitur quoad præscriptionem longissimi temporis. —— (2) Mala autem fides antecessoris non impedit quominus præscribat successor particularis : nam qui succedit titulo particulari, neque est, neque fictione juris censetur esse unica persona cum antecessore ; quod confirmatur verbis Codicis nostri : « Successores titulo particulari ex vitiis possessionis alterius nullum incommodum reportant [6] ». Idem dicendum est de rebus acquisitis emptione vel alio contractu [7].

181. (*b*) Quoad dubiam fidem, hæc tenenda sunt : (1) qui ab initio, ante inchoatam possessionem, dubitat an res sit sua vel aliena, caret bona fide necessaria ad præscriptionem ; nam non habet titulum illam usurpandi, et sibi eam appropriando se exponit periculo lædendi jura alterius, ideo habendus est ut possessor malæ fidei. — (2) Qui vero bona fide possessionem incipit, et postea prudenter dubitat an res sit sua, tenetur diligenter inquirere : quod si gravi culpa negligit, ob defectum bonæ fidei rem usucapere nequit. Si autem, facta inquisitione,

1. Haine, II, q. 69.
2. C. C., a. 873.
3. Zaninetti, II, n. 1179 ; Marres, I, n. 413.
4. C. C., a. 2198.
5. Carrière, II, n. 482 ; Marres, I, n. 414 ; Bucceroni, I, n. 930.
6. C. C., a. 2198.
7. Bucceroni, I, 929 ; Génicot, I, n. 491.

non constat rem esse alienam, potest insistere possessioni et expleto tempore præscribit : nam licet non possit dubium speculativum deponere, potest tamen depellere dubium practicum hoc reflexo principio : in dubio, melior est conditio possidentis, et proinde potest habere rem ut suam. — (3) Qui vero dubitat de bona fide antecessoris, post adhibitam deligentiam, potest præscribere, quia ordinarie et per se mala fides non est præsumenda : nemo enim præsumitur malus, nisi probetur [1].

Praescriptio

182. (c) Bona fides in ordine ad præscriptionem semper supponit aliquam ignorantiam aut errorem, sed non patitur secum quamcumque ignorantiæ speciem. — (1) Omnis ignorantia graviter culpabilis seu mortaliter mala, aufert bonam fidem quæ consistere non potest cum culpa gravi, et aliunde nemo ex gravi culpa debet commodum reportare. — (2) Ignorantia facti inculpabilis nedum bonam fidem impediat, potius eam inducit, cum bona fides semper aliquid erroris supponat. Idemque dicendum est, si ignorantia sit tantum leviter culpabilis, quia in Conc. Lat. IV non damnatur nisi sola fides cum peccato mortali ; aliunde, si ignorantia leviter culpabilis impediret præscriptionem, ipsum jus præscriptionis innumeris obnoxium esset dubiis et scrupulis, et proinde aberraret a fine ob quem fuit inductum. — (3) Quoad ignorantiam juris, consentiunt omnes Theologi eam non obstare bonæ fidei theologicæ, nec adeo impedire præscriptionem quoties bona fides juridica non exigitur, ut in præscriptione longissimi temporis ; valde tamen dissentiunt ubi agitur de bona fide juridica : sed hi omnes de jure romano loquuntur et textibus ex eodem jure desumptis pugnant. Quod vero ad jus nostrum attinet, ignorantia juris sive clari sive obscuri impedit præscriptionem ubi bona fides juridica exigitur. Etenim ex una parte nihil occurere videtur in jure nostro quod faveat ignorantiæ juris inculpatæ, et ex alia parte eodem jure [2] declaratur titulum irritum ex defectu formæ non posse inservire ad præscriptionem longi temporis : articulus ille est omnino generalis, ac proinde complectitur casum quo ignorata fuisset nullitas illa ex defectu formæ ; atqui tamen optime sciebat legislator dari posse ignorantiam invincibilem

1. Haine, II, q. 69 ; Marres, I, n. 411 ; Zaninetti, II, n. 1179 ; Marc, I, n. 896.

2. C. C., a. 2254.

circa formas requisitas in contractibus, cum multa sint de iis valde obscura et intricata. Ergo [1].

183. 5°) **Tempus.** — Prænotandum est : *a*) tempus ad præscriptionem requisitum non ab hora ad horam, sed a die ad diem computandum est, nec prius fit valida præscriptio, quam ultimus dies totaliter effluxerit, ita ut non computetur dies inceptionis, quia non integer, et non compleatur præscriptio nisi hora noctis duodecima ultimi diei : sic enim æstimatur dies in materia præscriptionis [2] ; — *b*) in præscriptionibus, quæ mensibus complentur, menses numerantur, uti sunt in calendario gregoriano, non spectato numero dierum quibus constant [3], — *c*) ad complendam possessionem, potest possessor actualis propriæ suæ possessioni adjungere possessionem sui antecessoris, quocumque titulo ei successerit [4].

184. Ex jure canadensi, habetur pro acquisitiva præscriptione longissimum tempus, longum tempus et breve tempus, scilicet spatium 40 aut 30, 10 vel 3 annorum. — (*A*) Pro rebus immobilibus et pro servitutibus apparentibus aliisque juribus quæ in fundo alieno exercentur, si desit titulus, requiruntur 30 anni ad præscribendum [5]. Insuper inter parochos vicinos, fundus quoad jus ad decimas præscribitur per 40 annos. (C. C. a. 2219).—(*B*) Eadem, si possideantur cum titulo, præscribuntur possessione ejusmodi habita per 10 annos [6]. — (*C*) Pro mobilibus sufficit præscriptio 3 annorum. Ideo dominus rei amissæ vel furto ablatæ potest eam repetere per tres annos ab eo in cujus manibus versatur : is tunc recurrere poterit contra eum a quo rem accepit. Attamen ab eo qui rem furto sublatam vel amissam emit in nundinis, in licitatione, vel a mercatore qui res ejusdem speciei vendere solet, dominus rem suam repetere nequit, nisi soluto pretio quod ipse possessor alteri solverit [7].

185. Ex jure canonico, (*A*) Bona ecclesiæ romanæ tum mobilia tum immobilia non præscribuntur nisi spatio 100

1. Waffelaert, I, n. 237 ; Carrière, II, n. 469 ; Haine, II, q. 69.
2. C. C., a. 2240.
3. Zaninetti, II, n. 1182.
4. Marc, I, n. 897.
5. C. C., a. 2242.
6. C. C., a. 2251.
7. C. C., a. 2263.

annorum.—(*B*) Bona immobilia aliarum ecclesiarum præscribuntur 40 annis ; bonis immobilibus æquiparantur mobilia pretiosa, quæ non præscribuntur nisi 40 annis. Idem temporis spatium requiritur etiam ad præscribenda bona monasteriorum, hospitalium et aliorum locorum religiosorum. — Hæc quadragenaria præscriptio requiritur etiam cum præscribit ecclesia contra aliam ecclesiam. — (*C*) Quoad bona mobilia aliarum ecclesiarum aut piorum locorum auctores non conveniunt : alii ex jure communi romano triennium cum titulo sufficere, sine titulo tricennium requiri opinantur ; alii spatium 40 annorum requirunt, quia concessio in jure canonico locis piis facta inter mobilia et immobilia non distinguit [1] ; utraque sententia satis probabilis videtur Sto Alphonso [2].

186. Nota. — Hodie fideles vix suspicantur aliquod in jure dari discrimen pro hac materia inter res profanas et ecclesiasticas. Prudentia igitur sæpesæpius suadet illos in bona fide relinquere, ne mala fide teneant, quæ hucusque bona fide occuparunt. Cæteroquin in hisce, salvo sigillo sacramentali, nihil agatur inconsulto Episcopo, cujus est in causis sacris judicium ferre [3].

V. P. 119.

2) *Quoad præscriptionem liberativam.*

187. Vulgo relate ad liberativam assignantur eædem conditiones ac pro acquisitiva præscriptione. Sed cum **possessio**, in ordine ad liberativam præscriptionem, nihil aliud sit quam existimatio inculpata libertatis a debito, **titulus** vero prudens ratio, qua illa existimatio nititur, jam intelligitur hujusmodi quasi-possessionem et titulum practice non differre in casu a bona fide, quippe quæ heic est inculpata ignorantia debiti. Quædam itaque notare sufficiet de **debito præscriptibili, bona fide**, et **tempore requisito,** sedulo tamen advertendo interruptionem et suspensionem heic eodem modo et eodem cum effectu locum habere ac in præscriptione acquisitiva [4].

1. Noldin, I, n. 396 ; Zaninetti, II, n. 1189.
2. Marres, I, n. 425.
3. Marres, I, n. 427.
4. Waffelaert, I, n. 250.

Requiritur { debitum praescriptibile
Bona fide
Tempus requisitum

188. *a*) **Debitum præscriptibile.** — Præscriptioni liberativæ obnoxia sunt omnia debita temporalia, ad commercium spectantia, exceptis tamen iis quæ sunt ordinis publici (ut actio reclamandi statum legitimum [1]), iis quæ lex declarat impræscriptibilia (ut jura pertinentia ad regem [2]), iis quæ sunt juris naturalis vel divini (ut obedientia superioribus debita, aut officium parentibus incumbens curandi educationem prolis), et juribus facultativis [3], quæ profluunt ex jure naturali, et civili (v. gr. posse in suo fundo ædificare, plantare, etc.), unde illud : in facultativis non datur præscriptio ; attamen præscribi possunt facultativa, quæ profluunt ex priv[illegible]m concessione, v. gr. si aliquis permiserit vicino ædificare in [illegible] prædio citra legitimum spatium, et is per 30 annos hoc jure [illegible]sus sit [4].

189. *b*) **Bona fides** vulgo intelligitur inculpata vel non serio culpabilis ignorantia debiti. — Hæc autem ignorantia oriri potest vel ex eo quod quis prudenter, licet erronee, persuasum sibi habeat debitum jam esse solutum, aut a creditore condonatum esse, vel ex eo quod debiti existentia omnino memoria excidat seu plane nesciatur, uti aliquando contingit in debitoribus successoribus, ast vix unquam in ipso debitore, quippe qui debiti a semetipso contracti aliquam in confuso memoriam fere semper retinet, aut saltem ejusdem memoriam non amittit sine culpa sive negligentiæ in solvendo, sive abusus patientiæ creditoris, etc. : unde ignorantia inculpata, quæ ad bonam fidem sufficiat, regulariter admitti non posse videtur in ipso debitore, ubi agatur de ignorantia unice nixa debiti oblivione [5].

Ut vero liberativa præscriptio civilis valeat in conscientia, necessaria est hæc bona fides : quæ assertio probatur rationibus jam supra allegatis pro præscriptione acquisitiva. — Insuper dubia et mala fides eumdem effectum obtinent. — Ignorantia quævis inculpata non obstat huic præscriptioni [6].

Præscriptione autem liberativa onus seu obligatio exstinguitur. Obligationes vero duplicis generis sunt : activæ, quæ

1. C. C., a. 235.
2. C. C., a. 2212.
3. C. C., a. 2196.
4. Zaninetti, II, n. 1178 ; Waffelaert, I, n. 251 ; D'Annibale, II, n. 151; Scavini, II, n. 537.
5. Mechlinensis, p. 55.
6. Waffelaert, I, n. 253.

Obligatio positiva — obl. aliquid faciendi (solvendi debitum)
Obligatio negativa — obl. nihil faciendi (patiendi servitutem quoad fundum)

ad actionem personalem vel realem referuntur, ut solvendi ex empto aut mutuo ; et passivæ, quæ referuntur tantum ad onus subeundum, e. g. patiendi transitum per fundum proprium. Unde diversa requiritur bona fides pro diversitate obligationis exstinguendæ. Igitur in præscriptione liberativâ activâ bona fides positiva, seu persuasio præscribentis aut debitoris se nullam habere obligationem, omnino requiritur : quare is, qui etiam sine peccato longo tempore solutionem debiti differt, non præscribit. — In præscriptione liberativa passiva sufficit bona fides negativa, quæ consistit in persuasione præscribentis, se nihil agere contra jus alterius suamque obligationem : requiritur ergo, ut alterum in usu juris sui non impediat, at necesse non est ut eum de usu juris sui moneat [1].

quae liberat ab obligatione positiva

190. *c*) **Tempus requisitum. — Ex jure nostro,** relate ad hanc præscriptionem distinguitur tempus longissimum (30 annorum), tempus longum (10 annorum), tempus breve (5 annorum), et tempus brevissimum (2 vel 1 anni aut 6 mensium).

A) Per præscriptionem longissimi temporis exstinguuntur omnes actiones reales et personales, quin opponi possit defectus tituli aut bonæ fidei [2]. — Porro est actio realis, quæ dirigitur in rem, ut actio vindicandi prædii ; est actio personalis, quæ dirigitur in personam, ut actio vindicandi crediti. — Hæc quidem præscriptio, dempta clausula circa defectum bonæ fidei quæ evidenter solum externum forum spectat, non tantum excludit actionem coram judice, sed etiam ex ipsa intentione legislatoris liberat in conscientia, si bona fides theologica toto tricennio perseveraverit [3].

B) Per præscriptionem longi temporis, exstinguuntur : (*a*) omnia jura realia : servitutes, onera, hypothecæ, reditus, dummodo detur bona fides et habeatur titulus translativus proprietatis, qui sit validus quoad formam et rite in publicas tabulas relatus : decennium vero computatur a die relationis [4] ; — (*b*) jus actionis ad restitutionem obtinendam, quod habet minor contra tutorem propter læsiones ab eo tutore contra se

1. Noldin, II, n. 393 ; Lugo, disp. 7, n. 49.
2. C. C., a. 2242.
3. Zaninetti, II, n. 1185 ; Waffelaert, I, n. 254 ; Marc, I, n. 900.
4. C. C., aa. 2251, 2252, 2254.

admissas : decennium autem computatur a die qua minor majoritatis ætatem adeptus est [1] ; — (*c*) jus obtinendæ rescissionis contractuum qui initi fuerunt sub influxu erroris, fraudis, violentiæ aut metus: decennium vero computatur a die qua cessavit violentia aut metus, vel detectus fuit error aut fraus [2] ; — (*d*) jus ad obtinendam rescissionem venditionis rei immobilis propter defectum solutionis pretii [3] ; — (*e*) omnis præstatio (responsabilité) architectorum et conductorum (entrepreneurs) relate ad opera a se facta vel conducta [4]. — Præscriptio hæc decennalis communiter valet in conscientia, quia a jurisperitis æquiparatur præscriptioni tricennali [5].

C) Per breve tempus præscribuntur : reliqua (arrérages) fructuum civilium aut naturalium [6]; — debita erga advocatos, procuratores, notarios et medicos aut chirurgos propter exercitium suæ artis ; — omnes syngraphæ permutatoriæ vel promissoriæ ;— debita propter venditiones rerum mobilium, quæ effectæ fuerunt inter non-mercatores vel inter mercatorem et non-mercatorem ; — pretium locationis operum vel cujuslibet laboris manualis aut intellectualis, excepto tamen salario quod speciali legis dispositione regitur [7] ; — municipalia vectigalia (cotisations) [8]. — Porro lex eo spectat ne, acervatis debitis et præstationibus, debitores ad egestatem reducantur [9].

D) Per tempus brevissimum, *a*) 2 annorum præscribuntur : debita propter seductionem et impensas partus inde subsequentis ; — debita propter delicta et quasi-delicta: delictum autem est actus voluntarius et illicitus, quo aliquis, per actionem aut omissionem, alteri damnum intentionaliter infert ; quasi-delictum vero est actus voluntarius et illicitus quo aliquis, per imprudentiam aut negligentiam, alterius damnum generat [10] ; —salaria eorum, qui non reputantur domestici et quorum locatio existit saltem pro anno ; — salaria institutorum et pretium pensionis

1. C. C., a. 2258.
2. C. C., a. 2258.
3. C. C., a. 1537.
4. C. C., a. 2259.
5. Zaninetti, II, n. 1186.
6. C. C., a. 2250.
7. C. C., a. 2260.
8. C. C , a. 2011.
9. Zaninetti, II, n. 1187 ; D'Annibale, II, n. 154.
10. Mignault, V, p. 334.

quod eis debetur [1]. —— *b*) Per spatium 1 anni præscribuntur : debita propter injurias verbis aut scriptis factas, et propter injurias corporales ; — salaria domesticorum, quorum locatio fit pro hebdomade aut pro mense ; — debita erga caupones pro hospitio et cibis subministratis [2]. —— *c*) Per spatium 6 mensium præscribuntur mulctæ impositæ vi statutorum municipalium [3].

191. Valor præscriptionis brevis vel brevissimi temporis. — Licet Concilium Quebecense VII [4] videatur hanc præscriptionem condemnare, quia « perdifficile est haberi bonam fidem, quæ ei faveat», attamen distinguendum est : 1) Quoad præscriptionem acquisitivam, subdistinguere oportet : agitur enim vel de rebus furtivis, vel de rebus inventis, vel de aliis rebus. —— *a*) In primo casu, fur seu possessor malæ fidei nunquam præscribere potest, etiamsi lapsu temporis oblitus fuerit se rem injuste accepisse, cum possessionem mala fide inceperit ; — furis successor titulo universali sive immediatus sive mediatus nunquam etiam potest præscribere, quia fictione juris talis successor censetur una persona cum antecessore, et ideo eum repræsentat cum vitiis suis; — emptor aut donatarius e contra, qui rem bona fide a fure accepit, præscribere potest, si adsint ceteræ conditiones ad præscriptionem requisitæ, quia hic successor neque est, neque fictione juris censetur unica persona cum antecessore [5]. —— *b*) In secundo casu, primus possessor rei inventæ non potest præscribere, si omissa fuerit debita diligentia, quia deest bona fides requisita, sed, præmissa debita diligentia, licet quidam negent haberi bonam fidem requisitam ad præscribendum, attamen affirmandum videtur : quia, si, spectatis circumstantiis adhibitaque debita diligentia, dominus inveniri nequeat neque affulgeat spes ulla eam inveniendi, res nullius esse censetur, atque inventor potest rei possessionem incipere animo domini, et ideo præscribere [6] ; — successor titulo particulari, dummodo sit in bona fide, potest præscribere, quia non representat antecessorem ; successor autem titulo universali, quia censetur unica persona cum antecessore, potest aut non

1. C. C., a. 2261.
2. C. C., a. 2262.
3. C. M., a. 1045.
4. Decreto XXV.
5. C. C., a. 2198.
6. Bulot, I, n. 533 ; Haine, II, q. 69 ; Bucceroni, I, n. 893.

potest præscribere prout antecessor adhibuerit diligentiam debitam aut non adhibuerit. —— *c*) In tertio casu, licet quidam [1] hanc præscriptionem acriter aggrediatur, tamen probabilius valet in conscientia, quia legislator civilis videtur voluisse talem translationem facere ad favendum securitati commercii rerum mobilium et stabilitati pactorum [2]. Insuper in jure canadensi verba generaliora adhibentur ; dicitur enim : « Præscriptio mobilium corporalium locum habet per 3 annos in favorem possessionis bonæ fidei, etiamsi possessio obtenta fuerit per furtum [3] », sed non pro fure aut ejus successore titulo universali. — 2) Quoad præscriptionem liberativam, notat Gousset : « quoties præscribi potest in foro externo, pariter ab interno præscribere licere, dummodo bona fides toto præscriptionis tempore non defuerit [4]». Jamvero patet hanc bonam fidem facile haberi posse apud successores primi debitoris, saltem titulo particulari ; sed apud primum debitorem rarissime haberi potest. Adesset tamen, v. gr., in casu sequenti : singulis annis dedi interesse famulo meo, ut solvat pro me ; sed ipse confecit falsas apochas (quittances), et post 8 annos creditor venit, rogans canones 8 annorum. Ego cum fuerim in bona fide, dabo tantum pro 5 annis, non solvam pro tribus prioribus [5].— Insuper notandum est quod, licet Codex noster exponens præscriptiones brevis et brevissimi temporis loquatur semper de denegatione actionis civilis, attamen addit : « In omnibus his casibus, debitum est omnino exstinctum [6] ».

IV. De successione hæreditaria

192. DEFINITIO. — **Successio hæreditaria** est acquisitio juris realis quod defunctus habebat tempore mortis, seu aliis verbis : est transmissio bonorum et jurium realium defuncti ad unam vel plures personas, quæ ejus locum accipiunt, et quæ ordinarie vocantur hæredes vel legatarii. — Hinc hæres aut legatarius dicitur ille, cui competit jus adeundi hæreditatem. —— Hæreditas

1. Ballerini, nota ad Gury I, n. 586.
2. Génicot, I, n. 492 ; Waffelaert, I, n. 249 ; Gury, I, n. 586.
3. C. C., a. 2268.
4. Vives, n. 383.
5. Haine, II, q. 67.
6. C. C., a. 2267.

autem est universum jus (universitas bonorum) defuncti, et complectitur omnia ejus jura et onera, quæ non sunt mere personalia [1]. Juxta legem nostram, omnia defuncti bona simul sumpta unam eamdemque hæreditatem constituunt, quin origo aut natura eorum consideretur [2].

193. APERITIO. — Successio aperitur ipso momento mortis naturalis aut civilis testatoris, et in loco ultimi ejus domicilii [3]. Ratio prioris est, quia per mortem sive naturalem sive civilem quis fit incapax possidendi ; — ratio posterioris est, quia testator præsumitur velle suam civilem personam subsistere in loco in quo facultatem possidendi deperdidit [4].

Hinc valde interest ut instans mortis accurate determinetur : nam qui prior discessit, relinquit bona sua superstiti hæredi. Jamvero instans mortis probari potest per scriptum vel per attestationem testium [5]. — Sed gravis difficultas oritur, si duo vel plures ad sibi succedendum vocati commoriuntur in eadem calamitate. Deficiente probatione desumpta vel ex testimonio medicorum qui ex inspectione cadaverum aut vulnerum possunt discernere quis præmortuus fuerit, vel ex assertione testium qui unum jam mortuum, altero signum vitæ exhibente, viderunt, vel ex circumstantiis ipsius eventus (v. gr. si omnes personæ cujusdam familiæ eadem nocte fuerint occisæ, censentur parentes præoccisi fuisse, quia præsumuntur homicidæ per eorum occisionem suæ securitati providisse) [6], recurrendum est ad præsumptiones desumptas ex ætate et sexu commorientium. Hæ autem præsumptiones sic enuntiantur : *a*) si omnes nondum pervenerint ad decimum quintum annum suæ ætatis, adultior fuisse superstes præsumitur ; — *b*) si omnes annum sexagesimum suæ ætatis jam adepti sint, junior fuisse superstes præsumitur ; — *c*) si alii nondum decimum quintum annum attigerint, et alii jam sexagesimum annum adepti fuerint, priores fuisse superstites præsumentur. — *d*) si alii nondum annum decimum quintum attigerint aut jam annum sexagesimum adepti fuerint et alii sint ætatis interjectæ, posteriores

1. Marc, I, n. 1069 ; Waffelaert, I, n. 264; Carrière, II, n. 501 ; C. C., a. 596.
2. C. C., a. 599.
3. C. C., aa. 600-602.
4. Mignault, III, p. 258.
5. C. C., a. 51.
6. Mignault, III, p. 261.

fuisse superstites præsumuntur ; — *e*) si omnes ætatis interjectæ sint, junior superstes fuisse præsumitur ; sed si diversi sexus fuerint, masculus fuisse superstes semper præsumitur [1].

194. POSSESSIO. — Aperta hæreditate, non tenetur hæres eam acceptare, prout fert commune axioma : « Nemo hæres nisi velit ». Ratio est, quia hæredis qualitas obligationes gignit, quæ sine certa voluntatis manifestatione non assumuntur [2]. — Attamen, quia defunctus invadit vivum (*le mort saisit le vif*), hæres etiam ignorans possessionem omnium bonorum et jurium realium defuncti modo instantaneo obtinet [3]. Ideo potest et ponere omnes necessarios actus meræ conservationis, vigilantiæ et administrationis temporaneæ horum bonorum [4] et, dummodo observentur formalitates requisitæ [5], vendere objecta quæ sunt deteriorationi obnoxia vel quorum conservatio sumptui est [6] ; creditores autem possunt adversus eum intentare et interrumpere præscriptionem, hæres enim est mandatarius successionis ideoque ut bonus paterfamilias eam administrare tenetur [7]. — Sed hæc possessio non est definitiva aut irrevocabilis, quia hæres eam habet sub conditione resolutoria renuntiationis : proinde potest ei renuntiare vel eam acceptare [8].

Porro antequam apud animum statuat quid faciat, hæres habet intervallum trium mensium ad inventarium successionis conficiendum et spatium quadringenta dierum ad deliberandum ; insuper elapso hoc duplici intervallo temporis, potest a judice competenti nova mora obtineri [9].

Si vero hæres moriatur antequam successionem acceptaverit aut repudiaverit, possunt ipsius hæredes hanc acceptare vel repudiare loco ipsius [10]. Igitur hæredes possunt quidem repudiare illam successionem, et acceptare successionem auctoris immediati, sed

1. C. C., aa. 603-605.
2. Marc, I, n. 1072 ; C. C., a. 614.
3. Mignault, III, p. 371.
4. C. C., a. 664.
5. C. P. C., a. 1324. Hæc venditio debet fieri publice, post promulgationes et proscriptiones (affiches) debitas.
6. C. C., a. 665.
7. C. C., aa. 666, 673.
8. Mignault, III, p. 371.
9. C. C., aa. 664, 667.
10. C. C., a. 648.

non possent priorem acceptare et posteriorem repudiare ; tunc enim non possent dici agere in loco aut ex persona defuncti [1].

195. REPUDIATIO. — Ad repudiationem hæreditatis hæc requiruntur : *a*) ut hæreditas delata fuerit : nemo enim potest, nisi per contractum matrimonialem, renuntiare successioni hominis viventis, nec alienare jura quæ sibi in hanc contingere possint [2] ; —*b*) ut renuntians sit capax alienandi : nam repudiatio est veluti alienatio, et proinde minores etiam emancipati, interdicti et uxores renuntiare nequeunt sine formis a lege præscriptis [3] ;—*c*) ut hæres non acceptaverit successionem etiam tacite per appropriationem illegitimam alicujus boni ad hæreditatem pertinentis [4] : nam acceptatio regulariter est irrevocabilis ; — *d*) ut renuntiatio fiat expresse : non enim præsumitur ; debet autem fieri per actum authenticum a notario confectum aut per declarationem judiciariam coram tribunali territorii in quo successio aperta est [5].

Qui vero renuntiat, censetur nunquam fuisse hæres [6]. Hinc 1) pars illius accrescit ceteris cohæredibus ; et, si solus fuerit, devolvitur ad gradum subsequentem [7]. — 2) Hæres per renuntiationem liberatur a debitis solvendis. Attamen si illa renuntiatio damnum inferat ipsius creditoribus, possunt isti obtinere a judice, ut successionem acceptent ex ejus persona, ipsius loco : tunc renuntiatio irrita declaratur, non in gratiam hæredis, sed tantum creditorum, et usque ad concurrentiam eorum quæ ipsis debentur [8].

Repudiatio autem de se est irrevocabilis : attamen potest rescindi, 1) quando repudiata nondum ab aliis hæredibus acceptata fuit, salvis tamen juribus a tertio super hæreditate acquisitis vel præscriptione vel actibus valide factis cum curatore jacentis hæreditatis [9] ; — 2) quando facta fuit in præjudicium creditorum hæredis [10] ; —3) quando per errorem de una hæreditate pro altera renuntiatio facta fuit, aut vi vel dolo obtenta est ; — 4) quando facta fuit a quodam incapaci, v. gr. a tutore non *authorizato* [11].

1. Carrière, II, n. 528 ; Mignault, III, p. 389.
2. C. C., a. 658.
3. Zaninetti, II, n. 1156.
4. C. C., a. 659.
5. C. C., a. 651.
6. C. C., a. 652.
7. C. C., a. 653.
8. C. C., a. 655.
9. C. C., a. 657.
10. C. C., a. 655.
11. Mignault, III, p. 425.

nullus viventis est haeres.

196. ACCEPTATIO successionis est actus, quo ille, qui habilis est ad successionem percipiendam, manifestat se velle pro hærede haberi [1]. Effectus autem acceptationis retrotrahitur ad diem aperitionis successionis [2].

Ut valeat acceptatio, requiritur : *a*) ut successio jam sit aperta : nam, ut fert axioma, nulla viventis est hæreditas ; unde admitti nequit futuræ successionis acceptatio, quia lex nostra declarat successionem nondum apertam non posse esse objectum cujuslibet stipulationis, nisi per contractum matrimonii [3] ; — *b*) ut hæres cognoscat successionem jam obtigisse : quia, si ignoret aperitionem successionis, se exponit periculo acceptandi successionem alicujus viventis : quod declaratur contra bonos mores [4] ; — *c*) ut acceptans sit habilis ad se obligandum : nam ex acceptatione exsurgunt variæ obligationes ; hinc non potest acceptare uxor sine auctoritate mariti vel judicis, et minor, aut emancipatus, aut interdictus sine concursu tutoris aut curatoris et consilii familiæ quod potest permittere tantum acceptationem sub beneficio inventarii [5].

197. Acceptatio autem fieri potest vel expresse vel tacite. — Expresse fit, quando quis nomen aut titulum hæredis assumit in actu authentico vel privato, qui ordinatur ad probationem alicujus juridicæ actionis circa ea quæ respiciunt successionem, v. gr. in aliqua pactione, apocha, etc. ; attamen non est acceptatio, si quis alicui mittat epistolam, in qua se hæredem nominat, nisi id dicat quasi negotium agens, ut puta, cum debitore vel creditore hæreditatis [6]. — Tacite fit, quando quis elicit actum qui necessario supponit voluntatem acceptandi, et quem non posset elicere nisi quatenus hæres [7]. Tales sunt 1) donatio, venditio, aut cessio jurium hæreditariorum, in gratiam extranei, aut etiam cohæredum, aut quorumdam ex ipsis ; 2) renuntiatio, etiam gratuita, in gratiam unius tantum aut quorumdam ex cohæredibus ; 3) renuntiatio, etiam in gratiam omnium cohæredum, pro quodam pretio

1. Carrière, II, n. 529.
2. C. C., a. 644.
3. C. C., a. 1061.
4. Mignault, III, p. 378.
5. C. C., aa. 643, 301.
6. C. C., a. 645 ; Zaninetti, III, n. 1155.
7. C. C., a. 645.

peracta [1] ; 4) distractio quorumdam bonorum successionis [2] ; 5) venditio objectorum quæ deteriorationi obnoxia sunt vel quorum conservatio est sumptui, si peracta fuerit absque formalitatibus requisitis [3]. — Sed, observatis solemnitatibus præscriptis, hæc venditio non habetur ut tacita acceptatio ; neque actus meræ conservationis, vigilantiæ et administrationis temporaneæ hæreditatis acceptationem inferunt [4].

198. Hæc vero tacita acceptatio fit semper pure et simpliciter. Sed expressa generatim potest fieri vel pure et simpliciter, vel sub beneficio inventarii. Illud est statutum generale ; sed quibusdam non permittitur nisi hæc altera acceptatio : tales sunt minor, emancipatus, interdictus [5], et hæredes defuncti qui successionem nec acceptavit nec repudiavit, quando inter se non consentiunt [6] ; quibusdam autem aufertur potestas eo modo acceptandi : talis est hæres qui scienter et mala fide quædam successionis bona distraxit aut occultavit, ideo qui taliter egit, ut hæres purus et simplex habetur [7].

199. Differunt vero illæ acceptationes sive quoad jura, sive quoad obligationes. — *a*) **Quoad jura.** — Qui pure et simpliciter acceptat, statim acquirit dominium in omnia bona et jura realia defuncti, potestque de iis pro nutu disponere, quemadmodum ipse defunctus. Hæres autem qui dicitur beneficiarius, suscipit tantum administrationem bonorum, donec successionis status in aperto fuerit positus (la succession ait été liquidée), et satisfactum fuerit debitis et oneribus ; interim proinde non potest de bonis disponere vel jura exercere nisi secundum formas lege præscriptas, et sub obligatione rationis reddendæ legatariis et creditoribus defuncti [8]. — *b*) **Quoad obligationes.** — Qui pure et simpliciter acceptat, in se suscipit omnia successionis onera, et se obligat ex dispositione legis civilis [9] ad iis satisfaciendum non solum ex bonis successionis, sed etiam ex propriis. Illa obligatio est 1) *universalis :* omnia prorsus onera respicit, sine ulla restrictione, quia

1. C. C., a. 647.
2. C. C., a. 659.
3. C. C., a. 665.
4. C. C., a. 646.
5. C. C., a. 643.
6. C. C., a. 649.
7. C. C., a. 659.
8. Carrière, II, n. 534 ; Waffelaert, I, n. 298 ; C. C., aa. 672-674.
9. C. C., a. 735.

hæres omnino sustinet personam defuncti. An vero et in foro conscientiæ teneatur hæres solvere ultra vires hæreditatis, non satis convenit. Ratio autem controversia oritur ex eo quod hic agitur de lege quæ fundatur in præsumptione : lex enim præsumit hæredem, qui absque inventario adierit hæreditatem, plura bona accepisse, quam quæ ad debitis satisfaciendum requirantur, et ideo factam esse fraudem. Jamvero num lex, quæ fundatur in falsa præsumptione, in conscientia obliget, controvertitur. Alii [1] tenent legem in hoc casu fundari in falsa præsumptione juris : nititur enim, juxta ipsos, in præsumptione periculi doli et fraudis, scilicet, ne creditores lædantur ab hæredibus, cum ex defectu indicis legalis non amplius de viribus hæreditatis constare possit ; ideoque obligant in conscientia hæredem ad solvenda debita etiam ultra vires hæreditatis. —— Alii [2] probabilius et communius tenent hanc legem fundari in falsa præsumptione facti, scilicet, locupletem fuisse hæreditatem et factam esse fraudem, quæ revera non adfuit ; proindeque negant hæredem obligari in conscientia ad solvenda debita ultra vires hæreditatis ; idque etiam post sententiam judicis, nisi majora mala, uti scandalum, ex caritate vitanda sint : quia sententia judicis, quæ ex lege generali de peculiari causa decernit, eadem falsa facti præsumptione nititur ac ipsa lex, et proinde nec plus roboris quam lex habet. — Quare si solvere ultra vires cogatur, potest se occulte compensare. — Cum tamen hæc sententia non sit certa, et cum nemo propter dubium jus alterius certo suo juri cedere debeat, creditores possunt petere solutionem et retinere quod solutum fuerit [3]. — 2) Illa obligatio est *irrevocabilis :* qui semel acceptavit, non potest hæredis qualitatem repudiare ; unde axioma inter jurisperitos receptum : « Semel hæres, semper hæres». Attamen potest rescindi acceptatio : (*a*) quando obtenta fuit per dolum aut vim ; (*b*) quando postea fit notabiliter minor ex inventione ignoti testamenti [4] ; (*c*) quando facta fuit in fraudem creditorum ipsius hæredis [5] ; (*d*) quando facta fuit ab incapaci vel ab ejus tutore aut curatore absque requisitis formalitatibus [6].

1. Molina, Disp. 217, n. 12 ; Lugo, disp. 24, n. 233 ; Carrière, II, n. 564.
2. Gury, I, n. 823 ; Sanchez, In decal. l. IV, c. 25, n. 37 ; Laymann, lib. III, tr. V, c. VI, n. 7 ; Marres, I, n. 271 ; Marc, I, n. 1073.
3. Zaminetti, II, n. 1155 ; Marres, I, n. 271.
4. C. C., a. 650.
5. C. C., a. 1032.
6. Mignault, III, p. 393.

Beneficiarius vero licet indivisibiliter acceptet, tamen 1) non tenetur solvere debita hæreditatis ultra vires ipsius hæreditatis, 2) bona sua non confundit cum bonis hæreditatis, et exigere potest solutionem creditorum quæ sibi contra successionem competunt [1].

Tandem acceptatio sub beneficio inventarii conceditur ob petitionem factum penes tribunal aut unum judicem tribunalis superioris loci in quo aperta est successio, et sententia eam permittens debet inscribi in publicis tabulis ejusdem loci. Obtinens vero hanc facultatem tenetur habere inventarium confectum a duobus notariis juxta formalitates præscriptas intra tres menses [2].

200. TAXA. — Apud nos, in provincia Quebecensi, ex statuto legis hæres aut legatarius tenetur solvere successionis, ut aiunt, taxam ; quæ taxa variatur pro majori aut minori propinquitate hæredis ad defunctum. — Solutio autem hujus taxæ obligatne in conscientia ? — Pœna, quæ imponitur non præbenti talem solutionem, est duplicatio ipsius taxæ : quæ pœna censetur gravis. Jamvero quandocumque lex civilis statuit pœnam gravem contra delinquentes, habetur ut pœnalis. Unde hæc lex est pœnalis et ideo dicendum est de hac taxa quod dicendum erit de tributis.

201. SPECIES. — Successio hæreditaria est duplex : alia est legalis, quæ etiam ab intestato dicitur ; alia est testamentaria.

I. *Successio legalis.* { Definitio 1° / Origo 2° / Notæ 3° / Ordo 4° / Partitio 5° }

202. DEFINITIO. — **Successio legalis** est ea, qua defuncti, qui non est testatus, bona et jura ab hæredibus secundum legis præscripta acquiruntur [3]. Hinc deficiente ex toto vel ex parte successione testamentaria, fit locus successioni legali [4].

203. ORIGO. — Licet nonnulli teneant cum hodiernis socialistis jus successionis repetendum esse non ex legis naturæ

1. C. C., a. 671.
2. C. C., aa. 660-662.
3. Marres, I, n. 257.
4. C. C., a. 597.

Estne successio legalis possibilis quando successio testamentaria habetur? mihi videtur non sed adest casus

præscriptis sed ex lege civili, quia lex naturalis præcipit ut liberi a parentibus alantur, non vero ut sint eorum hæredes, dum e contra ordo politicus ordinarie postulat ut filii parentibus succedant ; attamen, juxta sententiam communiorem et probabiliorem, successio legalis in jure naturali radicatur, et jure positivo distinctius definitur. —— Ratio primi est, quia societas domestica, quæ civilis societatis fundamentum est, non potest absque jure successionis consistere nec perpetuari. Perpetuitas enim et vigor familiarum requirit, ut filii ex patrum laboribus aliquod beneficium percipere possint. Jamvero, sublato jure succedendi, tollitur principalis stimulus, qui homines ad laborem compellit ; tollitur omne studium ad progrediendum in artibus et in scientiis ; tollitur ipsius rei familiaris cura, cum nemo sit qui velit thesaurizare ignotis. Unde S. Scriptura [1] ex omnium gentium persuasione filium eo ipso etiam hæredem appellat : « Quodsi filius, et hæres ». —— Ratio secundi est, quia, cum ex jure naturæ de solo jure succedendi constet, ad auctoritatem civilem spectat ea accuratius determinare, quæ ex jure naturæ indeterminata sunt, e. g., statuere modum successionis, quantitatem hæreditatis, gradum cognationis ultra quem familia exstincta censetur et proinde bona defuncti non amplius devolvuntur ad descendentes, etc. — Igitur jus hæredis ad successionem defuncti est jus strictum, quod nititur quidem jure naturali, ast legibus juris positivi et regitur et ordinatur. Unde in conscientia atque ex stricta justitia standum est legibus positivis, quæ hoc jus strictum, modo juri naturæ aut divino non opposito, regunt [2].

204. DOTES AD SUCCEDENDUM REQUISITÆ. — Requiritur *a*) ut hæres sit capax, i. e. existat momento apertæ successionis, — *b*) ut non sit indignus. Hinc duplici titulo quis ab hæreditate potest repelli : titulo incapacitatis, et titulo indignitatis.

1) Titulo incapacitatis repelluntur : *a*) qui nondum est conceptus ; — *b*) qui natus non est vitæ habilis seu vitalis ; — *c*) qui mortuus est civiliter [3]. — Alienigenæ in nostra regione possunt succedere eodem modo ac ipsi incolæ [4].

1. Gal. IV, 7.
2. Carrière, II, n. 502 ; Marc, I, n. 1070 ; Noldin, II, n. 544 ; Haine, II, q. 52 ; Marres, I, nn. 260-261.
3. C. C., a. 608.
4. C. C., a. 609.

2) Titulo indignitatis excluduntur ; *a*) qui condemnatus fuit propter patratam seu attentatam defuncti interfectionem ; — *b*) qui contra defunctum tulit accusationem capitalem, et quæ declarata est calumniosa ; — *c*) ille qui majoritatem adeptus, et perspectum habens defuncti interfectorem, non illum judici denuntiavit, nisi tamen ipse sit interfectoris conjux, vel cognatus aut affinis saltem in secundo gradu [1].

Differentia inter incapacem et indignum hæc datur : incapax numquam hæreditatem consequitur, indignus vero eam obtinet quidem, sed dein in pœnam sui delicti ea privatur per judicis sententiam, quæ vim retroactivam habet ad diem obtentæ hæreditatis. Quam sententiam jurisperiti communiter requiri dicunt. — Quare indignus, qui absque injustitiæ delicto hæreditatem occupaverit, ante sententiam judicis eam dimittere non tenetur [2]. Existente autem judicis sententia, tenetur indignus restituere omnes fructus interim perceptos [3], quia habetur ut possessor malæ fidei et fructus hæreditatis sunt pars illius, cum ex jure fructus augeant hæreditatem : unde indignus quoad hos fructus non potest præscriptionem invocare [4]. — Quoad eos vero qui cum indigno conventiones inierunt, distinguunt omnes : *a*) Si mala fide contraxerint illi, periculum subire voluisse censentur, ac proinde restituere debent vero hæredi, etiam ante sententiam judicis, licet in foro externo hæredi incumbat onus probandi malam fidem. — *b*) Si vero bona fide egerint, subdistinguendum est : (*a*) conventionibus onerosis standum est, ut communiter agnoscunt jurisperiti : ratio est, quia ex una parte indignus vere fuit hæres usque ad exclusionem suam adeoque poterat de bonis suis disponere, ex altera vero parte qui bona fide egit, pati non debet, quia non est factus ditior in præjudicium veri hæredis. — (*b*) Quoad donationem gratuitam, alii tenent debere donatarium cedere vero hæredi, quia hic valet hoc principium : « soluto jure dantis, solvitur jus accipientis » ; alii autem docent donationem gratuitam validam manere, quia indignus dedit rem suam et nulla obstat clara lex ne talis donatio valida habeatur [5].

1. C. C., aa. 610, 611.
2. Cornelisse, II, n. 99 ; Carrière, II, n. 509.
3. C. C., a. 612.
4. Carrière, II, n. 509.
5. Waffelaert, I, n. 317 ; Carrière, II, n. 509 ; C. C., a. 815.

205. ORDO SUCCESSIONIS. — Duplex datur successionis ordo : habetur enim successio **regularis**, quando succedunt ipsa membra familiæ, seu hæredes proprie dicti ; et successio **irregularis**, quando devolvuntur bona ~~ad conjugem superstitem aut~~ ad fiscum. — In eo differunt illæ successionis species, quod ad hæredes legitimos seu regulares pleno jure transeunt bona et jura defuncti, eo pacto ut onera successionis in se suscipiant ; in aliis autem successionibus, requiritur ut a judice in curia superiori loci, in quo aperta est successio, in possessionem mittatur ille cujus interest [1].

206. *A*) **De successione regulari.** — Prænotandum est hæredes regulares triplici modo succedere posse, scilicet 1° per capita, 2° per stirpes, 3° per lineas. — 1°) **Per capita** succeditur, quando singuli hæredes æquali consanguinitatis gradu a defuncto distant, atque hæreditas in tot æquales partes dividitur quot sunt capita seu hæredes : sint, e. g., tres superstites filii legitimi ; ex hæreditate paternâ in capita divisâ singuli tertiam hæreditatem obtinent. — 2°) **Per stirpes** succeditur, quando unus vel alter ex hæredibus est defunctus, et ejus descendentes per repræsentationem ad hæreditatem vocantur. Hæreditas tunc in tot partes dividitur quot sunt stirpes, ex quibus partibus descendentes hæredis jam defuncti unam obtinent, iterum inter se dividendam : e. g. ex tribus fratribus, qui ad hæreditatem vocarentur, sit defunctus unus, cujus quatuor filii superstites adhuc vivunt ; hæreditas per stirpes dividitur in tres partes, ex quibus quatuor filii defuncti fratris unam accipiunt, iterum inter se dividendam.

207. Hinc repræsentatio est fictio legis, qua ante apertam successionem hæredis defuncti descendentes capaces et digni in ejus locum, gradum et jura subrogantur : ideo non est confundenda cum hæreditatis transmissione, quæ est translatio hæreditatis jam apertæ [2]. Hæc autem repræsentatio conceditur : *a*) in linea recta descendentibus legitimis, etiam illegitimorum naturalium, sine ulla limitatione ita ut posteri legitimi aut legitimati semper parentes repræsentent [3], — non vero

1. C. C., aa. 607, 639.
2. C. C., a. 619 ; Mignault, III, p. 314.
3. C. C., aa. 620, 239.

Savoir douter - c'est deja la science.

illegitimis, neque ascendentibus[1]; —b) in linea collaterali posteris fratrum et sororum defuncti[2], ita ut filii fratrum et sororum defuncti suos parentes repræsentent. — Viventes, v. gr. indigni vel qui hæreditatem repudiarunt, nunquam repræsentantur[3]. Nec datur repræsentatio quoad substitutiones et legata, nisi aliter testator statuerit. (C. C. a. 937).

3°) **Per lineas** succeditur, quando hæreditas dividenda est in duas partes, quarum altera lineæ paternæ seu paternis defuncti consanguineis, altera lineæ maternæ seu maternis defuncti consanguineis obvenit[4].

Successio autem regularis est ~~triplicis~~ speciei, prout succedunt descendentes, ascendentes, aut collaterales.

209. a) *De successione descendentium*[4]. — Hi succedunt per exclusionem aliorum quorumcumque, absque ulla distinctione sexus et primogenituræ, et etiamsi orti essent ex diversis matrimoniis. Succedunt autem per capita, si omnes æqualis gradus sint et suo nomine vocentur ; per stirpes vero, si repræsentationi locus detur. — Si vero unus aut plures renuntient aut indigni declarentur, pars illorum ceteris accrescit[5], nam nemo venire potest in repræsentationem personæ viventis : hinc si duo sint filii, et primus renuntiet aut indignus declaretur, tota successio ad secundum devolvitur, nec ullum jus competit filiis primi. Sed si omnes hæredes renuntient vel indigni declarentur, eorum filii ad successionem venient proprio nomine et succedent per capita[6] : deficientibus enim hæredibus primi gradus, succedunt descendentes secundi gradus.

210. b) *De successione ascendentium.* — (a) Succedunt soli ascendentes, exclusis collateralibus, in duobus casibus : 1) quando defuncto non supersunt frater, soror aut ab istis descendentes, tunc successio dividitur inter ascendentes lineæ paternæ, et lineæ maternæ : qui propinquior est in qualibet linea, percipit integram partem suæ lineæ assignatam, exclusis aliis gradus remotioris ; neque hic locum habet repræsentatio : qui sunt in

1. C. C., a. 621.
2. C. C., a. 622.
3. C. C., a. 624.
4. C. C., a. 625.
5. C. C., aa. 624, 653.
6. C. C., a. 654.

Conjugis
descendentium
ascendentium
Collateralium

eodem gradu, succedunt per capita [1] ; — 2) succedunt ascendentes, etiam per exclusionem fratrum, quoad bona quæ donaverunt filiis aut posteris, quando hæc bona in successione reperiuntur in natura ; si vero alienata fuerint, ascendentes percipiunt eorum pretium nondum solutum [2]. — (*b*) Succedunt ascendentes simul cum collateralibus in duplici casu : 1) si defuncto supersint pater et mater, simulque fratres, sorores aut ex iis descendentes, successio dividitur in duas partes, quarum una tribuitur patri et matri qui eam æqualiter inter se dividunt : sed si unus jam defunctus sit, superstes totam dimidiam partem accipit ; altera pars devolvitur ad collaterales qui succedunt per capita aut per stirpes [3] ; — 2) si defuncto non supersint fratres, sorores, aut eorum descendentes, nec pater nec mater, et supersint ascendentes in una tantum linea, tunc ipsis defertur dimidia pars successionis, altera vero tribuitur collateralibus propinquioribus alterius lineæ [4] .

211 c) *De successione collateralium.* — 1) Si pater et mater defuncti ei non supervixerint, fratres, sorores aut eorum posteri percipiunt totam successionem et excludunt omnes alios collaterales et ascendentes. — Quando autem fratres, sorores aut eorum posteri succedunt soli vel simul cum patre et matre, ad dividendam inter ipsos successionem videndum est an fratres sint germani, i. e. ex eodem patre et eadem matre geniti ; an tantum consanguinei, seu ex eodem patre, vel uterini, seu ex eadem matre. Si omnes sint ejusdem ordinis, divisio fit æqualiter ; si sint diversi ordinis, successio ex æquo dividitur inter lineam paternam et maternam defuncti : germani sumunt ex utraque linea ; uterini et consanguinei ex sua linea tantum accipiunt [5]. — 2) Si non adsint fratres, sorores, aut eorum posteri, pater et mater, aut alii ascendentes etiam in una linea tantum, successio dividitur in duas partes, quarum altera cognatis lineæ paternæ, altera lineæ maternæ tribuitur, et quælibet dimidia pars devolvitur ad cognatum aut cognatos gradus propinquioris. Si vero in alterutra linea nullus adsit cognatus in gradu successibili, tota successio ad alteram lineam devolvitur. Non

1. C. C., aa. 628, 629, 631.
2. C. C., a. 630.
3. C. C., aa. 626, 627, 631.
4. C. C., a. 634.
5. C. C., aa. 632, 633.

censentur autem cognati in gradu successibili ultra duodecimum gradum [1].

212. *B*) **De successione irregulari.** — Hæredes irregulares non sunt proprie hæredes, quamvis ad ipsos bona defuncti certis in casibus devolvantur [2]. — Est autem successio irregularis duplicis speciei : nempe conjugis superstitis et fisci.

213. *a*) *De successione conjugis superstitis* — Quando quis nullos cognatos in gradu successibili relinquit, successio devolvitur ad conjugem superstitem [3]. — Hæc autem dispositio legis valet, si conjux defunctus inierit matrimonium sub regimine non communitatis aut excludente communitatem. Si vero detur communitas conventionalis, standum est conventionibus determinatis. Sed, data communitate legali, dimidia pars bonorum communium imprimis devolvitur ad conjugem superstitem, et dimidia pars ad hæredes legales ; et, si hæredes legales sint minores qui nondum attigerint annum decimum octavum suæ ætatis, conjux superstes habet usumfructum eorum partis usquedum unusquisque attingat ætatem decimi octavi anni, aut usque ad uniuscujusque emancipationem [4].

214. *b*) *De successione fisci.* — Deficientibus omnibus successoribus jam assignatis, succedit fiscus [5], i. e. apud nos præpositus provinciæ Quebecensis, juxta axioma : « Fiscus post omnes ».

Notandum est tandem in nostro jure filios illegitimos, etiam agnitos, dummodo non sint legitimati, nullum habere jus succedendi, quia cognatio illegitima non potest jus succedendi conferre [6].

215. PARTITIO HÆREDITATIS. — Nemo invitus ad communionem hæreditatis retinendam compellitur : hinc quilibet hæres quolibet tempore a consortibus hæreditatis partitionem petere potest, etiamsi prohibitio aut conventio aliqua obstet. Peti potest divisio, licet unus e cohæredibus separatim fruitus

1. C. C., aa. 634, 635.
2. Waffelaert, I, n. 282.
3. C. C., a. 636.
4. C. C., aa. 1323, 1361.
5. C. C., a. 637.
6. Mignault, III, p. 355.

sit parte bonorum hæreditatis, nisi probetur facta fuisse divisio, vel possessio præscriptionem induxerit. Sed hæredes pacto convenire possunt aut potest imponi, ut partitio per aliquod temporis spatium determinatum suspendatur, quando adsunt graves et urgentes circumstantiæ quæ hanc suspensionem suadeant [1]. — Duplici modo fieri potest illa partitio : *a*) absque ulla speciali solemnitate, quando omnes hæredes sunt majores, præsentes, et inter se concordes ; hæc dicitur conventionalis, potestque fieri sive per actum authenticum seu coram notario, ut major habeatur securitas nec possit postea in dubium revocari, sive per actum sub signo privato ; — *b*) coram judice, et dicitur judiciaria, quando inter hæredes habentur minores, interdicti aut absentes, vel quando hæredes inter se non concordant [2]. — Divisio hæc debet fieri quoad debita et quoad bona. — *a*) **Quoad debita,** singuli hæredes concurrunt ad solvenda debita et onera hæreditaria pro portionibus hæreditariis [3]. — *b*) **Quoad bona,** facta æstimatione immobilium a peritis communi sensu electis vel secus ex officio nominatis [4], massa hæreditaria partitur in tot partes æquales, quot sunt hæredes vel stirpes condividentes, cavendo, quoad fieri potest, ne fundi in membra scindantur, nec qualitati culturæ noceatur, et in qualibet portione debet haberi, si possibile sit eadem quantitas mobilium, immobilium, jurium ejusdem naturæ et valoris ; inæqualitas in re compensatur æquivalenti censu vel pecunia. Portiones autem fiunt a cohærede communi sensu electo, secus a perito nominato ex officio. Tandem portiones sic constitutæ sorte extrahuntur [5].——Eædem regulæ servantur in subdivisionibus inter stirpes condividentes [6]. —— Quilibet autem cohæres petere potest effective (en nature) suam partem bonorum mobilium et immobilium hæreditatis ; sed si creditores mobilia sequestrassent vel oppositionem facerent, vel si major numerus cohæredum necessariam judicaret eorum venditionem ad solvenda debita et onera hæreditaria, mobilia hasta publica vendentur. Item si immobilia commode dividi nequeant ; sed si cohæredes sint omnes ætate majores

1. C. C., aa. 689, 690.
2. C. C., a. 693.
3. C. C., a. 736.
4. C. C., a. 696.
5. C. C., aa. 702-705.
6. C. C., a. 707.

et consentiant, hasta fieri potest coram notario electo ex communi consensu [1]. —— Tandem divisione facta, tradenda sunt cuilibet condividenti documenta, quæ ejus bona et jura peculiariter respiciunt ; ea quæ respiciunt aliquam proprietatem divisam, sunt ejus qui majorem ejus partem habet, cum onere ea exhibendi aliis condividentibus interesse habentibus, quoties requirant ; ea quæ sunt communia toti hæreditati, traduntur personæ ab omnibus hæredibus electæ, quæ ea condividentibus communicabit, quoties requisierint ; si non concordent, electio fiet a judice [2].

Hinc facile intelligitur in hac partitione servandam esse æqualitatem inter hæredes, i. e. singulis hæredibus tribuenda est pars cujusque juri proportionata, licet aliunde partes illius sint inæquales. — Læderetur autem æqualitas in triplici casu : 1° in casu **anticipatæ solutionis**, si nempe unus ex hæredibus jam quædam a defuncto accepisset, ex quibus ejus portio ultra jus excresceret ; 2° in casu **læsionis**, si nempe quoddam objectum non justo pretio æstimatum fuisset ; 3° in casu **evictionis**, si nempe unus ex hæredibus e bonis in partitione receptis deturbaretur. — Quæ triplex inæqualitas ut excludatur, datur locus contra primam **collationi**, contra secundam **rescissioni**, contra tertiam **assecurationi** [3].

216. 1) **Collatio** est actus, quo singuli hæredes ad summam bonorum, quæ dividenda relicta sunt, ea bona referunt quæ per donationem inter vivos a defuncto acceperunt. — Hujus collationis onere gravantur omnia quæ defunctus hæredi dedit, et speciatim ea quæ dedit vel ut hæredi vitæ statum aut officium aliquod procuraret, vel ut illius debita solveret, vel ut dotem constitueret. — A collatione autem eximuntur : *a*) ea quæ defunctus prælegavit (donné par préciput) aut dedit eximendo expresse hæredem a collatione ; — *b*) quæcumque expensa fuerunt vel ad sustentationem aut educationem hæredi procurandam, vel ad mercaturam, artem aut opificium addiscendum, vel ad studia absolvenda, vel ad vestes ordinarias comparandas, vel in sumptus nuptiales, vel in munera ordinaria : hæc enim minus dona censentur, quam solutio debiti, cum parentes ea filiis subministrare

1. C. C., aa. 697, 698.
2. C. C., a. 711.
3. Marc, I, n. 1074 ; Carrière, II, n. 535.

teneantur ; — *c*) fructus rerum referibilium, qui donatario obtigerunt ante donatoris mortem : nam ex Codice civili non debentur nisi a die apertæ successionis ; — *d*) bonum immobile, quod periit casu fortuito absque culpa donatarii[1].

217. 2) **Rescissio** est actus, quo ob gravem causam irritatur præcedens partitio, ut nova instituatur. — Hæc autem rescissio locum habere potest ob errorem, dolum, vim aut metum, qui intervenerit : minores vero possunt eam obtinere ob læsionem, quæ æstimari debet secundum valorem quem habebant objecta tempore partitionis. Sed simplex alicujus objecti præteritio in partitione non dat locum rescissioni, sed novæ partitioni tantum, prima manente valida. — Is, contra quem mota est actio rescissionis, potest supplere totum id quod actori deest, sive ex bonis hæreditariis sive ex pecunia numerata, et sic rescissionem et novam divisionem impedire[2].

218. 3) **Assecuratio** est obligatio, quæ omnibus hæredibus pro rata et in solidum incumbit, indemnem præstandi cohæredem, qui in obtenta portione evictionem passus est. Proinde tenentur cohæredes evictum indemnem efficere in proportione suæ partis, et si quis est solvendo impar, ejus pars dividitur inter alios, modo tamen hæc tria adsint : *a*) ut causa evictionis fuerit partitioni prævia ; — *b*) ut species evictionis non fuerit per clausulam specialem et expressam e partitionis assecuratione excepta ; — *c*) ut evictio non sit tribuenda culpæ cohæredis[3].

II. Successio testamentaria

219. DEFINITIO TESTAMENTI. — Testamentum, attento jure nostro, est donationis actus revocabilis, quo quis disponit de bonis suis aut de certa illorum parte, pro tempore mortem subsecuturo[4].——Dicitur : *a*) **actus**, non conventio seu contractus, quia in testamento concurrit tantum voluntas testatoris ; — *b*) **revocabilis**, nam, ut dicitur in jure romano, « ambulatoria est

1. C. C., aa. 712, 719, 720, 722.
2. C. C., aa. 751-753.
3. C. C., aa. 748, 749.
4. C. C., a. 756.

The traditional prologue — "being of sound mind &c — I give my soul to God my body to the earth &c" is entirely useless (though solemn)

voluntas defuncti usque ad vitæ supremum exitum » : hæc autem revocabilitas ita essentialis est, ut testator huic renuntiare nequeat [1] ; quævis clausula contraria est ideo irrita ; at promissio non revocandi testamentum ad causam piam jure canonico valida censetur, quando ab homine acceptata fuit, et obligat sub levi vel sub gravi, prout promittens ex fidelitate vel ex justitia se obligare voluerit [2] ; — *c*) **quo quis,** persona scilicet singularis, quia testamentum debet exprimere voluntatem unius personæ tantum : hinc si testamentum in eodem actu a pluribus fieret, irritum esset [3], et sic suppressum est testamentum quod dicebatur conjunctivum vel mutuum ; — *d*) **disponit** : quæ vox duo indicat : 1) sufficit ut testator de re sua disponat, sive per institutionem hæredis, sive per legatum, sive per quemlibet modum quo voluntas illius innotescat [4] ; 2) requiritur ut testator vere de re sua disponat : quia si ipse de ea non disponat sed alteri disponendum relinquat, non adest testamentum ; — *e*) **de bonis suis,** quia si quis sub forma testamenti exprimat voluntatem suam de objecto bonis suis extraneo, non erit testamentum, cui lex tribuit vim executoriam ; — *f*) **aut de certa illorum parte,** quia potest testator, si velit, non disponere nisi de parte bonorum et tunc cetera transibunt ad hæredes legales : sic recedit lex nostra a jure romano, in quo admittebatur hæc regula : « nemo partitim testatus, partim intestatus decedere potest » ; — *g*) **pro tempore mortem subsecuturo,** quia testamentum robur suum primum accipit per mortem testatoris, juxta illud Apostoli [5] : « Ubi testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est ; alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est. » [6]

Ex his intelligitur in hoc testamentum cum donatione inter vivos convenire, quod sit dispositio titulo gratuito et sit actus solemnis, sed tamen testamentum essentialiter distingui a donatione ex eo quod donatio sit contractus statim transferens dominium, et quidem irrevocabiliter ; testamentum vero sit actus revocabilis, qui effectum non habeat, quamdiu vivit testator [7].

1. C. C., a. 898.
2. Génicot, I, n. 682 ; Zaninetti, II n. 1097.
3. C. C., a. 841.
4. C. C., a. 840.
5. Ad Hæbr., IX, 16, 17.
6. Carrière, de Cont., II, n. 492 ; Waffelaert, I, n. 574 ; Bucceroni, I, n. 1024.
7. Waffelaert, I, n. 574 ; Carrière, de Cont. II, n. 492 ; Tanquerey, II, n. 686.

220. ORIGO JURIS TESTANDI. — Licet multi præsertim e politicis et pseudo-philosophis contendant jus testandi **a lege civili** oriri, quia nemo de suis bonis disponere potest pro tempore quo jam non habet amplius ullius rei dominium aut jus suum transferre in alium pro tempore quo omnis juris est incapax, attamen juxta sententiam communiorem et veriorem tenendum est facultatem testandi repetendam esse **ex jure naturali.** Nam 1) hæc facultas est **complementum privati dominii** : etenim dominium hujusmodi, utpote exclusivum et permanens, complectitur jus disponendi de sua re quocumque tempore, et quidem in perpetuum, ideo jus disponendi de bonis propriis ante mortem, et pro tempore mortem secuturo. — 2) Talis facultas **ad bonum commune moraliter necessaria est** ; nisi enim homo libere bona sua relinquere posset filiis, cognatis, affinibus aut amicis, otio ac voluptatibus plerumque indulgeret statim ac sufficienter suis necessitatibus providisset ; dum e contra, si aliis sibi caris opes suas dimittere possit, novas res producere divitiasque augere non cessabit, ut cognatorum aut amicorum futuris necessitatibus subvenire valeat. Revera homo, in aliis et per alios supervivendi cupidus, iis qui sibi sunt dilectissimi fundos, domos, aliasque opes relinquere exoptat, proptereaque assidue et improbe laborat, ut aliquid sui eis largiatur eorumque felicitati conferat. Jamvero tota societas haud parvum emolumentum suscipit ex his conatibus, quibus communes opes valde augentur. — 3) **Apud omnes gentes** ultima hominis voluntas habita est ut res sacra, et factio testamenti cum ipso mundi incunabulis sumpsit exordium, quum solum jus naturale vigebat. — 4) Accedit auctoritas veterum DD. qui communiter testamento formis legalibus destituto naturalem obligationem inesse affirmant [1].

Ast cum multa in successione testamentaria jure naturæ non satis sint definita, hæc lege positiva regenda et ordinanda sunt, ita tamen ut legislator humanus ordinem naturalem regere quidem, non penitus autem subvertere possit. Lex autem positiva hic intelligitur primo lex civilis ; et in dispositionibus, quæ respiciunt causas pias, lex ecclesiastica. — Porro leges civiles, quæ declarant nullum esse testamentum jure naturali validum, non obligant in foro conscientiæ, juxta sententiam probabiliorem, ante

1. Zaninetti, II, n. 1098 ; Marres, I, n. 260 ; Haine, II, q. 54 ; Noldin, II, n. 549 ; Tanquerey, II, n. 687 ; Génicot, I, n. 671.

sententiam judicis : nam actus jure naturali validus non est habendus ut nullus, donec de hac nullitate clare constet ; jamvero de hac nullitate non clare constat, ut liquet e defectu claræ determinationis in codice civili et e controversiis jurisperitorum ; — insuper communis persuasio timoratorum restringit has nullitates ad effectus mere civiles, nempe ad jus alteri parti concessum ut a judice sententiam nullitatis obtineat. — Hæc autem sententia, omnium consensu, etiam in foro conscientiæ obligat : id enim et publicus ordo requirit et legislator merito intendisse censetur [1].

221. OBLIGATIO FACIENDI TESTAMENTI. — Per se nulla est obligatio condendi testamentum, quia lex satis consuluit successioni intestati. — Per accidens adesse potest gravis obligatio : *a*) si testator declarare et præcipere debeat hæredibus debita solvenda et restitutiones faciendas ; — *b*) si probabiliter lites exorituras prævideat in divisione bonorum ; — *c*) si merita filiorum valde sint diversa, et ideo diversa esse debeat portio bonorum ; — *d*) si cavendum sit, ne bona cedant hæredi, qui eis abusurus sit ; — *e*) ut moriens animæ suæ consulat piis legatis [2]. — Hinc, si infirmus de bonis suis non disposuerit, monet Rituale Romanum [3] : « Si morbus gravior, vel cum periculo fuerit, ægroto suadeat (Confessarius), ut dum integra mente est, rem suam omnem constituat, et testamentum faciat ». Quodsi de liberis dispositionibus consulatur ab infirmo, illud S. Philippi Nerii reponat confessarius : « Bona cui vis relinque, modo animam relinquas Deo ». Ideo caveat sacerdos, ut monet S. Alphonsus [4], ne consulat infirmis quidquid aliis præjudicio esse potest, cum Christi ministros non deceat aliorum odium sibi commovere [5]. — Tandem Concilium Quebecense II [6] et Conc. Queb. VII [7] docent : « De bonis propriis, si quæ habeant clerici, ne negligant prudenter et opportune testamentum conficere, ne unquam litibus vel discordiis occasionem præbeant, et ne quod Christi pauperibus aut ecclesiæ relinquere debent, transeat ad familiam ditandam. — Porro curent, qui testamentum olographum conficiunt, ut nulla

1. Génicot, I, n. 594.
2. Zaninetti, II, n. 1099 ; Ballerini, III, n. 698.
3. De visitatione et cura infirmorum.
4. Praxis Conf., n. 233.
5. Delama, n. 86.
6. Decreto XIV.
7. Decreto X.

ipsum careat ad valorem necessaria indicatione, tum denique probatæ fidei personæ custodiendum committant, ne forte ab hærede legitimo, vel ab aliis, quorum interest hæreditatem ab intestato deferri, occultari ipsum, aut destrui contingat — Singulis annis, præsertim tempore annui secessus, unusquisque sacerdos testamentum suum revideat, et, si opus fuerit, emendet.»

222. REQUISITA AD VALOREM TESTAMENTI. — Prænotare oportet in nostro jure existere illimitatam libertatem testandi. Proinde quilibet major, qui est sanæ mentis et capax bona sua alienandi, potest per testamentum disponere de omnibus suis bonis [1], ideo non habetur portio legitima, i. e. hæreditatis pars quam hæredibus legitimis lex civilis reservet, nec datur legatarius necessarius, i. e. legatarius qui a testatore excludi nequeat, sed omnes legatarii sunt arbitrarii, i. e. instituuntur a testatore.

Ad valorem testamenti requiruntur alia ex parte testatoris, alia ex parte hæredis, alia ex parte formæ.

223. *A*) **Ex parte testatoris**, requiritur ut possit et velit.— *a*) Requiritur **potestas** testandi — Jamvero : 1° ex **jure naturali**, facultas testandi de rebus suis competit omnibus, qui gaudent animi integritate et nullo laborant corporis vitio, quo impediantur declarare quid de rebus suis fieri velint post mortem. Natura igitur sunt inhabiles, infantes et perpetuo amentes, ebrii, furiosi, et omnes qui actualiter usu rationis carent [2]. — 2° Ex **jure positivo**, nonnulli jure naturali habiles legitime prohibentur, quia legis est bono publico prospicere. Jure autem canadensi, inhabiles declarantur minores etiam emancipati, interdicti propter statum imbecillitatis, dementiæ aut furoris, tutores et curatores qui testari intendant pro eis qui sub sua potestate sunt sive testentur soli sive simul cum illis [3], et civiliter mortui [4]. — Uxores vero possunt absque mariti licentia testamentum condere [5]. — Capacitas testatoris requiritur pro tempore quo conficitur testamentum, non autem pro tempore quo testator moritur ; attamen testamentum conditum ante sententiam, quæ mortem civilem generat, est nullum, si testator decedat stante hac sententia [6].

1. C. C., a. 831.
2. Marc, I, n. 1078.
3. C. C., aa. 833, 834.
4. C. C., a. 32.
5. C. C., a. 184.
6. C. C., a. 835.

b) Requiritur **libera testandi voluntas** semel habita, et tempore mortis non **retractata.** Jamvero 1° quæ **libertati voluntatis** officere possunt, habentur tria, videlicet error substantialis, dolus et metus gravis injuste incussus ad consensum extorquendum : nam testamentum, cum sit donatio gratuita, perfectam libertatem requirit [1]. — Sed solus error substantialis, propter defectum libertatis nullitatem perfectam testamenti producit ; dolus autem et metus gravis constituunt jus ad nullitatem testamenti obtinendam. Hinc legalis præsumptio suggestionis et defectûs voluntatis in testamentis non existit, sed suggestio aut defectus voluntatis probari debet per facta omnino certa [2]. — 2°) Necessariæ autem **perseverantiæ voluntatis** opponitur revocatio testamenti. Hæc vero revocatio est actus, quo testator conditum a se testamentum abrogat aut destruit [3]. — Omne testamentum, etiam ad causas pias factum, valide et licite revocari potest : ad naturam enim testamenti pertinet ut, sicut ait Apostolus [4], « primum in mortuis confirmetur. » [5] —— Promissio autem non revocandi testamentum ex jure civili [6] nulla est. Hoc vero legis præscriptum, quod legislator in materia sibi subjecta ad commune civium bonum tuendum tulit, etiam in foro conscientiæ robur suum obtinet, ita ut testator testamentum ad causas profanas conditum, etiamsi promiserit se illud non mutaturum et hæres promissionem illam acceptaverit, vel alter simili promissione ligatus huic steterit, sine peccato valide et licite revocare aut mutare possit : nequeunt enim privati se spoliare jure, quod a lege in bonum commune lata eis conceditur. Excipe si promissio facta fuisset de non mutando testamento, nisi monitione præmissa : quæ certo servanda est [7]. — Quod si tali promissioni adnexum fuisset juramentum, communissime dicunt DD. antiqui firmam manere obligationem religionis : quamvis enim, ut ait Lugo [8], promissio non revocandi testamentum sit lege prohibita et invalida, id tamen quod promittitur, nempe non revocare testamentum, non est ex se illicitum aut prohibitum; nec juramentum illud

1. C. C., aa. 891-898.
2. C. C., a. 839.
3. Marc, I, n. 1079.
4. Hebr., IX, 17.
5. Marres, I, n. 345.
6. C. C., a. 898.
7. Noldin, II, n. 553 ; Marres, I, n. 346 ; Bulot, I, n. 750 ; Gury, Cas. I, n. 846.
8. Disp. XXIV, n. 25 ; D'Annibale, II, n. 429.

ullo modo lege civili irritatur ; ergo obligat ut servetur. Verum probabile manet juramentum esse nullum, neque illud vinculum ex eo oriri : nam, cum promissio irritetur et prohibeatur ob bonum publicum, res promissa fit illicita et habetur juramentum de re illicita [1]. — Si testamentum factum est ad causam piam, promissio illud non revocandi valet ex jure canonico, si semel acceptata fuerit. Quod si juramento firmata fuerit, habetur jam duplex obligatio, altera ex fidelitate aut justitia, vi promissionis, altera ex religione, vi juramenti. Attamen si ratio sufficiens datur, dispensatio ab auctoritate legitima obtineri potest [2].

224. Revocatur vero testamentum ex jure canadensi [3] : *a*) per posterius testamentum, quod prius revocat sive expresse sive per novas dispositiones quæ tamen revocant tantum dispositiones anteriores secum incompossibiles vel sibi contrarias ; — quod si duplex testamentum eodem die confectum reperiatur, alii [4] volunt utrumque valere, et hæreditatem æqualiter esse dividendam, quia idem est ac si duplex in eodem testamento hæres institutus fuisset ; alii [5] autem sentiunt certo valere dispositiones in utroque contentas, cum quoad illas certo constet de voluntate testatoris, alias vero, propter incertitudinem, irritas evadere ; — *b*) per actum notariatum aut actum quemlibet scriptum, quo constat mutatio voluntatis apud testatorem ; — *c*) per destructionem vel lacerationem testamenti olographi aut testamenti juxta formam a lege anglica derivatam, quæ fit ex voluntate testatoris ; insuper per accidentalem amissionem aut destructionem cujuslibet testamenti, dummodo amissio aut destructio a testatore cognita fuerit ante mortem ; — *d*) per alienationem rei legatæ.

225. Revocationi vero adjungitur **caducitas** dispositionis testamentariæ, quæ manente testamento valido habetur pro non scripta. Dispositio autem fit caduca propter præ-mortem legatarii, ejus incapacitatem, ejus non-acceptationem, aut rei legatæ destructionem factam ante testatoris mortem [6].

1. Noldin. II, n. 553 ; Bulot, I. n. 750 ; Bucceroni, I, n. 970 ; Marc, I, n. 617.
2. Bulot, l. c. ; Marres, I, n. 348 ; Noldin, l. c. ; Ballerini, III, n. 967.
3. C. C., a. 892.
4. Gury, Cas., I, n. 833 ; Molina, Disp. 153.
5. Lugo, Disp. XXIV, n. 47 ; Bucceroni, I, n. 1036.
6. C. C., aa. 900-904.

226. *B*) **Ex parte hæredis** requiritur ut non instituatur incapax. Jamvero hæredis capacitas requiritur non tempore quo conficitur testamentum, sed tempore quo testator moritur, vel, si agatur de legato conditionali, tempore quo aperitur jus succedendi [1]. — Porro, cum nulla naturalis incapacitas detur, omnes, etiam usu rationis carentes, recipere possunt per testamentum, qui a lege non declarantur incapaces. Jure autem canadensi incapaces declarantur mortui civiliter, nisi quoad alimenta [2], et personæ morales quoad ea quæ excedere censetur suam capacitatem possidendi [3]. — Hinc possunt recipere per testamentum conjux relate ad conjugem, infantes testatoris, minores, interdicti, amentes, tutores et curatores relate ad pupillos, concubinarii relate ad invicem, infantes naturales, incestuosi aut adulterini relate ad parentes, et infantes nondum concepti tempore mortis testatoris, dummodo postea concipiantur et vitales nascentur [4].

227. *C*) **Ex parte formæ**, nihil determinatum habetur jure naturali. Jure autem positivo præscribuntur quædam solemnitates. — Jure canadensi, testamentum potest confici juxta duplicem formam : ordinariam scilicet et privilegiatam.

228. *a*) Juxta formam ordinariam, triplex dari potest testamentum : authenticum seu solemne, olographum, et secundum modum a lege anglica derivatum.

1°) **Testamentum solemne** est illud quod a duobus notariis, vel ab uno notario coram duobus testibus excipitur. — Notarii vero non debent esse consanguinei vel affines testatoris, aut sibi invicem, in linea recta vel in primo gradu lineæ collateralis. — Testes autem debent esse sexus masculini, majores, non mortui civiliter, nec damnati ad pœnam infamantem (v. gr. ad incarcerationem propter ignominiosum crimen aut delictum). Sed testes idonei non sunt tyrones et ammanuenses notarii, qui testamentum recipit. Proinde testes esse possunt consanguinei et affines testatoris, vir testatricis, famuli testatoris, extranei, vel etiam exsecutor testamentarius qui nihil ex testamento capiat. — Legata vero facta notario aut testibus, vel

1. C. C., a. 838.
2. C. C., a. 36.
3. C. C., a. 836.
4. Mignault, IV, p. 258.

eorum uxoribus, vel eorum consanguineis et affinibus in primo gradu, vim non habent ; attamen testamentum valet, quia utile per inutile non vitiatur. — Ideo quatuor ad hujusce validitatem requiruntur : (*a*) ut testamentum a quolibet scriptum legatur a notario coram testatore et alio notario aut duobus testibus in testamento nominatis et designatis ; (*b*) ut testator subsignet coram et cum notario et testibus, aut coram ipsis declaret se non posse subsignare ; (*c*) ut expressa fiat mentio, hæc omnia observata fuisse ; (*d*) ut designentur locus et dies, quibus confectum est testamentum [1].

229. 2°) **Testamentum olographum** est illud quod manu testatoris integre fuit scriptum cum subscriptione testatoris. Unde ad ejus validitatem duo requiruntur : (*a*) ut integre manu testatoris scriptum fuerit, nullo verbo excepto ; (*b*) ut testator propria manu nomen suum apponat in fine documenti. — Nullæ igitur sunt dispositiones infra subscriptionem positæ, nisi subsignentur. — Non est necessarium ut designetur locus vel dies quo testamentum confectum fuit [2].

230. 3°) **Testamentum secundum modum derivatum a lege anglica** est illud quod est scriptum a qualicumque persona, et obsignatum in fine ab ipso testatore per ejus nomen vel signum (marque), aut ab alia persona quæ in testatoris præsentia et juxta ejus expressam voluntatem nomen ejus apponit. Hæc autem subsignatio a testatore agnosci debet coram duobus testibus, qui debent simul esse præsentes et, a testatore rogati, immediate coram illo signare. Testes vero debent gaudere iisdem qualitatibus ac pro testamento solemni, excepto tamen quod feminae possunt in hoc testamento esse testes. Ideo ad ejus validitatem tria requiruntur : (*a*) ut sit scriptum ; (*b*) ut sit obsignatum testatoris nomine vel signo scripto ab ipso testatore vel ab alia persona coram ipso et juxta ejus expressam voluntatem ; (*c*) ut hæc obsignatio postea sit agnita ab ipso testatore coram duobus testibus idoneis simul præsentibus, qui etiam debent immediate, coram testatore et ipso rogante suam subsignationem apponere. — Non requiritur tamen ut designetur locus vel dies quo confectum sit tale testamentum [3].

1. C. C., aa. 843-847.
2. C. C., aa. 850-854.
3. C. C., aa. 851-854.

Nemo est injustus quando utitur jure suo.

231. *b*) **Forma privilegiata** conceditur in duobus tantum casibus, scilicet pro regione (district) Gaspé, et pro militibus active extra præsidia servientibus necnon pro nautis durante navigatione.

In priori casu, testamentum validum potest excipi a judice pacis, vel a ministro religionis, vel a protonotario coram duobus testibus, qui debent eidem testamento nomen suum subscribere [1].

In posteriori casu, pro mobilibus validum est testamentum verbale aut testamentum scriptum a testatore vel ab alio, etiamsi non sit obsignatum, dummodo probari possit testatorem per tale scriptum facere suum testamentum voluisse. Pro immobilibus requiritur testamentum juxta modum a lege anglica derivatum [2].

Unde apparet testamentum informe esse illud, cui desunt tantum solemnitates extrinsecæ jure civili [3] sub pœna nullitatis præscriptæ : v. gr. si testator testamentum olographum non subscripserit, si testamentum fecerit oretenus, si designati testes defuerint, si notarius omnes actus a lege civili requisitos non compleverit [4]. — Idem fere dicendum est de testamento confecto in favorem alicujus ex lege incapacis [5].

De validitate autem testamenti informis ad causas profanas, triplex adest sententia. — Juxta primam hoc testamentum valet, et naturalem obligationem parit, quia a voluntate oritur obligatio, et lex civilis est tantum in subsidium, juxta illud : « non fit locus provisioni legis, nisi quando cessat provisio hominis. » Heic autem provisio hominis habetur, licet erratum sit in forma [6]. — Juxta secundam non valet, ita ut hoc testamentum irritum sit etiam in conscientia, et ante sententiam judicis : ratio est, quia lex irritans tale testamentum fundatur in præsumptione juris, scilicet in communi periculo fraudum quæ in dispositionibus ultimis contingere solent, et ideo obligat in conscientia, licet in casu particulari præsumptio sit falsa [7]. — Juxta

1. C. C., a. 848.
2. C. C., a. 849.
3. C. C., a. 855.
4. Scavini, II, n. 329.
5. Lehmkuhl, I, n. 1148.
6. S. Antoninus, p. III, tit. X, c. III ; Molina, Disp. 71, n. 16 ; Lessius, l. II, c. XIX.
7. Vasquez, de Test., c. III, dub. I, n. 4 ; Lugo, disp. 22, n. 250 ; Salmanticenses, de Cont., c. I, n. 51.

tertiam valet, sed irritari potest per sententiam judicis, ita ut legatarius possit legatum retinere usque ad sententiam, et tamen hæres ab intestato possit postulare judicium, cui alter in conscientia obedire tenetur. Nam (*a*) ex unanimi Theologorum consensu legislator civilis testamentum in causis profanis ita infirmare potest, ut in utroque foro consistat, donec judicis sententia fuerit rescissum aut irritum declaratum ; atqui in jure recentiore et præsertim nostro testamentum hoc tantum modo lege infirmatur, sed sententia judicis ex lege prolata non tantum testamenti instrumentum, sed ipsum testamentum attingit : nam scribit Carrière[1] : « Nullitates pleni juris apud nos non vigere agnoscunt jurisperiti : hodie explorati juris est recurrendum esse ad auctoritatem judicis, ne quispiam sibimetipsi justitiam tribuat ». Jamvero in lege canadensi habetur eadem dispositio ac in lege gallica. — (*b*) Hæc sententia occurit variis conscientiæ perplexitatibus et peccandi periculis. Et revera durum est, quod vocatus hæres teneatur ante judicis sententiam renuntiare testamento, quod refert genuinam et ultimam testatoris voluntatem, adeo sacram ; aut quod hæres ab intestato nullitatem testamenti formis legalibus destituti petere nequeat beneficio legis utendo. Porro hæc sententia ab utroque rigoris excessu rem temperat[2]. — Unde concludit S. Alphonsus[3], hanc sententiam esse probabiliorem, et in praxi omnino sequendam[4].

233. Hinc pro praxi deducitur : 1) Hæres testamentarius (*a*) tuta conscientia defuncti hæreditatem adire potest ex testamento jure naturæ firmo, jure positivo tantum irrito ; — (*b*) non tenetur hæredes ab intestato monere de testamenti vitio, quia illius non est eorum juri invigilare ; — (*c*) jus suum coram judice quibuscumque legitimis et justis argumentis defendere potest, ideo non tenetur hæredi ab intestato ante sententiam judicis bona defuncti restituere, etsi hæres hæc bona privatim petat ; attamen si coram judice ea petit, et vitium testamenti sit certum, caritas exigit, ut bona ei tradantur, ne frustra cogatur magnos sumptus facere ; — (*d*) nequit vero fraudem adhibere

1. Carrière, de Contr., I, n. 120.
2. Scavini, II, n. 329.
3. III, n. 741 ; H. A., X, n. 126.
4. Sanchez, Consil., l. IV, dub. XIV ; Layman, l. I, tr. IV, c. XVII, n. 2 ; Billuart, Disp. 2, art. III ; Gury, I, n. 817 ; Bucceroni, I, n. 1029 ; Génicot, I, n. 674 ; Noldin, II, n. 551 ; Marres, I, n. 370.

qua impediat ne judex sententiam justam edat, v. gr. supplere propria manu chirographum in testamento olographo : hæres enim ab intestato jus strictum habet ne mediis injustis ab hac sententia obtinenda impediatur, et aliunde bonum publicum postulat ut nemini fraus patrocinari possit ; — (c) post sententiam judicis, cum testamentum nunquam exstitisse, et hæres testamentarius nunquam possedisse censeatur, hæres testamentarius obligatione justitiæ tenetur ad tradendum hæredibus ab intestato et res ipsas et omnes rei fructus et reditus a die, quo post mortem testatoris hæreditatem occupavit ; tenetur hujus testamenti legata solvere aut legatorum onera adimplere, quia hæreditatem ea tantum conditione suscipere potest : injustum enim foret, et contra apertam testatoris voluntatem commodis testamenti frui, illius vero onera recusare. — 2) Hæres ab intestato potest (a) ex beneficio legis legatario, qui legatum ex testamento jure positivo irrito sibi petit, rei legatæ traditionem recusare, objiciendo testamenti vitium ; sed si legatarius rem ex hujusmodi testamento irrito sibi legatam jam possidet, illud possessionis factum propria quidem auctoritate lædere non posset ; — (b) petere a judice sententiam irritantem, nisi explicite testatori promiserit non impugnare testamentum, et testator, huic promissioni innixus, abstinuerit a mutando testamento : si enim promissioni non stet, fraude privat legatarium jure quod hic legitime consequi potuisset ; testator siquidem alia media adhibuisset ad transmittenda hæc jura legatario [1].

234. Si vero agatur de testamento ad causas pias, quo videlicet bona relinquuntur ecclesiis, monasteriis, pauperibus, piisve operibus ad cultum divinum aut pauperum sublevamen in honorem Dei susceptis, licet quidam [2] doceant dubiam esse ejus validitatem, attamen juxta sententiam communissimam et certam tenendum est testamentum informe in foro conscientiæ valere, etiam post sententiam judicis illud irritantis. Idque constat, (a) ex cap. *Relatum*, II *de testamentis et ultimis voluntatibus*, ubi Alexander III mandat, ut judices (civiles) Velitrenses non secundum leges civiles, sed secundum canones

1. Marres, I, nn. 372, 373 ; Génicot, I, n. 674 ; Marc, I, n. 1083 ; Delama, n. 95 ; Tanquerey, II, n. 697 ; Gury, I, n. 819, Cas, nn. 852, 857.

2. Daelman, Tr. de Just., p. II, de Contr. q. II, obs. 8; D'Annibale, III, n. 70.

tractent eas causas in quibus agitur de bonis relictis Ecclesiis. Quod decretum Alexandri III insertum fuit a Gregorio IX in Corpus juris canonici cap. ***Judicante*** 4, et saltem per consuetudinem ad universam Ecclesiam extensum est. — (*b*) Ex eo quod piæ causæ ad Ecclesiam pertinent ejusque subjacent jurisdictioni ; jamvero Ecclesia libera et immunis est a potestate civili in iis omnibus, quæ jurisdictioni suæ subsunt. Quare Conc. Trid.[1] statuit ut « Episcopi, etiam ut Sedis Apostolicæ delegati, in casibus a jure concessis, omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate quam inter vivos, sint exsecutores ». — (*c*) Ex responsis S. Pœnitentiariæ, quæ pluries interrogata, huic sententiæ adhærendum esse respondit : ita Eudorius cœlibatarius Bonifacium instituerat legatarium universalem per testamentum debitis vestitum formis ; scriptum autem privatum (coram lege civili invalidum) Bonifacio tradiderat, in quo piam manifestabat voluntatem. Bonifacius autem mortuo Eudorio, hæreditatem integram servabat, quin adimpleret pium legatum. Qua de re interrogata, S. Pœnitentiaria (23 Junii 1844) respondit[2] : « Bonifacium teneri in conscientia ad implendam voluntatem Eudorii certo cognitam, pro foro conscientiæ. » ——Insuper eadem Congregatio interrogata, utrum absolvi possit aliquis Joannes qui, provocando ad auctoritatem D'Annibale, recusavit præstare legatum pium mille florenorum quod Petrus in testamento solemnitatibus civilibus destituto reliquerat, mature expensis propositis (10 Jan. 1901) respondit[3] : « Praxim hujus S. Tribunalis esse, ut generatim legata pia habeantur ut valida et obligatoria in foro conscientiæ. » Quare si constet certo de testatoris voluntate, pia legata tum ab hærede testamentario, tum ab hærede qui ex intestato res accipiat, solvi debent[4]. — Notandum est : (*a*) si non constet de voluntate testatoris per scripturam ipsius indubitatam, aut per verba ex ipso audita, aliove simili modo, hæres non tenetur credere uni soli testi, licet probatissimo, v. gr. parocho aut confessario : quia debent esse saltem duo testes, ex ipso jure canonico et ratione

1. Sess. 22, c. 8, de Ref.
2. Acta S. Sedis, II, p. 369.
3. Acta S. Sedis, XXXIV, p 38[illegible].
4. Gury, I, n. 818 ; Müller, l. 2, tr. 2 ; Lehmkuhl, I, n. 1383 ; Waffelaert, I, n. 579 ; Génicot, I, n. 875 ; Zaninetti, II, n. 1112 ; Haine, II, q. 53.

boni communis, ut fraudes vitentur. — (*b*) Si pœnitens, judicis civilis sententia fretus, bona fide putet se ad nihil teneri, et confessarii monito non obtemperaturus timeatur, relinquendus erit in sua bona fide : hæc doctrina nititur communibus principiis circa opportunitatem monendi vel non monendi pœnitentes, etiam cum de obligationibus justitiæ agitur. — (*c*) Si res difficultatibus implexa sit, deferatur ad judicium episcopi, cui ex Conc. Trid. cura exsecutionis piarum dispositionum demandata est [1].

235. DISPOSITIONES TESTAMENTARIÆ. — Quinque habentur, scilicet codicillus, legatum, substitutio, prohibitio alienandi, et fideicommissum [2] : quia vero fideicommissum est verus contractus, agendum erit de eo in tractatu de contractibus.

236. *a*) **Codicillus** seu parvus codex est ultimæ voluntatis dispositio, qua circa testamentum aliquid explicatur, aut addendo vel demendo testamentum immutatur. — Ex jure nostro, codicillus iisdem solemnitatibus eodemque testium numero gaudere debet ac testamentum [3].

237. *b*) **Legatum** est ultimæ voluntatis dispositio, qua testator alicui personæ determinatæ directe relinquit vel omnia bona sua, vel partem determinatam bonorum, vel quoddam bonum particulare [4].——Ideo dividitur legatum in universale, aut factum titulo universali, vel factum titulo particulari.—(*a*) Legatum universale est dispositio, qua testator uni vel pluribus universitatem bonorum suorum, aut solutis solvendis eorum reliquum donat. — (*b*) Legatum factum titulo universali est dispositio, qua testator alicui donat quotam bonorum suorum partem, v. gr. dimidiam vel tertiam partem, universa mobilia vel immobilia, etc. — (*c*) Legatum particulare seu factum titulo particulari est dispositio, qua testator alicui donat rem determinatam, v. gr. mille aureos, bibliothecam, statuam, etc. [5].——Insuper legatum potest esse purum seu absolutum, vel conditionatum. Hoc ultimum non valet nisi adimpleta conditione ; attamen conditiones impossibiles vel bonis

1. Marc, I, n. 1083 ; Gury-Ballerini, I, n. 818 ; Tanquerey, II, n. 700.
2. Mignault, V, p. 162.
3. C. C., a. 849.
4. C. C., a. 863.
5. C. C., a. 873.

moribus aut legibus aut ordini publico contrariæ habentur ut non scriptæ, et ideo legatum sub tali conditione factum habetur ac si absolutum factum esset [1].

238. Legatum vero fit caducum, (*a*) quando ante successionis aperturam legatarius moritur aut fit incapax acceptandi ; (*b*) quando legatarius illud repudiat ; (*c*) quando res legata ante mortem testatoris periit [2]. — Attamen caducum non fit legatum contentum in legato quod est caducum ob legatarii præmortem, incapacitatem aut repudiationem, sed debet solvi ab eo qui legati caduci objectum obtinet [3].——Ex legis nostræ [4] dispositione, quæ in tacita testatoris voluntate fundatur, caducitas legati quandoque dat locum juri accrementi. Hoc autem jus in eo consistit, quod legatum quoad unum legatarium caducum acquirunt cum adnexis oneribus colegatarii, quando illud pluribus conjunctim factum fuit. Porro censetur pluribus conjunctim factum : (*a*) quando in uno eodemque testamento et una eademque dispositione conjunctim plures vocati sunt, non facta a testatore inter eos partium distributione ; intelligitur vero facta partium distributio, cum testator expresse portionem singulis assignavit, v. gr., dimidiam partem Petro et dimidiam Paulo; secus tamen, cum adest simplex locutio : æquis partibus ;—(*b*) quando res, quæ non potest dividi quin deterioretur, in eodem testamento pluribus separatim donatur.

239. Aperto autem jure succedendi per mortem testatoris aut per adimpletionem conditionis suspensivæ, legatum potest a legatario vel acceptari expresse aut tacite, simpliciter aut sub beneficio inventarii, ut dictum fuit de acceptatione successionis, vel repudiari usquedum fuerit acceptatum [5]. Conditio tamen impleri debet formaliter aut saltem in forma æquivalenti ; v. gr. si conditio sit de solvendo debito, et legatarius a creditore remissionem obtineat : non enim alia in hoc casu censeri potest mens testatoris [6] ; — si legatum relictum fuerit puellis determinatis, si nubant vel ut nubant, et puellæ fiant moniales vel jam nupserint, quia censetur conditio impleri per actionem meliorem ; secus, si

1. C. C., a. 760.
2. C. C., aa. 900-904.
3. C. C., a. 865.
4. C. C., a. 868 ; Mignault, IV, p. 323.
5. C. C., aa. 866, 874, 875.
6. Berardi, Praxis, II, n. 532 ; Zaninetti, II, n. 1127.

legatum relictum fuerit puellis indeterminatis, quia testator merito præsumitur voluisse nubentibus favere [1].

240. Data vero acceptatione, legatarius universalis, quia locum defuncti tenet, bonorum omnium defuncti dominium immediate obtinet, omnes eorum fructus acquirit, et omnia debita successionis atque legata particularia solvere debet. Si autem plures sint legatarii universales, unusquisque partem determinatam bonorum acquirit et juxta hanc partem singula successionis onera solvere tenetur.——Legatarius titulo universali, quia partem omnium bonorum defuncti accipit, tenetur singula onera successionis juxta quotitatem bonorum a se acceptorum solvere. — Attamen, quando dantur plures legatarii universales vel legatarii titulo universali, licet testator possit determinare diversa debita integre solvenda esse a diversis legatariis, creditores tamen possunt cogere singulos ad partem suam solvendam, sed exempti in testamento habent jus compensationem obtinendi ab eo qui per testamentum ad determinati debiti solutionem solus tenetur [2].——Legatarius titulo particulari dominium rei legatæ immediate obtinet et omnes ejus fructus acquirit, si legatum sit de re determinata quoad individuum, v. gr. lego domum meam urbanam Petro ; secus, v. gr. lego unam ex domibus meis Petro, acquirit jus ad unam obtinendam, et ideo non acquirit ejus fructus nisi a die petitionis judiciariæ aut saltem per scriptum factæ [3]. Hinc quando datur legatum rei non determinatæ quoad individuum, hæres ex testamento non peccat contra justitiam, si legatum non sponte tradat, aut legatarium de legato non moneat : lex enim, eo quod jussit legatarium petere, dicenda est fecisse hæredi potestatem exspectandi petitionem legatarii ; — nec tenetur hæres ad dandam rem optimæ qualitatis, ast neque licet conferre pessimam [4].

Res autem legata tradenda est cum accessoriis necessariis et in eo statu, quo erat die mortis testatoris [5]. Accessoria sunt servitutes fundo inhærentes, arbores, fructus pendentes, ædificia, id quod affixum est terræ vel muro, tubi, claves, statuæ fixæ. Si

1. Gury-Ballerini, I, n. 830 ; Lehmkuhl, I, 1281 ; Bulot, I, n. 749. Hæc dispositio juris naturalis videtur admitti a jure canadensi, ut ait Mignault, V, p. 440.
2. C. C., aa. 872-879, 735-739.
3. C. C., a. 871.
4. Marres, I, n. 362 ; Génicot, I, n. 680.
5. C. C., a. 891.

testator legavit fundum, cubiculum cum his, quæ in eo erunt, cum morietur, legato cedunt etiam ea, quæ absunt fortuito casu, vel ad tempus ; et e contra non cedunt ea, quæ ibi sunt casu vel ad tempus ; nec cedunt reposita ibi custodiæ causa, aut nomina debitorum, instrumenta seu scripturæ, nec pecunia numerata [1].

Si vero testamentum a legatario universali vel a legatariis titulo universali acceptatum fuerit sub beneficio inventarii, et bona testatoris ad debita et legata integre solvenda non sufficiunt, imprimis integre solvi debent debita [2], quia, ut fert axioma, « bona non intelliguntur nisi deducto ære alieno » ; postea integre solvenda sunt legata præferenda : habetur vero legatum præferendum, quando legatum est de re determinata in individuo, vel si testator expresse dixerit legatarium quemdam esse aliis præferendum, vel ex circumstantiis præsumi potest voluntas testatoris de præferendo legatario quodam, v. gr. si testator legaverit filio suo summam pecuniæ et aliam summam extraneo cuidam, videtur testatorem habuisse intentionem ut præferatur filius extraneo ; tandem alia legata particularia sunt æqualiter reducenda [3].

Legatarius particularis non tenetur ad debita successionis solvenda, nisi habeatur in testamento specialis dispositio qua oneretur legatarius debito quodam, vel legatum sit aliqua universalitas bonorum et debitorum, v. gr. successio quædam, instructa taberna (fonds de commerce), vel immobile legatum sit oneratum hypotheca, usufructu aut servitute [4].

241. Tandem hæc notanda sunt : (*a*) legatum particulare creditori aut domestico factum non habetur ut solutio eorum quæ ipsi debentur [5] ; — (*b*) si testator jusserit certum numerum missarum celebrari, et non taxaverit stipendium solvendum, tribuendum est juxta taxam lege particulari aut consuetudine statutam, ut declaravit S. C. C., die 15 Nov. 1698 [6] ; — (*c*) si quid dandum est pauperibus, nec quidquam aliud per cognitam testatoris intentionem determinetur, illud distribuere licet iis omnibus qui, secundum conditionem suam, in necessitate versantur ; intelliguntur etiam religiosi mendicantes et opera pia. Per se etiam

1. D'Annibale, I, n. 355 ; Zaninetti, II, n. 1131.
2. C. C., a. 880.
3. C. C., a. 885 ; Mignault, IV, p. 386.
4. C. C., aa. 877, 884, 889.
5. C. C., a. 890.
6. Zaninetti, II, n. 1133.

præferendi sunt pauperes illius loci in quo defunctus domicilium habuit et testamentum condidit. Potest quoque ipse distributor partem talis eleemosynæ sibi applicare, si revera pauper sit, dummodo non constet aliunde, v. gr. e legato quod ipsi personaliter relictum fuerit, id a mente testatoris alienum esse. Sed regulariter quod testator jussit dari pauperibus, non licet totum tradere uni : nam plerumque frustraretur defuncti intentio eo speciali fine quem sibi proposuerat, v. gr. ut plures pro anima ejus orarent[1].

242. *c)* **Substitutio** est ultimæ voluntatis dispositio, qua quis designatur bona accepturus in defectum alterius : hinc substitutio supponit duplicem liberalitatem erga duas personas quoad unum idemque objectum. Duplex distinguitur, directa scilicet, et fideicommissaria. Substitutio directa seu vulgaris est ea, qua quis vocatur ad bonum consequendum in locum alterius, qui nolit aut non possit illud acceptare, v. gr. lego domum meam Joanni; quodsi Joannes mortuus sit, eam hebeat Petrus. De ipsa nulla habetur difficultas, et admittitur in quocumque jure : est enim donatio conditionata quæ valet sicut quodlibet legatum ; potest versari circa omnia bona defuncti vel circa eorum partem determinatam vel circa bonum quoddam particulare, nilque prohibet quin extendatur in indefinitum. —— Substitutio fideicommissaria ea est, qua quis vocatur ad bona defuncti consequenda, cum onere illa servandi et reddendi tertiæ personæ, v. gr. do domum meam Joanni, qui post suam mortem aut tale tempus Petro eam relinquet. Ideo in omni hujusmodi substitutione habentur tres actores : fideicommittens, qui rem donat et onus imponit ; fiduciarius seu gravatus, qui accipit donum cum onere rem transmittendi ; et fideicommissarius aut vocatus, cui res restituenda est.——Unde ad hanc substitutionem constituendam tria requiruntur : duplex scilicet donatio, ordo successivus et tractus temporis. — (*a*) Requiritur duplex donatio, i. e. haberi debent duæ donationes circa unam eamdemque rem, videlicet fideicommittens dat rem gravato cum onere eam relinquendi vocato. Prior autem donatio est omnino essentialis, ut patet ex axiomate : « nemo oneratus nisi honoratus.» — (*b*) Requiritur ordo successivus, quia duæ illæ donationes effectum successivum habent. — (*c*) Requiritur tractus temporis, quia vocatus non accipit rem, nisi antea gravatus

1. Génicot, I, n. 680 ; Lugo, Disp. XXIV, n. 279.

eam habuerit. — Deficiente una vel altera conditione, non habetur substitutio : v. gr. si Petrus donet Paulo domûs suæ usumfructum, et Joanni dominium directum, habetur duplex donatio, sed non de eodem objecto, nec adest ordo successivus, et proinde non habetur substitutio [1].

243. Hæc autem, licet in jure moderno excludatur, attamen admittitur in jure nostro, et potest esse, ut dictum est de legato, universalis, vel facta titulo universali, vel particularis ; haberi etiam potest pura aut conditionalis : datur substitutio pura, si donans de re sua disponit in favorem gravati cum onere eam reddendi vocato, si existat tempore aperturæ substitutionis ; conditionalis habetur, si existentia substitutionis dependeat ab aliquo eventu futuro et incerto [2]. — Substitutio autem fideicommissaria non potest extendi ultra secundum gradum, dempto gravato. Per gradum autem intelligitur unusquisque vocatus [3].

244. Caduca vero potest fieri substitutio vel ex parte vocati, vel ex parte gravati. — *Ex parte vocati* habetur caducitas, si ante substitutionis aperturam, vocatus moriatur vel fiat incapax, aut si post aperturam jus illud repudiet. Notandum est tamen : (*a*) si plures sint conjunctim vocati, debent omnes vel præmortui esse, vel esse incapaces, vel jus repudiare ; secus, substitutio favet superstiti aut capaci aut non repudianti ; — (*b*) si substitutio sit gradualis, i. e. si extenditur ad plures gradus, caducitas proveniens ex parte prioris vocati non aufert jus posterioris. — Data vero caducitate substitutionis ex parte vocati, gravatus acquirit dominium perfectum bonorum quæ debebat vocato transferre, quia jus conditionatum vocati non amplius existit [4]. — *Ex parte graviti*, caduca fit substitutio, quando ante mortem testatoris gravatus moritur aut fit incapax, vel post ejus mortem legatum repudiat. Hæc tamen caducitas non producit caducitatem substitutionis pro vocato, quia substitutio fidei-commissaria in testamento facta semper includit substitutionem directam, et ideo tunc pro vocato fit apertura ipsius substitutionis [5].

1. C. C., a. 925 ; Mignault, V, p. 8.
2. C. C., a. 929.
3. C. C., a. 932 ; Mignault, V. p. 24.
4. Mignault, V, p. 116, 121.
5. Mignault, V, p. 118 ; C. C., a. 926.

Max quoting Lycurgus Ketteler

245. Mortuo autem testatore, et acceptato legato cui adnexa sit substitutio, dantur duo temporis intervalla (ante substitutionis aperturam, et post ejus aperturam), in quibus duæ liberalitates in qualibet substitutione contentæ successivum suum effectum obtinent. — Ante aperturam substitutionis, prima liberalitas gravato confert ad tempus dominium actuale omnium bonorum quæ in legato continentur, et vocato dat circa eadem bona jus proprietatis conditionatum. Unde gravatus est verus dominus horum bonorum, atque potest et eorum fructus percipere et ad tempus ea quocumque titulo alienare, eis imponere servitutes vel ea hypothecæ tradere ; sed tenetur ad agenda ea omnia quæ sunt horum bonorum conservationi necessaria, et debet *a*) substitutionem in publicas tabulas referre, — *b*) nominationem obtinere curatoris, qui operam det ne quid vocatus detrimenti capiat, — *c*) inventarium omnium horum bonorum intra tres menses propriis sumptibus conficere, — *d*) et, nisi aliter statutum fuerit in testamento, omnia bona mobilia corporalia vendere venditione publica eorumque pretium cum præsentibus nummis ita collocare ut appareat dominium suum circa pecuniam sic fœneratam tantum usque ad substitutionis aperturam vigere [1]. — Aperta vero substitutione, (quæ aperitio producitur sive adimpletione temporis statuti aut morte testatoris, sive ademptione ejus juris, ex eo quod neglexerit nominationem curatoris obtinere, aut ejusdem voluntaria derelictione, quæ non prohibetur in commodum vocati vel non fit in præjudicium gravati creditorum), vocatus obtinet immediate et pleno jure perfectum dominium omnium bonorum, circa quæ habetur substitutio : proinde vocatus acquirit a die ipsius aperitionis omnes horum bonorum fructus, atque cessant omnia jura realia, quæ his bonis gravatus imposuerat, nisi hæc jura per præscriptionem jam firma sint vel tertius arguendo ex defectu debitæ relationis jus a se acquisitum defendere possit [2].

246. *d*) **Prohibitio alienandi** est ultimæ voluntatis dispositio, qua testator prohibet quominus legatarius de re legata disponat. Hæc autem prohibitio potest vel esse ita absoluta ut legatario denegetur facultas cujuslibet dispositionis, vel admittere aliquas exceptiones : v. gr. si testator prohibeat ne alienatio fiat

1. Mignault, V, p. 56 ; C. C., aa. 938, 944-947, 931 ; Langelier, III, p. 230.
2. C. C., aa. 961, 945, 960, 962, 949.

extra familiam suam vel legatarii, aut ne fiat non descendentibus suis vel legatarii. — In hac vero prohibitione comprehenditur vetitum rem hypothecæ tradendi : etenim rem hypothecæ dare est virtualiter eam alienare, quia si non solvitur debitum ad cujus assecurationem hypotheca constituitur, possessor rei illius debet aut solvere debitum aut ipsam rem derelinquere ut vendatur et ex ejus pretio debitum solvatur.

Duplex habetur prohibitio alienandi : alia scilicet cum substitutione, alia sine substitutione. —— Prior autem datur, quando hæc prohibitio fit in commodum tertiæ alicujus personæ, cui confertur jus obtinendi bona sic legata, atque potest substitutioni conjungi aut eam constituere. — (*a*) Conjungitur vero substitutioni, quando habetur propter substitutionem jam constitutam : v. gr., Petrus dat rem aliquam Paulo et addit prohibitionem eam alienandi ita ut Joannes eam accipiat post mortem Pauli. In tali casu, applicandæ sunt regulæ ipsius substitutionis supra expositæ. — (*b*) Constituit autem substitutionem, si prohibitio sit causa substitutionis : v. gr. testator dicit : si legatarius de re legata disponat, intendo ipsi substituere familiam meam. Unde ex voluntate testatoris alienatio aperit substitutionem ; sed si alienatio locum non habuerit, substitutio non habetur et legatarius potest transmittere rem legatam hæredibus suis ab intestato, etiamsi prohibitio non facta fuerit in eorum favorem. —— Posterior habetur, quandocumque prohibitio hæc non adjungitur substitutioni neque eam creat, sed simpliciter a testatore constituitur. Talis autem prohibitio efficit ut, sive facta alienatione sive adveniente morte legatarii, bona sic legata retrohabeantur a testatore vel post ipsius mortem ab ejus hæredibus [1].

247. EXSECUTIO TESTAMENTI est officium quod testator committit aut legatario universali aut legatario particulari aut alicui tertio, qui dicitur exsecutor testamentarius. Unde exsecutor iste dicitur is cui officium incumbit exsequendi conditiones omnes et dispositiones testamenti juxta intentionem testatoris et rectam verborum interpretationem. — Designatur a testatore, sed non tenetur acceptare munus sibi commissum, quod est gratuitum nisi testator mercedem ipsi tribuerit. Quod si nemo fuerit a testatore in executorem nominatus, vel si

1. C. C., aa. 961, 945, 960, 962, 949.

designatus nolit aut non possit acceptare, legatarius universalis officium hoc suscipere debet, nisi appareat ex testamento testatorem voluisse exsecutionem fieri independenter a legatario universali : in hoc casu, Curia civilis exsecutorem designabit. — Solus ille, qui facultate se obligandi pollet, potest munus exsecutoris testamentarii suscipere, quia per suam acceptationem assumit obligationes determinatas. Unde ex jure nostro designari non possunt uxor nisi consentiat maritus, minor etiamsi accedat licentia tutoris, interdictus propter dementiam, aut ebriositatem, aut narcaticorum immoderatum usum, et ille cui datum fuit consilium judiciarium. — Acceptato munere, exsecutor testamentarius, nisi aliter statutum fuerit a testatore, sortitur possessionem omnium bonorum mobilium successionis, et hæc possessio habetur per spatium unius anni et unius diei ; tenetur autem providere testatoris exsequiis, obtinere authenticationem seu probationem testamenti, in tabulas publicas illud referre si habeatur de rebus immobilibus, inventarium omnium bonorum conficere, percipere solutionem eorum quæ successioni debentur, satisfacere creditoribus juxta ordinem a lege statutum, solvere legata, juste et fideliter distribuere hæredibus aut legatariis universalibus bona quæ supersunt, et gestionis suæ rationem reddere [1].

248. Nota. — Nisi specialem habeat licentiam, quilibet pecuniæ alienæ administrator debet eam collocare sive in obligationibus Canadensis, Provinciæ Quebecensis, Majoris Britanniæ aut Statuum Fœderatorum Gubernii vel nostræ Provinciæ municipiorum, sive in emptis prædiis quæ in Quebecensi Provincia sint sita, sive in prima super hujuscemodi prædiis hypotheca, quæ tamen tertiam ex quintis partem municipalis æstimationis superare non debet. Administrator autem, qui bona fide pecuniam alienam ita collocaverit, ejus deperditionem totalem aut partialem resarcire non tenetur. Sed ille, qui sine speciali licentia aliter egerit, deperditionem forsan habitam compensare debet [2].

1. C. C., aa. 905-924.
2. C. C., aa. 981o-981r.

PARS SECUNDA.

DE LÆSIONE JUSTITIÆ SEU DE INJURIA

249. Juris alieni violatio seu læsio justitiæ a Theologis vocatur injuria : sed apud jurisperitos vox illa injuria alio sensu sæpe sumitur, nempe pro læsione injusta honoris, seu contumelia, unde nascitur actio quæ dicitur injuriarum. — Illa violatio aliquando vocatur etiam injustitia : sed injustitia præcipue sumitur pro habitu ; quia, loquendo more philosophorum, injustus non dicitur nisi qui injustum facit ex habitu. Injuria vero designat ipsummet actum ; unde differt injuria ab injustitia, uti actus ab habitu. — Quandoque tamen sensu lato hæc duo vocabula indiscriminatim sumuntur [1].

His positis, jam transimus ad explicandam injuriam, et in capite priore agetur de injuria in genere ; in altero capite, de injuria in specie.

CAPUT I.

DE INJURIA IN GENERE

250. DEFINITIO. — Injuria in genere est violatio juris alieni. Hæc vero dupliciter sumi potest, lato scilicet et stricto sensu. —— Lato sensu sumpta vocatur offensa, per quam læditur quidem rationalis alterius voluntas seu beneplacitum, nullum vero jus strictum, v. gr., si urbane petenti viam indicare quis nolit [2]. —— Stricto sensu sumpta, **injuria est juris alieni stricte dicti violatio.** — Dicitur : *a*) **violatio juris,** quia injuria non tollit nec extinguit jus sed vulnus ei infligit illudque violat ; — *b*) **juris alieni stricte dicti**, ut injuria distinguatur a violatione

1. Carrière, II, n. 701 ; S. Thomas, II-IIæ, q. 59, art. II ; Billuart, Disp. VI, art. I ; Tanquerey, II, n. 264.
2. Génicot, I, n. 498 ; Bucceroni, I, n. 1287.

debiti aliarum virtutum, quæ violatio cum peccato quidem fit, sed injuria non est [1].

Unde ad injuriam proprie dictam requiruntur tria : scilicet ut adsit jus strictum alterius, ut reapse lædatur hoc jus strictum, et ut læsus sit rationabiliter invitus.

Requiritur : *a*) ut adsit jus strictum alterius : nam ubi non est jus strictum, nequit esse injuria, licet forte agens contra caritatem aut aliam virtutem agat. Hinc defectu hujusce conditionis, nulla fit injuria ab eo qui nullum jus strictum alterius intervertit, etsi intentionaliter rem ipsi damnosam faciat ; ideo nullam injuriam facit ille qui in suo fundo et utens jure suo puteum aperiat, quo aperto, alterius puteus exaruit, etiamsi cum animo et affectione alterius nocumentum inferendi hoc efficiat. Similiter injuriam non facit recusans ex odio succurrere alteri, nisi ex officio teneatur ; nec judex homicidam ex odio ad mortem damnando ; nec mercator merces suas infimo pretio vendens, ut alios mercatores emolumentis privet ; nec miles qui in bello justo quempiam occidit aut spoliat ex prava intentione ; nec qui plantat arborem juxta agrum vicinum, intentione vicino nocendi [2].

Requiritur : *b*) ut reapse lædatur jus strictum alterius : nam læsio juris alieni volita tantum seu effectiva, sed revera non secuta seu non effectiva, peccatum internum quidem est contra justitiam propter affectum pravum ad injuriam, ast injuria stricte dici nequit, quia reapse jus alterius non fuit læsum. — Attamen etiam per actum mere internum injuria alteri inferri potest, quando scilicet hoc actu jus strictum alterius læditur, ut accidit in judicio temerario, quo juxta communem sententiam justitia erga proximum violatur, quia quisque jus strictum ad bonam sui æstimationem apud singulos habet [3]. — Sed actus internus, i. e. intentio nocendi non potest actum externum reddere injustum, si actio jus illius strictum non lædit, sive quia alter jus strictum non habet, sive quia agens jus habet ponendi actionem, etsi actus externus ipsi nocivus sit : nulla enim infertur injuria, ubi nullum læditur jus. Hinc privatus, qui incendium ex pravo nocendi animo non extinguit, non agit injuste, quia ad id stricto jure non tenetur ;

1. Waffelaert, II, n. 5 ; Delama, n. 296.
2. Timothæus, II, n. 276 ; Haine, II, q. 79.
3. Marres, I, lib. II, n. 2 ; Gury, I, n. 602 ; Bulot, I, n. 536.

nec injustus est ille, qui in legitima sui defensione inimicum ex odio vulnerat, quia is habet jus ita agendi[1]. Si vero actus de se indifferens duplicem effectum aut justum aut injustum habere potest et per intentionem agentis effectum obtinet injustum, intentio injusta actionem illam de se indifferentem reddit injustam, quia intentio hic in causâ est, cur jus alterius lædatur : v. gr. accipere rem alienam a fure est de se indifferens ; non est injuria, si quis accipit, ut domino reddat ; fit vero injuria, si accipit, ut rem invito domino sibi retineat[2]. Idem tenendum est, si effectus malus sit probabilis tantum, quia omnes concedunt quod si quis absque ratione proportionata grave damni periculum inferat alteri, tenetur de damno realiter secuturo, cum illud saltem in causa voluerit[3]. Si tandem opus externum ex mala quidem intentione ponitur, sed non est vere probabile quod secuturum est damnum, v. gr. si aliquis struit insidias in loco in quem rarissime transit inimicus, sed ea intentione ut pereat, si forte huc transiret, aut aliquis furatur thesaurum Petri, prævidens atque exoptans fore ut inde nimio captus dolore moriatur, controvertitur utrum actus externus sit reapse injustus. Alii[4] affirmant, quia in præfatis casibus homicidium est sane contra justitiam, et non excusatur, nisi quatenus involuntarium. Porro intentio illud reddit voluntarium. Ideo enim, seclusa intentione, non est voluntarium, quia ponens causam non censetur velle efficaciter effectum, cum effectus probabiliter non connectatur cum causa ; sed intentio illam connexionem supplet, et facit ut operans vera illius causa sit, quippe ad rationem causæ multum conducit intentio operantis. — Ergo. — Alii[5] negant, quia actus externus non videtur injustus, cum mera possibilitas in rebus humanis attendi non debeat, neque prava intentio actui externo ullam efficaciam injuriosam conferat. — Bulot[6] tamen addit : « Si quid in hac difficili quæstione innuere liceret, videtur quod solutio difficultatis non pendeat a gradu probabilitatis effectus secuturi, sed potius a natura actionis, prout fuerit injusta aut

1. Lugo, Disp. VIII, n. 78 ; Noldin, II, n. 402 ; Gury, I, n. 603.
2. Marres, I, lib. II, n. 8 ; Bulot, I, n. 543.
3. Bulot, I, n. 544.
4. Lugo, Disp. VIII, n. 75 ; Ballerini, III, n. 340.
5. Lessius, lib. II, c. IX, n. 113 ; S. Alph., III, n. 636 ; Lehmkuhl, I, n. 1167 ; D'Annibale, II, n. 200 ; Génicot, I, n. 517 ; Marres, I, lib. II, n. 54.
6. I, n. 544.

non, a connexione inter actionem et effectum, prout fuerit occasionalis, aut necessaria et causalis, et a prævisione effectus secuturi, cum nihil sit volitum quin præcognitum. » Sic, in exemplis allatis, imputabitur mors inimici insidias struenti, quia sequitur necessario ex eis ut effectus a causa ; non autem furi mors Petri avari, quia mors non sequitur a furto nisi accidentaliter et nexu mere occasionali.

Requiritur : *c*) ut læsus sit rationabiliter invitus, i. e. jus strictum alterius sit vere existens et subsistens : nam si sit existens quidem, sed non subsistens, violatio ipsius cessat esse injuria, quia dominus ipso facto jus suum amittit. Porro hoc contingere potest in duplici casu : (*a*) quando propter conflictum cum jure superiore jus inferius debet cessare, ut sæpe contingit in necessitate proximi extrema, in detractione de re vera, in compensatione occulta, in exigentia publicæ auctoritatis pro bono communi, etc. Tunc enim ex stricta justitia dominus tenetur non esse invitus occupationi rei suæ, et jus non habet ad rem suam retinendam : unde agens contra jus ejus non subsistens, non facit illi injuriam etiamsi ipse obstet, quia obstat irrationabiliter. Hinc datur axioma : Domino irrationabiliter invito non fit injuria. (*b*) Quando subjectum juris renuntiat juri suo sciens et volens, quia sic renuntians cedit jure suo, illudque a se abdicat et in lædentem transfert, proindeque propter ejus voluntatem jus cessat existere. Unde datur axioma : « Scienti et consentienti non fit injuria. » — Sed ne hæc regula perperam applicetur, notandum est quod ad hoc, ut quis sciens et volens non patiatur injuriam, requiruntur duo : nempe cedendi juri suo voluntas plena et perfecta facultas. Nam tamdiu locum habet injuria, quamdiu remanet jus et obligatio juris ; atqui remanet, quando consensus ex natura sua seu propter defectum plenæ voluntatis, vel ex dispositione juris seu propter defectum perfectæ facultatis est invalidus et inefficax, quia consensus hujusmodi est veluti non existens ; igitur consensus debet esse plane liber et validus. Est autem consensus plane liber, quando neque errore neque dolo aut metu extortus est : unde debita libertate caret ille qui pecuniam dat alicui falso asserenti magni momenti officium ei a se præstitum esse, — qui, metu mortis, pecuniam latroni porrigit, — operarius, qui, necessitate coactus, salarium accipit minus quam quod jure naturæ debetur. — Consensus vero habetur validus, quando datur ab eo, qui jus suum

cedere potest. Porro plura jura, ita disponente lege naturali vel positiva, alienari nequeunt. Ita maritus alteri cedere nequit jus quod in uxoris corpus habet ; neque privilegia, quæ principaliter in favorem alicujus status conceduntur, alienari possunt a singulis hominibus qui in eodem versantur, v. gr. privilegium canonis a clericis, exemptionis a regularibus ; neque valet consensus in alienationem eorum quæ non versantur sub potestate consentientis, ideo, v. gr., injuriam minime tollit consensus alicujus in mortem sibi inferendam, quia directum dominium in vitam suam homo non habet. Hinc injuriam facit, qui occidit consentientem vel sui occisionem petentem, — qui percutit clericum renuntiantem privilegio canonis, — qui peccat cum aliena uxore, etsi adulterium uxoris maritus approbet [1]. — Tandem, ut notant quidam auctores [2], requiritur ut consensus sit lædenti notus : si enim illum non cognoscat, non excusatur a peccato, cum velit injuriam committere : hinc hæc conditio videtur necessaria tantum ut subjectiva injuria non habeatur.

251. DIVISIO. — *A*) **Ratione objecti,** injuria est aut **realis** aut **personalis,** prout violatur jus vel in bona externa, vel in ea quæ corpori et animæ intrinseca sunt.

252. *B*) **Ratione agentis,** est **materialis** vel **formalis.** — Materialis dicitur involuntaria læsio juris alieni, seu quæ fit absque libera voluntatis electione, v. gr., si quis inadvertenter aufert rem, quam alienam esse novit, aut si quis advertenter aufert rem, quam bona fide suam esse putat. — Formalis injuria dicitur voluntaria juris alieni violatio, v. gr., quando quis rem, quam suam non esse novit, advertenter et libere aufert.

Notandum est tamen, quod injuria, quæ primum fuit materialis, potest fieri formalis, accedente scilicet libera voluntatis electione, v. gr., quando quis rem alienam abstulit, quam bona fide suam esse putabat, atque deinde illam, postquam alienam esse detegit, sibi retinet. E converso injuria quæ formalis primo fuit, materialis deinceps evadere potest, ut si quis rem alienam furatus sit, et postea hujus facti doleat et rem restituere velit, sed non possit.

1. Pighi, II, nn. 224-225 ; Haine, II, q. 79 ; Marres, I, lib. II, n. 6 ; Noldin, II, n. 401 ; Carrière, II, n. 705 ; Génicot, I, n. 499 ; Tanquerey, II, n. 286.
2. Timothæus, II, p. 281, Tanquerey, l. c. ; Carrière, l. c.

253. *C*) **Ratione effectus,** tripliciter dividitur : *a*) ex parte agentis, est **lucrosa** vel **non lucrosa** : prior habetur quando committens injuriam ex ipsa commodum reportat ; posterior est ea quæ infertur proximo sine emolumento inferentis. — *b*) Ex parte patientis, est **mera** aut **damnosa,** prout jus alterius læditur sine damno, vel cum damno ejus, ad quem pertinet jus ; sic adulterium uxoris prole non suscepta est mera injuria, prole suscepta est injuria damnosa. — *c*) Ex parte malitiæ, est **gravis** aut **levis,** prout jus alterius in re gravi aut levi violatur.

254. *D*) **Ratione modi quo infertur,** dicitur **directa,** quando ipsa læsio juris alterius in se intenditur ; **indirecta,** quando quis causam voluntarie ponit, ex qua illa juris violatio secutura sit saltem in confuso, e. g., damnum, quod quis ex laboris cessatione secuturum ei prævidet, cui laboris instrumenta aufert. — Utraque subdividitur in positivam, quæ infertur aliquid contra jus alienum agendo, et in negativam, quæ infertur omittendo, quod alteri stricto jure debetur [1].

255. Malitia. — I. Injuria est peccatum ex genere suo mortale. — Constat ex S. Scriptura [2] : « Nolite errare ; neque fures .... neque rapaces regnum Dei possidebunt.»

Probatur. — 1° Peccatum mortale est quidquid contrariatur caritati per quam est animæ vita. Atqui omne nocumentum alteri illatum ex se caritati repugnat, quæ movet ad volendum bonum alterius. Ergo, cum injuria semper consistat in nocumento alterius, manifestum est quod facere injustum ex genere suo est peccatum mortale [3]. — 2° Jus proprietatis seu jus strictum fundatur in natura hominis et ab ea exigitur : sublato enim hoc jure, status socialis fit inter homines moraliter impossibilis. Igitur hujus juris violatio seu injuria debuit sub gravi prohiberi. — 3° Juris stricti violatio per se pacem communem, tranquillitatem publicam, mutuum hominum amorem ac conjunctionem nata est dissolvere : his enim bonis conservandis necessaria est æqualitatis ac jurium conservatio. Ergo injuria difformitatem ex genere suo gravem includit [4].

1. Noldin, II, n. 399 ; Génicot, I, n. 498 ; Marres, I, lib. II, n. 3 ; Timothæus, II, n. 277 ; Marc, I, n. 902.
2. I, Cor., VI, 10.
3. S. Thomas, II-IIæ, q. 73, art. 4.
4. Timothæus, II, n. 278 ; Bucceroni, I, n. 1295.

Dicitur : *ex genere suo ;* nam peccatum potest esse leve vel ex indeliberatione actus, vel ex parvitate materiæ.

256. II. — Generatim ea injuria gravis habenda est, quæ natura sua pacem communem, tranquillitatem publicam, mutuam conjunctionem et amicitiam hominum inter se solvit, quia graviter opponitur hisce quæ sunt justitiæ finis. — Dicitur : *natura sua ;* quia in regulâ generali statuendâ attendi illud debet quod communiter in hominibus, temperato judicio atque affectu utentibus, usuvenit, non vero quid affectuum tumultus et intemperantia in iis adjunctis suggerit : justitia enim rationis ductum et prudentiæ dictamen sequitur. — Ita statuitur principium generale, quod complectitur qualiscumque generis injurias, quibus varia hominis jura in quibusvis bonis tum internis tum externis læduntur [1].

257. Sed, cum finis divisionis proprietatis bonorum duplicem habeat respectum, scilicet unum particularem, ut inter singulares homines pax et concordia maneat, alterum universalem, ut pro universa humana societate consistat securitas, et necessarium incitamentum ad industriam laboresque sustinendos habeatur, ideo ad dijudicandum utrum injuria sit gravis vel non, attendendum est ad duo : (*a*) ad singulos homines, quorum jura læduntur, utrum videlicet grave nocumentum seu damnum eis inferatur, eorum libertatem, securitatem aut pacem turbando : quia, ut recte ait S. Thomas [2], « peccata, quæ committuntur in proximum, sunt pensanda per se quidem secundum nocumentum quod proximo infertur, quia ex hoc habent rationem culpæ ». Unde habetur materia relative gravis, quæ ideo communiter definitur : materia quæ, ex natura sua vel ex æstimatione hominum, apta est ad inferendam alteri tristitiam difficile sedandam, seu ad caritatem mutuam dissolvendam. — (*b*) Ad societatem ipsam attendendum est, videlicet ad damnum quod bono publico infertur, aut inferretur si impune talis injuria committeretur : nam, quum bonum commune, ceteris paribus, privato prævaleat, sub gravi prohibetur injuria, quæ, quamvis leve tantum damnum alicui privato inferat, graviter reipublicæ nocet, aut noceret posito quod talis actio sub gravi non prohiberetur ; secus enim societati humanæ ejusque securitati injuria hujuscemodi periculum grave crearet.

1. Lacroix, lib. III, n. 979 ; Marres, I, lib. II, n. 5 ; Gury, I, n. 602 ; Ærtnys, I, n. 284.
2. II-IIæ, q. 73, a. 3.

Unde datur materia absolute gravis, quæ definiri potest : materia quæ talis est ut, si graviter non prohiberetur, ordo socialis et securitas privatorum grave damnum paterentur. Hinc qui centum nummos a divite subripit, forsan nonnisi leve nocumentum ei affert, sed tamen peccat mortaliter, quia, posito quod tale furtum non prohiberetur sub gravi, mox societatis ordo subverteretur [1].

CAPUT II

De injuria in specie

258. Tot possunt esse injuriæ species, quot sunt bona in quibus lædi potest jus alienum. Triplicis generis porro ordinarie bona recensentur, interna scilicet, mixta et externa. — Bona interna sunt bona corporis et bona animi sive naturalia sive supernaturalia. De læsione autem priorum agitur in tractatu de Dei præceptis quinto et sexto ; de posteriorum læsione, opportunius agendum erit infra in parte tertia : de restitutione. — De bonis vero Mixtis eorumque læsione agitur ubi dicitur de Dei præcepto octavo. — Unde hic agitur tantum de injuria circa bona externa seu bona fortunæ. Sed omnis læsio proximi in bonis fortunæ aut *a*) fit lucrose, i. e. acquirendo, auferendo vel usurpando rem alienam, invito rationabiliter domino, et dicitur **furtum** ; aut *b*) fit non lucrose, i. e. nihil sibi acquirendo, auferendo vel usurpando, sed solum destruendo vel deteriorando rem proximi, et vocatur **damnificatio**. Porro de hac agetur in hujusce tractatus tertia parte : de restitutione ; ideo nunc agendum est de furto, atque duo præsertim exponemus : 1° ejus naturam et gravitatem ; 2° causas a furto excusantes, i. e. causas, ob quas acceptio rei alienæ non est furtum.

1. Lehmkuhl, I, n. 1113 ; Gury, I, n. 602 ; Reuter, I, n. 294 ; Tanquerey, II, n. 285 ; Noldin, II, n. 400.

ARTICULUS I

De natura et gravitate furti

259. DEFINITIO. — **Furtum,** quoad etymologiam, deducitur juxta S. Isidorum [1] a furvo, quia plerumque fit in tenebris, sed verius a verbo aufero derivatur. — Si generaliori significatione accipiatur ut in septimo præcepto : non furtum facies, complectitur omnem injuriam proximo illatam in bonis fortunæ.

Proprie et theologice sumptum **furtum** definitur : **acceptio injusta rei alienæ, domino rationabiliter invito.**

Dicitur : 1° **Acceptio,** sub quo nomine includitur etiam detentio ; quia acceptio seu ablatio et accepti detentio moraliter censentur eadem actio, cum detentio sit acceptio continua : unde S. Thomas ait [2] : « Detinere id quod alteri debetur, eamdem rationem nocumenti habet cum acceptione injusta.»

2° **Injusta** : nam acceptio debet fieri cum animo privandi alterum re sua ; si enim fieret animo eam domino mox reddendi aut tuto servandi, non est furtum : unde non facit furtum, qui rem surripit per jocum, vel ob commodum aut bonum domini, v. gr. vinum ne inebrietur, librum hæreticum ne legat, gladium ne proximum percutiat, si uxor auferat a marito pecunias ne ludis aut commessationibus eas prodiget.

3° **Rei** : quo nomine designantur ea omnia et sola quæ commutantur inter bona fortunæ : unde si quis hominem liberum in servum sibi injuste usurpet, non est furtum, quia injuria non est contra bona fortunæ. — Jurisconsulti autem addunt non dari furtum nisi rei mobilis; sed Theologi etiam rei immobilis per injustam occupationem furtum fieri docent.


4° **Alienæ,** i. e. jure dominii sive perfecti sive imperfecti ad alium pertinentis : hinc furtum committitur etiam contra depositarium, commodatarium, conductorem, etc., si ab eis aliquis auferat rem depositam, commodatam, conductam, etc., quia dominus juris sui usum eis contractu concessit. Sed qui non

1. Lib. X Etymologiarum.
2. II-IIæ, quæst. 66, a. 3.



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART

(ANSI and ISO TEST CHART No. 2)



APPLIED IMAGE Inc
1653 East Main Street
Rochester, New York 14609 USA
(716) 482 - 0300 - Phone
(716) 288 - 5989 - Fax

præstat rem contractu debitam, v. gr., dominus, qui factam mercedem famulis non solvit, opifex, qui operam contractu debitam non præstat, injuste quidem agit, sed stricto sensu non furtum facit, quia jus ad rem, non vero jus dominii alterius violat.

5° **Domino invito** : quia tota furti malitia in eo consistit quod quis contra domini voluntatem alienum subripiat ; unde, supposito domini consensu, non est furtum. Neque, ut absit furtum, requiritur positivus consensus, sed sufficit ipsum non esse positive invitum ; sufficit ergo consensus merito præsumptus, scilicet quod si res ab ipso rogaretur, libenter eam donaret. — Si dominus non quoad substantiam invitus est, sed tantum quoad modum accipiendi, nempe absque ejus venia expressa, acceptio non est furtum, sed tamen non excusatur a peccato veniali, quia deordinatio quædam habetur, non vero gravis.

6° **Rationabiliter invito** : rationabiliter autem invitus est de rei suæ ablatione, qui non tenetur ex justitia aut ex pietate rem suam relinquere ; proinde qui sic rem suam cedere tenetur, de ejus ablatione irrationabiliter est invitus. Jamvero, ut supra expositum est, irrationabiliter invito domino non fit injuria. Hinc non committit furtum, qui in extrema necessitate vel ad se compensandum rem alienam aufert ; nec filius, qui de bonis paternis clam surripit quod ad honestam sustentationem sibi necessarium est ; nec fures erant Israelitæ bona Ægyptiorum auferentes, quia id fecerunt ex mandato Dei, cui nemo rationabiliter resistere potest [1].

260. DIVISIO. — Tres furti species moraliter distingui possunt : *a*) **furtum simplex**, videlicet occulta rei alienæ usurpatio quatenus fit absente aut saltem nesciente domino ; — *b*) **rapina**, i. e., aperta et violenta acceptio rei alienæ, præsente ac nolente domino : ut autem ablatio sit violenta, necesse est ut vis in personam cadat, ideo si, effractis foribus vel perforato pariete, quis furetur, furtum est simplex, non rapina ; præter injustitiam furti, rapina continet aliam speciem injustitiæ contra honorem proximi, speciem scilicet contumeliæ, quæ in confessione declarari debet, quia fieri potest quod, quidpiam per violentiam auferendo, aliquis peccet mortaliter in specie rapinæ, et venialiter tantum in specie

1. Carrière, III, n. 982 ; Marres, I, lib. II, n. 158 ; Ærtnys, I, n. 285 ; Tanquerey, II, n. 432 ; Haine, II, q. 86 ; Timothæus, II, n. 327 ; Marc, I, n. 903 ; Noldin, II, n. 404.

furti, ut si a viro illustri præsenti et graviter renitenti tollat quis rem exiguam ; — c) **sacrilegium**, si res ablata sit sacra seu Deo dicata, vel non sacra sed de sacro seu in loco sacro reposita custodiæ causa : hinc, juxta sententiam probabiliorem, non est sacrilegium quodlibet furtum in loco sacro commissum ; in sacrilegio autem, præter malitiam furti, nova malitia invenitur, nempe peccatum contra virtutem religionis. — Aliæ quidem species a jurisperitis distinguuntur, v. gr. peculatus, plagiatus, etc., sed communiter docent Theologi hæc non differre specifice, quia moralem actus speciem non mutant [1].

261. Malitia.—Furtum est peccatum ex genere suo mortale.

Probatur. — *a*) Ex S. Scriptura : non solum enim prohibetur septimo Decalogi præcepto, sed etiam recensetur inter ea peccata, quæ a regno cælorum excludunt, dicente Apostolo [2] : « Neque fures.... neque rapaces.... regnum Dei possidebunt.»

b) Ex ratione : illud enim est mortale ex genere suo, quod opponitur graviter tum justitiæ, tum caritati, tum bono communi. Porro furtum graviter opponitur justitiæ, qua tenemur unicuique quod suum est reddere aut relinquere ; — caritati, quatenus proximo tristitiam affert, pacem turbat, rixas, contentiones et odia inducit ; — bono communi, quod per furta turbatur, eo quod dissolvitur pax et societas humana [3]. Hinc S. Augustinus [4] : « Furtum certe punit lex tua, Domine, et lex scripta in cordibus hominum.»

Dicitur : *ex genere suo ;* nam furtum potest esse veniale ex triplici capite : 1° ex parte ipsius furantis ; *a*) ob imperfectionem actus, ut si fiat absque sufficiente deliberatione ex aliqua præcipitantia ; *b*) ob ignorantiam juris vel facti, etsi non omnino inculpabilem ob defectum sufficientis inquisitionis, ut si quis ignoret rem esse alienam, vel existimet sibi licere auferre rem alienam ob necessitatem non sufficientem, aut falso putet dominum non fore invitum. — 2° Ex parte ipsius domini, cui res sua auferatur, si sciatur vel probabiliter putetur parum esse invitus, sibi talem rem auferri, utpote quam, etsi in se notabilem, tamen

1. Tanquerey, II, n. 433 ; Carrière, III, n. 984 ; Haine, II, q. 87.
2. I, Cor. VI, 10.
3. Delama, n. 300 ; Carrière, III, n. 985 ; Cozzi, II, p. 254 ; Timothæus, II, n. 321.
4. Confess., l. II, cap. IV.

parum curat. — 3° Ex parvitate materiæ ; quis enim dicat reum esse peccati mortalis surripientem diviti frustulum panis aut unum assem [1] ?

262. Materia gravis. — Antequam aliquid statuatur, advertendum est furtum rei levis posse esse mortale per accidens, variis ex causis : 1° ratione damni inde secuti aut lucri cessantis, ut si quis acum furetur sartori, qui non possit aliam habere, et ideo pluribus diebus operam suam perdat : tunc erit, non quidem grave furtum, sed peccatum gravis damnificationis ; — 2° ratione scandali, ut si quis sciat alterum ideo blasphematurum esse ; — 3° ratione gravis mœroris, quem concipit dominus ex furto rei levis, propter peculiarem affectum ad illam : tunc enim sub illo respectu graviter violatur caritas ; — 4°) ratione intentionis, ut si quis putet et velit rem gravem auferre, licet reipsa levis sit : adest tunc in affectu grave peccatum [2]. — De his tamen et similibus non agitur, sed quæritur quænam sit in se materia gravis in furto.

In determinanda autem materia gravi attendendum est ad damnum, quod per furtum domino infertur : in peccatis enim, quæ contra justitiam fiunt, gravitas non tam ex affectu, quo dominus erga rem ablatam fertur, neque ex indignatione vel tristitia, qua propterea afficitur, quam ex damno desumenda est, quod ipse patitur, et consequenter ex reluctantia, qua rationabiliter est invitus [3]. — Hoc autem damnum furto illatum considerari potest vel respectu ad singulos homines, vel respectu ad universam societatem humanam. Licet enim furtum summæ sat notabilis grave damnum ditissimis non afferret, securitas tamen humanæ societatis postulat, ut tale furtum sit semper grave peccatum ; secus, cum homines divitiarum sint avidissimi, quamplurimum furta hæc multiplicarentur, et sic graviter noceretur securitati totius societatis, quæ proinde merito censenda est in hujusmodi furtis graviter invita. Hinc datur materia furti relative vel absolute gravis. — Materia autem relative gravis est illa, quæ singulis personis, quibus aufertur, grave infert nocumentum, data conditione domini. Hinc res variatur secundum uniuscujusque facultates, ita ut ejusdem summæ ablatio grave pauperi, diviti vero

1. Haine, II, q. 90.
2. Carrière, III, n. 986 ; Ærtnys, I, n. 287.
3. Noldin, II, n. 405.

probabile

Confessor must ask what penitent thought he was committing

objective consideration

Vref. Gen. p 181

leve nocumentum inferat [1].——Communiter vero receptum est in furto illam esse relative gravem materiam, quæ alicui juxta suam conditionem in die sufficeret pro sua suæque familiæ sustentationem, in qua non solum computatur victus, sed etiam amictus et habitatio. Ex hac autem regula, quæ est valde obscura, licet juxta plures concludere, quod clarius est, eam materiam censeri gravem, quæ respondet salario diurno, cum, saltem regulariter, salarium æquivaleat diurnæ sustentationi operarii cum sua familia. — Merito hoc principium statuitur : nam grave nocumentum patitur qui injuste privatur summa ad diurnum cibum necessaria [2]. —— Materia vero absolute gravis est illa, quæ secundum se graviter repugnat justitiæ, quatenus, si impune liceret, grave periculum securitati et bono totius societatis crearet. — Hæc tantum attenditur, cum ignoratur status et conditio damnificati, cum quis plura levia furta erga plures committit, vel cum furtum fit personis ditissimis [3].

Ubi vero materiam tum relativam tum absolutam certa pecuniæ summa determinare volunt, auctores maxime inter se dissentiunt. Hinc patet non posse hanc materiam arithmetice definiri, sed, exceptis limitibus extremis, multa esse intermedia, quæ a variis temporum et locorum circumstantiis, judicio prudentis viri, dijudicanda manent. Juvabit tamen ad hoc judicium efformandum sequentia præ oculis habere : *a*) non esse attendendum valorem pecuniæ absolutum, sed relativum seu ejus conducibilitatem ad procuranda quæ vitæ necessaria aut utilia sunt, ut cibos, vestes, etc. ; — *b*) valorem hunc pecuniæ a medio ævo plurimum minutum esse, tum ob detecta nova auri argentique metalla, tum ob emissam monetam papyraceam, ideo hodie majorem summam requiri ad furtum grave constituendum quam sæculis elapsis ; — *c*) nec nostris temporibus eumdum esse pecuniæ valorem in omnibus regionibus, etiam excultis, proindeque auctores, qui in variis regionibus scribunt, rationabiliter in hac materia ad invicem dissidere possunt ; — *d*) in nostris regionibus, quia valor pecuniæ apud nos est paulo major quam in Statibus Fœderatis, possumus tuta conscientia admittere ea quæ ab auctoribus pro hisce Statibus statuuntur ; porro,

1. Zaninetti, III, n. 1550.
2. Marres, I, lib. II, n. 319 ; Tanquerey, II, n. 437 ; Noldin, II, n. 406.
3. Zaninetti, l. c.

materiam relative gravem constituendam, dimidium dollarium sufficere erga mendicantes opinatur Konings, quartam dollarii partem, Sabetti ; erga agricolas et similes operarios unum dollarium sufficere docent ambo citati auctores ; erga mechanicos duo dollaria requiri asserit Sabetti ; relate ad divites duo aut tria dollaria sufficere dicunt Konings, Sabetti et Lehmkuhl ; relate ad omnino divites exiguntur quinque dollaria, quæ etiam summa a Sabetti dicitur absolute gravis, dum Konings decem dollaria requirit et Slater-Martin quindecim dollaria statuunt. — Multo longius progreditur P. Palmieri in editione quam (1898) adornavit Compendii Theologiæ moralis, a P. Gury conscripti. Ibi[1] enim hæc scribit : « Audivi alios viros doctos, qui ob valde imminutum pecuniæ pretium vellent nunc materiam absolute gravem eam esse, quæ centum plus minus francos exæquet, quibus haud ægre assentimus. »[2] — Hæc autem videntur exaggerata et ideo dicerem summam absolute gravem apud nos esse 8-12 dollaria. — Et hoc quidem pro confessariis statuitur ; sed in concionibus ad populum non expedit rem ita definire, ne forte in pravum sensum id detorqueatur[3].

263. Attamen adsunt circumstantiæ ob quas ad peccatum grave amplior quantitas requiritur. Nam, quum furtum non sit nisi fiat domino rationabiliter invito, quo is minus invitus censeri debet, eo majori quantitate opus est, ut furtum mortale evadat ; quod si invitus non sit, ex hoc ipso furtum cessat. Jamvero minus invitus, vel non invitus, præsumi quis potest ratione personarum quæ furantur, ratione rerum quæ auferuntur, et ratione modi quo assumuntur.

264. *A*) Quoad **personas quæ furantur**, cum dominus sit minus invitus, aut saltem minus rationabiliter invitus, erga eas, quæ sibi arctius connectuntur, scilicet personas domesticas quæ sunt filii, uxores et famuli, in earum furtis plus requiritur ad materiam gravem, quam in furtis extraneorum. Unde *a*) *in furtis filiorum*, ad peccatum mortale generatim requiritur materia duplo major, quam in furtis extraneorum : ratio est, quia plerumque parentes vel sunt minus inviti, vel etsi forte valde inviti

1. Gury-Palmieri, I, n. 607.
2. Génicot, I, n. 507.
3. Tanquerey, II, n. 436.

videantur et vehementer succenseant, non tam de re ablata inviti sunt, quam de modo, quod scilicet clam surripiatur, aut de fine, quod lusu et potatione consumatur. Ideo frequenter filii rem domi sumentes non peccant nisi venialiter. — Cum vero regula universalis et absoluta circa gravitatem et levitatem talium furtorum dari non possit, ea desumenda erit 1° a statu, opulentia, liberalitate, et affectu majori vel minori parentis erga filium ; 2° a pluralitate, ætate, aliisque circumstantiis filiorum ; 3° ex fine, et usu rei ablatæ : ratio est, quia ex his capitibus ordinarie solet contingere, ut pater contra furtum filii sit magis vel minus invitus [1]. — Cæterum parentes, ut monent auctores [2], filios hac in re delinquentes graviter punire debent, atque ipsis continuo invigilare : pessima enim ac probrosa furandi consuetudo difficile rumpitur atque tristissimos exitus tandem habet.

b) *In furtis uxorum*, ad peccatum grave plures Theologi requirunt quantitatem duplo majorem quam in furtis filiorum : ratio est, quia inter maritum et uxorem major datur conjunctio et identitas moralis, præsertim in ordine ad bona communia, quam inter patrem et filium ; eo vel magis quia plerumque convenit ut tota rei familiaris atque pecuniæ administratio uxori committatur ; ergo contra furtum uxoris maritus ordinarie censetur esse minus invitus. — Attamen cum hic etiam regula generalis et absoluta statui non possit circa gravitatem vel levitatem similium furtorum, hæc desumenda erit 1° a statu, opulentia, liberalitate, et affectu majori vel minori mariti erga uxorem ; 2° a majori vel minori dote, ab uxore in ordine ad bonum commune allata ; 3° a majori vel minori cooperatione uxoris ad œconomiam, et aliis circumstantiis : ratio est, quia ex his capitibus ordinarie solet contingere, ut maritus contra furtum uxoris magis vel minus, sit aut saltem possit esse invitus [3].

c) *Quoad furta famulorum*, distinguendum est : (*a*) si hæc furta fiant in rebus quæ non solent sedulo custodiri, ut esculenta et potulenta communia, numquam famuli deveniunt ad culpam gravem, dummodo res ablatæ a famulis ipsis consumantur, non vendantur aut foras asportentur, neque in extraordinaria quantitate auferantur : in his enim rebus domini minus inviti esse

1. Delama, n. 302 ; Zaninetti, III, n. 1553 ; Bucceroni, I, n. 1303.
2. Scavini, II, n. 767.
3. Bucceroni, I, n. 1304.

solent ; — (*b*) si autem famuli furentur pecuniam aut res sedulo custoditas, non requiritur ad grave peccatum major quantitas, quam in furtis extraneorum, quia domini tunc non sunt minus rationabiliter inviti erga illos, quam erga istos ; imo ægrius ferunt se domi alere fures, et, juxta communem æstimationem ac leges civiles, furtum hujusmodi gravius reputatur, utpote continens fiduciæ abusum (abus de confiance). Attamen si hæ res ab ipsis famulis administrentur, plures et graves Theologi, cum perdifficile sit res dominorum ab aliis ita fideliter administrari quin aliquid manibus contrectantium adhæreat, majorem quantitatem requirunt ad peccatum grave quam pro extraneis : hæc autem quantitas dijudicanda erit 1° ex statu, opulentia, liberalitate et affectione domini erga famulum ; 2° ex labore, utilitate et necessitate ipsius famuli, ac majori vel minori libertate, quæ iis datur in rebus sibi commissis administrandis [1].

Notandum est sæpe pueros aliasve personas timoratæ conscientiæ peccatum grave committere dum res exigui valoris subripiunt, quas falso sine peccato gravi auferri non posse autumant. Quare prudentis confessarii erit eas, dum ad quælibet furta fugienda excitabit, indirecte monere in iis nullum grave peccatum reperiri, dicendo, e. g. : « Quamvis hæc parva subripere non sit peccatum mortale, tamen.... » [2].

V. no 1400a

265. *B*) **Quoad res ablatas,** communiter admittitur majorem quantitatem requiri in furtis et rerum expositarum, et rerum ad plures pertinentium.

a) In furtis rerum expositarum, ut sunt fructus juxta vias et ligna in sylvis, ad grave peccatum constituendum requiritur major materia : ratio est juxta plures, quia hujusmodi res minus æstimantur ob periculum cui sunt expositæ et difficultatem custodiæ. — Quoad fructus ex aliena vinea aut alieno pomario decerptos, valde benigni et indulgentes sunt antiqui auctores : universim permittunt viatores uvas et poma usque ad satietatem comedere, dummodo non sint rara et magni pretii, et nihil asportetur. Verum hodie, ob rerum adjuncta prorsus immutata quæ efficiunt ut plerique fructus pluris æstimentur et sedulo custodiantur, hæc doctrina restringenda videtur ad illos fructus, qui non multum æstimantur. — Hæc duo tamen concedi posse

1. Zaninetti, III, n. 1555 ; Noldin, II, n. 407 ; Bucceroni, I, n. 1305.
2. Génicot, I, n. 508.

videntur : non esse peccatum unum alterumve pomum vel uvæ racemum hinc inde decerpere ; operarios ex præsumpto domini consensu non peccare, si comedant de fructibus, ad quos colligendos conducti sunt. — Graviter vero reprehendenda sunt furtula, quæ a pueris aut ab aliis personis fieri solent, quæ, si alicubi inoleverint, gravia damna inferre possunt, quum cogant dominos ad fructus immaturos colligendos, agros vel prata pessumdent, atque dominos ipsos sæpe ad gravem iram excitent : unde severe cum hisce agendum est [1]. —— Quoad ligna quæ in sylvis alienis cæduntur, distinguendum est : (*a*) si cædantur in sylvis privatis vel alicui privato elocatis, scindentes contra justitiam peccant et furtum committunt. etiamsi sint partes illius communitatis quæ has sylvas vend[illegible]cavit : ratio est, quia communitas ac proinde singuli i[illegible] ex quorum mandato vel consensu administratores huj[illegible]vas vendunt aut locant, totum jus suum in privatum [illegible]um transferunt. Excipe tamen pauperes, qui ab omni aut saltem gravi culpa excusantur, si ligna, quæ aliunde sibi comparare non possint, sicca colligant, vel viridia quoque parvi momenti succidant ad ignem necessaria, uti frutices, virgulta : etenim hæc ex caritate sunt ipsis debita, et consuetudo ferre videtur ut pauperes ligna hujusmodi per se, quin petant, accipere possint, maxime si id domini sciant et taceant. Admonendi sunt autem, ne arbores, arborumque ramos succidant, nec palos vineis detrahant, nec sepes destruant, aut aliud inferant damnum [2].—(*b*) Quoad ligna quæ cæduntur in sylva, quæ ad propriam communitatem pertinet, incolæ, qui contra prohibitionem talia cædunt, non peccant, nisi magnam faciant stragem, sed tantum tenentur ad pœnam post sententiam : nam talis prohibitio censetur pœnalis. Etenim in nostra regione, ex lege particulari, incolæ sic agentes damnantur ad solvendum duplum pretium juris cæsionis : quæ pœna ex judicio jurisperitorum habetur ut omnino gravis. — Ut autem strages dicatur magna, non est attendenda gravitas materiæ in se, sed damnum quod communitati infertur. — Unde excusatur a peccato, qui cædit unam sarcinam in die pro usu familiæ, aut duas in hebdomada ad vendendum, ut ex pretio familiam alat [3].

1. Zaninetti, III, n. 1552 ; Noldin, II, n. 408 ; Delama, n. 302 ; Ærtnys, I, n. 287.
2. Delama, n. 302 ; Noldin, II, n. 408.
3. Zaninetti, III, n. 1552 ; Ærtnys, I, n. 287.

Lex poenalis obligat ad vitandum quod prohibitum et ad sumendam poenam impositam.

b) In furtis rerum ad plures pertinentium, hæc tenenda sunt :

(*a*) Qui in gravi materia aufert rem ad plures pertinentem, graviter peccat : nam, etsi singulis non inferatur grave damnum, singuli tamen graviter inviti sunt, quia multi uterentur hoc medio ditescendi sine peccato mortali, e. g., falsificando merces, fraudando in pondere et mensura, et proinde multiplicatis furtis grave damnum pateretur securitas commercii humani, nisi hujusmodi furta sub gravi prohibita essent. — (*b*) Ad grave peccatum constituendum in talibus furtis rerum ad plures pertinentium, sive hi plures personam moralem constituant (ut societas commercialis, industrialis, assecurationis, communitas religiosa) sive personam moralem non constituant, requiritur materia absolute gravis, quia generaliter nec singulis nec communitati grave damnum infertur [1].

266. *C*) Quoad **modum auferendi**, qui habetur, quando committuntur furta in materia levi, seu furta minuta, hæc notanda sunt :

a) **Furta minuta** coalescere possunt in materiam gravem. — Hoc constat : 1) ex propositione 38*a* damnata ab Innocentio XI : « Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per parva furta, quantacumque sit magna summa totalis. » — 2) Ex ratione : nam hæc furtula vel in eumdum vel in diversos dominos committuntur. Jamvero in utroque casu exsurgit grave incommodum : etenim si plures res parvi momenti erga eumdem auferuntur, his furtulis damnum grave domino facile inferri posse nemo non videt ; insuper ex hisce furtis paulatim accressit materia rei alienæ, quæ alteri restituenda est ; si vero damnum diversis dominis infertur, etiamsi singulis tantum parvum detur damnum, singuli tamen graviter inviti sunt : timent enim rationabiliter gravissimum reipublicæ damnum et sibimetipsis inferendum, si eam injuriam facile permittant [2]. Ergo.

267. *b*) **Quatuor de causis**, furtula ad peccatum grave pertingere possunt : 1°) ex intentione perveniendi ad summam gravem ; 2°) ratione multiplicationis ; 3°) ex conspiratione ;

1. Noldin, II, n. 409.
2. Gury, I, n. 609 ; Marres, I, lib. II, n. 168 ; Timothæus, II, n. 331.

4°) ex retentione rei alienæ aut per accessionem rei furtivæ ad rem furtivam.

1°) ***Per intentionem*** perveniendi ad summam gravem, furtula quælibet, posito quocumque intervallo, coalescunt in unum peccatum grave : nam qui minuta furta committit cum intentione ad summam notabilem perveniendi, eo ipso intendit grave damnum inferre sive determinatæ personæ sive societati, et ideo unumquodque furtum constituit partem unius ejusdemque objecti totalis gravis. Graviter igitur peccat, qui, quum intendat centum nummos furari, ut securius propositum exequatur, iterum et iterum duos vel tres nummos subripit ; item qui falsis ponderibus utitur, quamvis singulis vicibus in parva materia defraudet : tunc enim materia gravis de facto intentionaliter aufertur. — Attamen qui intendit notabilem summam pluribus vicibus furari, probabilius non peccat mortaliter toties quoties aliquid parvum surripit, sed unum tantum peccatum mortale committit, eo scilicet instanti quo consilium furandi init, — nisi revocet intentionem prius conceptam posteaque eamdem renovet. — Ratio prioris est, quia variæ actiones, quæ ad eumdem actum tanquam ad finem diriguntur, secundum moralem æstimationem unam actionem constituunt, etsi longius temporis intervallum inter singulas intercedat. — Ratio posterioris est, quia retractatio voluntatis efficax, seu ipsa restitutio aut vera restituendi voluntas, impedit quominus furtula præterita cum futuris uniantur : nam per hanc retractationem solvitur illud unius voluntatis vinculum, quod unitatem peccati producit [1].

2°) *Per multiplicationem*, quin habeatur intentio perveniendi ad materiam gravem, coalescunt furta minuta, sive committantur in eamdem personam, sive committantur in diversas personas. Etenim, si agatur de furtis in eamdem personam commissis, per furtula repetita et moraliter unita illi personæ grave damnum infertur ; — si autem agatur de furtis in diversas personas commissis, licet pro individuis singillatim sumptis non habeatur grave damnum, certe tamen communitati grave nocumentum infertur : nam, si ejusmodi furta sub gravi non essent prohibita, fures otio dediti furtis levibus absque dispendio salutis

1. Tanquerey, II, n. 440 ; Noldin, I, n. 278.

æternæ ditescere vellent, quod in gravissimum communitatis damnum vergeret. —— Ut autem furta minuta, quæ successive fiunt, in gravem materiam coalescant, triplex conditio requiritur : *a*) Ut fur ablata retineat : si enim priora furta restituat, furtula subsequentia cum præcedentibus non uniuntur, quia furta semel reparata jam hic et nunc amplius non existunt. Si autem fur solam intentionem restituendi habuerit, hæc non impedit quominus furta coalescant : per novum enim furtum intentio revocari censetur. Excipi tamen potest, si furtum interpositæ retractationi subsequens fieret ex aliquo motivo particulari : tunc enim non videretur efficaciter destruere præcedentem restituendi voluntatem [1]. — *b*) Ut inter singula furta non intercedat magnum intervallum : nam, posito magno intervallo, furtula ex communi hominum æstimatione non censentur uniri, nec proinde constituunt unum objectum in genere moris. Adde quod non apparet grave damnum domino illatum, cum illud vix sentiri possit, ideo non censetur graviter invitus. — Hoc autem intervallum ex sensu communi, considerata qualitate rei ablatæ, determinandum est. Porro ordinarie magnum intervallum censetur interpolatio duorum mensium, dum agatur de materia, quæ licet non sit gravis, tamen proxima est materiæ gravi. Quodsi de furtulis agatur, quorum materia qualibet vice sit valde modica, intervallum unius mensis vel 15 dierum jam erit magnum, et excusans a mortali [2]. — *c*) Ut objecta furtulorum sit alicujus momenti : nam ex communi hominum æstimatione et ex praxi confessariorum certum esse videtur esse quædam objecta, quæ in gravem materiam non coalescunt, quia sunt levioris momenti et ab hominibus minus æstimantur, ut esculenta, potulenta, ficus, fabæ, vilioris pretii poma, etc. Reprehenduntur quidem illi, qui talia leviusculis furtis sæpe surripiunt, sed vix reperiatur qui etiam post plures hujusmodi consuetudinis annos injiciat eis scrupulum gravis furti ob materiam coalescentem [3]. — Verificatis hisce tribus conditionibus, furtula coalescunt, etsi quis ea confessus fuerit et absolutionem receperit, quia hoc non minuit damnum alterius.

1. Delama, n. 303 ; Gury, I, n. [illegible] ; Noldin, II, n. 413.
2. Marc, I, n. 909 ; Noldin, II, n. 413.
3. Zaninetti, III, n. 1558.

1° Fur retineat
2° Parvum intervallum temporis
3° Res non parvi momenti.

In casu autem coalescentiæ, quæ fit absque intentione perveniendi ad gravem materiam, singula furtula sunt venialia, propter levitatem materiæ ; et fur etiam a mortali excusatur, quando summa jam attingit gravem materiam, si ad id non advertit. Sed si in ultimo modico furto advertit fur se jam pervenire ad magnam quantitatem, per ultimum furtum modicum mortaliter peccat : ratio est, quia talis fur per ultimum furtum vult continuare et complere grave alterius damnum, et ideo vi hujus volitionis mortaliter peccat, licet furtum secundum se sit leve [1]. — Si quis autem post completam materiam gravem adhuc aliquid leve furatur, juxta alios [2] peccat graviter toties quoties aliquid leve furatur, quia furtum posterius cum prioribus complet unum damnum majus, vel quia in hoc novo furtulo renovat fur intentionem retinendi gravem summam jam subreptam ; — juxta alios [3], distinguendum est : peccat graviter ille, si non habeat verum propositum restituendi summam gravem jam possessam, quia censetur innovare intentionem detinendi injuste summam notabilem ; secus vero, si tale propositum habeat ; — juxta alios [4], seclusa intentione ad novam materiam gravem perveniendi, non peccat graviter sic agens, quia furtulum respectu acceptionis est certe leve ; respectu autem detentionis videtur constituere unum peccatum cum præcedenti : non enim multiplicatur peccatum, quando renovatur vel confirmatur propositum non restituendi, sed solum quando moraliter interrumpitur. — Hæc tertia sententia est practice tuta, valetque juris regula : « In obscuris minimum est sequendum. » [5]

Hinc graviter peccant mercatores falsis ponderibus aut mensuris utentes, quamvis singulis vicibus in parva materia defraudent, quia certe norunt se ad materiam gravem perventuros esse. Item, sartores horumque famuli graviter peccant contra justitiam, ubi materiam gravem attingunt, retinendo sibi aut vendendo panni fragmenta, dominis adhuc utilia, quæ supersunt ; nisi alicubi vigeat consuetudo, ut minus solvatur, et fragmenta sartoribus

1. Bucceroni, I, n. 1309.
2. Ærtnys, I, n. 289 ; Gury, I, n. 612.
3. Billuart, IV, Diss. XI, art. IV.
4. Marc, I, n. 909 ; S. Alph., III, n. 538.
5. Haine, II, q. 98.

remaneant, aut si constet dominos opulentos non velle fragmenta sibi restitui, vel de illis parum curare [1].

3° *Per conspirationem*, si plures scilicet communi consilio et consensu simul vel successive erga eumdem vel erga diversos dominos parva furta committant, eorum materia in unum coalescit, quia singuli conspirantes, integram ablationem intendunt et producunt. Quando igitur parva furta simul sumpta gravem materiam constituunt, singuli cooperantes mortaliter peccant : conspiratio enim efficit, ut singuli velint totum damnum et ad totum cooperentur. — Si autem singuli independenter ab invicem agant, etsi cognoscant damnum ab aliis illatum et singuli eodem tempore furentur, non peccant graviter, quia nullus eorum grave damnum infert neque intendit damnum ab aliis illatum neque ad illud cooperatur. — Si plures vero alterius exemplo excitati levia furta committunt, quæ simul grave damnum inferunt, ille graviter peccat, cujus exemplum alios ad damnum inferendum provocavit, non quidem contra justitiam, quia exemplum est quidem occasio, non vero causa positiva influens in damnum alienum, sed contra caritatem, ratione scandali, modo damnum inferendum præviderit [2].

4° *Per accessionem rei furtivæ ad rem furtivam*, nempe si utraque conservetur : tunc enim habetur unio non tantum moralis, sed etiam physica, et ideo, quando cumulus fit materia gravis, fur retinet bonum alienum in gravi quantitate et habetur peccatum mortale [3].

268. *c*) Ad determinandum quænam **materia censeatur gravis** in furtis minutis, distinguere oportet : (*a*) Si inter furta levia parum temporis intercedat, v. gr. unus aut alter dies, ita ut hæc furtula committantur fere simul, eadem quantitas requiritur et sufficit, quæ simul ablata sufficit ad mortale : censetur enim fere una ablatio et dominus aut domini æqualiter sunt inviti. — (*b*) Si autem ablationes per longiora intervalla separentur ita ut successive fiant furtula et coalescant, subdistinguendum est : si furta minuta fiant apud eamdem personam, requiritur duplum illius, quod simul et semel ablatum sufficeret ad mortale : cum

1. Marc, I, 910 ; Delama, n. 303.
2. Noldin, II, n. 412 ; Zaninetti, III, n. 1558 ; Haine, II, q. 96.
3. Bucceroni, I, n. 1308.

enim dominus hæc furtula successiva et quasi insensibiliter facta non ita sentiat, hoc ipso ablationes illæ non censentur adeo injuriosæ, et proinde censetur minus graviter invitus, quam si magnum quid una vice ei fuisset ablatum [1] ; si furta minuta erga diversas personas patrentur, requiri videtur duplo plus, quam satis esset ad materiam gravem relate ad furtum in communitatem factum, quia in hoc casu furta cedunt in damnum communitatis [2].

269. Nota. — Monendi sunt confessarii, ut non facile in furtis etiam minutis et quæ ad peccatum mortale non pertingunt, dissimulent, sed pro conditione et capacitate personarum semper aliquam restitutionem injungant, ipsis creditoribus vel pauperibus faciendam. Alioquin enim pœnitentes impune dimissi fiunt ad hujusmodi furtula faciliores, et ad majora gradum faciunt [3].

Articulus II

De causis a furto excusantibus

Duæ sunt causæ, quæ excusant a furto, seu, pressius loquendo, efficiunt ut ablatio rei alienæ rationem furti non habeat : scilicet necessitas extrema, et occulta compensatio. Hinc duæ paragraphi : 1a de necessitate ; 2a de occulta compensatione.

I. De necessitate excusante a furto

270. SPECIES NECESSITATIS. — Triplex potest esse necessitas : extrema, gravis et communis.

1. Haine, II, q. 97.
2. Delama, n. 303 ; Müller, II, lib. 2, n. 4 ; Ballerini, Adnot. ad Gury, I, n. 611.
3. Bucceroni, I, n. 1308.

Necessitas **extrema** ea est, in qua desunt necessaria vitæ, aut periculum moraliter certum imminet amittendi vitam, valetudinem, pudicitiam, libertatem, integritatem membrorum, existimationem, vel bonum aliquod ordinis superioris bonis fortunæ. Exemplo sint infans expositus quem ego solus viderim, pauper morbo vel fama periturus cui solus succurrere possim, vir innocens quem ego solus testimonio meo a gravi condemnatione vel infamia liberare possim [1]. — Huic necessitati, e communi sententia, assimilatur **quasi-extrema** seu gravissima, vel gravis quæ periculum inducit ne quis in extremam labatur : nam necessitas extrema jam est moraliter præsens. Hæc autem necessitas quasi-extrema seu gravissima putatur ea, in qua quis est in probabili periculo amittendi vitam vel membrum aliquod principale aut aliquem sensum, seu incidendi in perpetuam captivitatem, vel in gravissimum aut perpetuum morbum vel in infamiam ; item probabilius, si virum honoratum et nobilem ita puderet mendicare aut artem mechanicam exercere, ut potius mortem subire vellet [2].

Necessitas **gravis** ea dicitur, in qua propter grave incommodum vita valde molesta agitur, vel in qua bonum magni momenti periclitatur, ut status juste acquisitus, officium valde lucrativum vel honorificum [3].

Necessitas **communis** seu mediocris ea intelligitur, in qua quis sibi providere potest sine magna difficultate ; in hac versantur plerique pauperes mendicantes, quibus vita, pro eorum conditione, non habetur ut nimis molesta [4].

271. NECESSITAS QUÆ A FURTO EXCUSAT. — *A*) In necessitate **gravi**, et a fortiori in **communi**, rem alienam auferre **non licet**. — Ratio est, quia tunc domini sunt rationabiliter inviti, et hæc licentia in damnum commune cederet. Etenim casus gravis necessitatis frequentiores accidunt, et homines facile sibi persuaderent se in gravi necessitate constitutos esse : unde possessionum securitas perturbaretur. Insuper foverentur otiositas, inertia et dilapidatio bonorum, si cuique liceret propria auctoritate res alienas invadere in necessitate tam communi. Hinc

1. Génicot, I, n. 222.
2. Zaninetti, III, n. 1560 ; Marres, I, lib. II, n. 146.
3. Cornelisse, II, n. 552 ; Marres, l. c.
4. Marc, I, n. 480 ; Haine, II, q. 102.

merito Innocentius XI, ut scandalosam et perniciosam, hanc reprobavit propositionem : « Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.» [1]

Attamen, si quandoque in his necessitatibus agatur de iis bonis quæ natura omnibus communia esse voluit, puta de sanitate, quamvis in iis non nisi leve detrimentum timeatur, videtur licitum pauperi rem exigui valoris quam dominus facillime dare possit, e. g. unum panem auferre, si dominus rogatus dare nolit vel de ejus consensu dubitetur. Natura enim, ad bona hæc minora communia omnibus hominibus tuenda, videtur dedisse jus arripiendi media minora quibus communiter vitantur hæc mala, quando hæc media se habent ad hunc finem intentum sicut majora bona se habent ad fines majoris momenti. — Verum hujus epikeiæ usus non debet esse facilis, nec in materia gravi, quia divites tunc quoad substantiam essent rationabiliter inviti. Ideo regulariter pauperes talia subsidia minora petere tenentur [2].

272. *B.*) Homo in necessitate extrema aut quasi-extrema constitutus potest bonum alienum arripere. — Ratio est, quia, ex ipso jure naturali et secundum ordinem divinæ Providentiæ, res temporales institutæ sunt ad subveniendum hominum necessitatibus, et ideo per rerum divisionem et appropriationem, quæ ex jure humano procedit, nequit impediri quin hominis necessitati subveniendum sit ex hujusmodi rebus ; jamvero si homo in extrema vel quasi-extrema necessitate constitutus non posset sibi appropriare ea quæ requiruntur ad hanc necessitatem evadendam, ordo divinæ Providentiæ frustraretur et lex humana prævaleret juri naturali ac divino ; igitur in tali casu, ut communiter admittitur, omnia fiunt communia, adeoque accipiens rem alienam ad sibi subveniendum, accipit rem vere communem, quam suam facit, sicut ante bonorum divisionem contingebat, et proinde furtum non facit. — Hinc non tenetur quis rem alienam absolute necessariam petere : secus enim jam nunquam quidquam commune fieret [3]. — Dives autem, qui per vim aut minis pauperem extreme indigentem

1. Noldin, II, n. 414.
2. Lugo, Disp. XVI, n. 156 ; Génicot, I, n. 503 ; Ærtnys, I, n. 298.
3. S. Thomas, II-IIae, q. 66, a. 7 ; Tanquerey, II, n. 447 ; Bucceroni, I, n. 1310.

impedit a re sibi necessaria sumenda, justitiam lædit, quum obstet juri quod extreme indigenti inest aliquid sibi necessarium occupandi, et tenetur ad resarcienda omnia damna quæ ex tali impeditione obveniunt. Si vero taliter indigenti succurrere negligat, aut res suas occultas teneat, dives probabilius peccat solum contra caritatem : quia extrema necessitas non facit egenum actu dominum rei alienæ, sed solum tribuit jus ad eam sibi occupandam ; unde, antequam res actu accipiatur, dominus non perdit rei dominium [1].

Porro nihil refert, utrum aliquis in extrema necessitate sit ex causis naturalibus an ex malitia hominum, ut si latrones alicui minentur mortem vel perpetuam captivitatem, nisi magnam pecuniæ summam tradat [2]. — Imo ex S. Thoma [3], quod ipse laborans tali necessitate potest, hoc nomine ipsius potest quilibet alius, si ex propriis nequeat sufficienter proximo extreme indigenti subvenire : quia quod quis potest per se, etiam potest per alium. Quin imo caritas ad id obligare potest, nisi gravia quis idcirco incommoda subire debeat. Qui tamen in propriis habet superflua, de illis succurrere debet proximo, non de alienis : quia non potest, cum ipsi propria sint, rem alienam in bonum indigentis determinare, ex eo quod tunc alter esset rationabiliter invitus [4].

Excipitur tamen casus, quo ipse dominus per ablationem rei suæ redigeretur in æqualem necessitatem. Tunc enim valet regula : in pari causa, melior est conditio possidentis ; et ideo dominus esset jure invitus. Hinc in incendio non licet arripere scalam alterius ad se salvandum, si ipse sine ea periculum vitæ evadere non potest ; in naufragio non licet ad se salvandum arripere tabulam ab alio jam arreptam, qua ipse, ut evadere possit, indiget [5].

273. MATERIA QUÆ POTEST LICITE AUFERRI. — Licet tantum accipere, quantum ad se liberandum a tali necessitate necessarium est. Ratio est, quia quisque tenetur suam vitam

1. Tanquerey, II, n. 452 ; Haine, II, q. 105 ; Bucceroni, I, n. 1310 ; Marc, I, n. 914.
2. Noldin, II, n. 414.
3. II-IIae, q. 66, a. 7.
4. Haine, II, q. 103; Delama, n. 305; Marc, I, n. 915; S. Alphonsus, III, n. 489.
5. Marc, I, n. 914 ; Noldin, II, n. 414.

mediis ordinariis conservare ; porro media ordinaria sunt res temporales, quas Deus ordinavit ad bonum et utilitatem hominis.—— Disputatur vero inter AA. num hæc facultas accipiendi rem alienam complectatur etiam rem magni valoris, puta notabilem pecuniæ summam. Alii [1] id negant, quia caritas, ex qua solum tenetur dives ad tale subsidium indigenti dandum, non obligat ad extraordinariam summam expendendam pro pauperis conservatione ; ideo juxta illos neque indigenti jus est ad illam arripiendam.—— Alii [2] communiter et verius affirmant, dummodo dominus per talem ablationem non constituatur in æquali necessitate. Ratio est, quia in extrema necessitate, cum prævaleat jus vitæ, et ideo omnia fiant communia, pauper sibi capere potest quidquid ad vitam servandam necessarium est. Nec obstat communis doctrina, divitem non teneri permagnam summam erogare ad proximum liberandum a morte, eo quod caritas non obliget cum tanto incommodo ; nam ex alio fonte derivatur obligatio subveniendi, et ex alio fonte facultas sumendi de bonis creatis ea, quæ ad vitæ conservationem necessaria sunt : illa nempe ex caritate oritur, hæc autem ex jure conservandi vitam, cui pauperis juri respondet in divite obligatio justitiæ non impediendi, quominus necessaria usurpet. Igitur in extrema vel quasi-extrema necessitate constituto licet assumere omne et quodlibet sibi necessarium est ad se a tali necessitate liberandum.

Sed non licet plus auferre quam quod est necessarium : ratio est, quia jus auferendi rem alienam tribuit extrema necessitas, qua cessante cessat etiam illud jus, et proinde non licet sumere, nisi quantum ad eam sublevandam necessarium est. Unde *a*) si sufficiat solus usus rei, v. gr. equi ad fugiendum, sclopeti ad vitæ defensionem, remanet obligatio rem restituendi, cessante necessitate ; nam necessitas non exigit ut accedat rei proprietas, quando sufficienter re commodata sublevari potest. — *b*) Si extreme indigens habeat alibi in re vel in spe probabili, unde solvere possit, non licet ipsi rem alienam subducere, nisi cum onere restitutionis, quia necessitas tunc non exigit ut res accipiatur uti sua, sed tantum mutuo. — *c*) Pauper vero, qui nec bona nec spem

1. Lacroix, l. 3, p. I, n. 953.
2. Lugo, Disp. XVI, n. 146 ; Sporer, de Caritate, cap. V, n. 154 ; S. Alphonsus, III, n. 520 ; Marres, I, lib. II, n. 181 ; Ærtnys, I, n. 297 ; Pighi, II, n. 245 ; Noldin, II, n. 414.

bona obtinendi habens alienum consumpsit, ex justitia nihil reddere debet, etiamsi postea quædam illi obtingant, quia, cum absolute pauper esset et in necessitate extrema omnia sint communia, rem illam juste qua suam capere eaque frui potuit : qui vero rem suam consumpsit nulla restitutionis obligatione tenetur. — *d*) Probabiliter idem dicunt, si pauper rem ex furto haberet, quia, si res apud dominum extitisset, potuisset sine obligatione restitutionis eam auferre [1].

274. Nota. — Regulariter extreme indigens rem alienam sibi necessariam petere debet a domino, si fieri potest, ut ita contentiones vitentur ; si tamen eam aufert sine ulla petitione, justitiam non lædit, quum jus habeat in rem, sed legitimum modum non servando peccat venialiter, nisi aliqua ratione, v. gr. erubescentiæ aut difficultatis, excusetur [2].

II. De occulta compensatione

275. DEFINITIO. — **Compensatio**, in genere sumpta, est rei unius per alteram adæquatio. — Duplex esse potest : legalis vel extra-legalis seu occulta. — **Legalis** locum habet, quando duæ personæ, erga se invicem debitrices, rem alteri debitam reciproce servant ; v. gr., debeo tibi 100 pro panno, tu mihi debes 100 pro vino, retineo 100 quæ tibi debeo, pro 100 quæ mihi debes. De hac in præsenti non agitur. — **Occulta** compensatio est actus quo creditor ex bonis debitoris clam aufert quod sibi debetur : dicitur vero occulta, quia fit absque recursu ad judicem, et plerumque saltem inscio debitore [3]. — Dupliciter autem fieri potest : *a*) surripiendo occulte a debitore æquivalens rei debitæ, si solvere aut restituere nolit ; *b*) occulte retinendo ex bonis debitoris tantum quantum debetur [4].

276. LICEITAS. — *Per se* occulta compensatio est **illicita**. Ratio est, quia *a*) qui altero invito rem illius occupat, jus domini

1. Bucceroni, I, n. 1312 ; Lugo, Disp. XVI, n. 171 ; Salmanticenses, De Rest., cap. V, n. 55 ; Marres, I, lib. II, n. 183 ; Delama, n. 305.
2. Tanquerey, II, n. 451.
3. Tanquerey, II, n. 454.
4. Haine, II, q. 108.

in re sua violat, etiamsi ex delicto aut contractu jus in personam possessoris habeat ad rem obtinendam ; — *b*) recto juris ordini repugnat, ut quis sibi causæ suæ judicium usurpet ; — *c*) est res periculo plena, ex eo quod judex in sua causa facile sibi cum alterius detrimento et injuria favere potest, nam plerumque homines sua jura amplificant et aliena extenuant ; — *d*) sibi compensans in foro externo ut fur reputaretur [1].

Per accidens occulta compensatio, concurrentibus certis conditionibus, est **justa** et **licita**. — Est **justa**, quia qui se occulte compensat, nemini facit injuriam, sed tollit quod suum est ; — **licita**, quia, servatis conditionibus, servatur etiam ordo justitiæ et caritatis [2]. — Conditiones autem requisitæ sunt numero septem, quarum priores quatuor servandæ sunt ex stricta justitia, ceteræ vero ex caritate tantum.

Ex **justitia** requiritur 1°) ut debitum sit **strictum**, i. e. ut id quod occulte accipitur, sit debitum ex justitia, non tantum ex caritate, gratitudine, religione, etc. Nam compensatio fit ad recuperandum quod alter debet restituere. Sed nemo tenetur restituere, nisi quod debetur ex justitia. Ergo. — Hinc si dominus promiserit famulo se ei gratitudinis causa pro servitio fideliter præstito certam pecuniæ summam dono daturum aut testamento relicturum esse, dominus autem donum non fecerit aut intestatus obierit, nequit famulus promissam pecuniam clam accipere, quia jus strictum in illam non habet. Item, si quid aliquis voverit dare pauperi cuidam, non potest hic pauper id ab illo surripere, quia debetur ei tantum ex religione, nec ex tali voto acquisitum est jus strictum [3].

2°) Debitum debet esse moraliter **certum**, tum quia in dubio melior est conditio possidentis, tum quia unusquisque habet jus retinendi rem a se possessam, nisi constet eam esse alienam, tum denique quia iniquum est pro debito certam solutionem propria auctoritate sumere, atque exponere se periculo accipiendi rem alienam sibi non debitam [4]. Igitur in dubio illicita est occulta compensatio. — Hoc vero admittitur ab omnibus, si agatur de

1. Marres, I, lib. II, n. 186.
2. Marc, I, n. 916.
3. Haine, II, q. 110.
4. Noldin, II, n. 418 ; Carrière, III, n. 1002.

dubio facti. Sed in dubio juris, juxta plures [1], in tribus casibus, scilicet quando compensatur fama cum pecunia, infamia cum infamia data, et legatum relictum in testamento non solemni, potest fieri compensatio occulta, dummodo factum cui debitum innititur sit certum, jus autem quod ex illo facto oritur ita probabile sit ut judex, non obstante alterius possessione, posset in favorem creditoris sententiam ferre. Tunc enim probabilitas proxime cadit in actionem auferendi rem alienam ; quæ ablatio propterea fit licita. Sed notare oportet generatim in hisce casibus minus obviis requiri ut ad prudentem virum vel confessarium recurratur, et talem compensationem numquam permittendam esse ultra id quod tribunalia verisimiliter essent concessura.

3°) Debitum debet esse **exigibile**, i. e. requiritur ut res actu debeatur, nempe ut dies solutionis venerit : nam « qui terminum habet, nihil debet ». Ideo compensatio fieri nequit pro re, quæ sub conditione suspensiva debetur, antequam conditio adimpleatur ; vel pro re, quæ post sententiam judicis deberi incipit, antequam feratur sententia, v. gr. pro redintegratione damni dati sola culpa civili [2]. — Probabiliter tamen licet creditori anticipare et se compensare pro eo quod alter ipsi tantum post certum temporis lapsum debebit, si adsit morale periculum ne debitor suo tempore creditori non satisfaciat : ratio est, quia defensio justa est non tantum quando jam actu malum infertur, sed etiam quando moraliter instat [3]. — Sed, ut notat Ballerini, habenda est ratio lucri cessantis vel damni emergentis, quod debitori inde sequatur, quia nemo debet puniri de delicto futuro, i. e. antequam sit in mora solvendi.

4°) Compensatio debet fieri **ad æqualitatem**, ita ut non plus accipiatur quam debeatur : nam compensatio occulta est actus quo quis illud, quod sibi debetur, accipit, inscio domino [4]. — Unde compensatio fieri debet in eadem specie : nam secus, res debitoris sine ejus consensu, et proinde injuste, permutatur. Potest tamen fieri in alia specie, si in eadem commode fieri nequeat,

1. Génicot, I, n. 504 ; Lehmkuhl, I, n. 1125 ; Marres, I, lib. II, n. 187 ; Lugo, Disp. XVI, n. 95.
2. Marc, I, n. 917 ; Zaninetti, III, n. 1501.
3. Lugo, Disp. XVI, n. 93 ; Génicot, I, n. 504.
4. Haine, II, q. 110.

quia tunc necessitas mutationem cohonestat [1]. — Quæritur tamen apud auctores, utrum creditori rem apud se a debitore depositam aut sibi commodatam retinere liceat. — Plures [2] illud non pro foro externo tantum, sed etiam interno vetitum reputant jure canonico, ubi Gregorius IX docet : « Sane depositori licuit pro voluntate sua depositum revocare, contra quod compensationi vel reductioni locus non fuit, ut contractus qui ex bona fide oritur minime referatur. » — Sed alii [3] probabilius illud esse licitum tradunt : quia verba juris positivi forum externum tantum respiciunt, ex jure autem naturali, cum debitor non solvendo fidem non servaverit, etiam creditor depositarius ad fidem illi servandam non obligatur juxta regulam juris : « frangenti fidem non est servanda fides.»

Ex caritate vero requiritur 1°) ut debitum **non possit aliter recuperari,** saltem sine gravi incommodo : ratio est, quia non potest quis regulariter propria auctoritate possessorem exspoliare, cum id pertineat ad judicem seu magistratum publicam auctoritatem habentem ; — præterea bonum publicum exigit, ut nemo jus sibi dicat, ubi facilis est recursus ad judicem [4]. — Hæc tamen conditio obligat tantum sub levi peccato, quia occulte compensans nihil agit contra justitiam, cum accipiat quod suum est, nec ordinarie sequitur ex hac ordinis inversione grave scandalum aut gravis reipublicæ perturbatio.— Imo nullum erit peccatum in omissione hujus ordinis, si timeantur inimicitiæ, amissio expensarum litis et similia : quia tunc recursus est moraliter impossibilis [5].

2°) Ut **præcaveatur debitoris damnum** spirituale vel temporale ; spirituale, ne is inscius compensationis factæ semper maneat in mala fide et conscientiâ peccati ; temporale vero, ne is vel ejus hæres ob ignorantiam compensationis idem debitum iterato solvat. Unde aliqua ratione monendus erit debitor, fingendo v. gr. condonationem vel similem aliam æquivocationem [6].

1. Ferreres, I, n. 622 ; Bucceroni, I, n. 1473.
2. Billuart, Diss. XI, art. VII.
3. Lessius, Lib. II, cap. XVII, n. 16 ; Lugo, Disp. XVI, n. 89 ; Marres, I, lib. II, n. 190 ; Bucceroni, I, n. 1474.
4. Bucceroni, I, n. 1473.
5. Ærtnys, I, n. 298 ; Gury, I, n. 626 ; Génicot, I, n. 504.
6. Haine, II, q. 110.

Hæc autem conditio requiritur ex caritate tantum, quia compensatio non est per se causa damni, sed tantum per accidens. Attamen in praxi hæc monitio ægre fieri poterit, eo quod debitor, occultam compensationem suspicatus, variis incommodis creditorem afficiet. Quare, si talia timeantur, hæc conditio omitti poterit ; et si quod inde damnum debitori obveniat, id iniquitati suæ imputare debebit [1]. — Si autem facta compensatione, debitor restituat, ipsi iterum erit restituendum : nam secus creditor haberet plus quam habet jus obtinendi. Cæterum casus ille rarus erit ; siquidem compensatio licita non est, nisi nulla adsit spes probabilis debiti recuperandi [2].

3°) Ut **præcaveatur damnum tertii**, qui forte tanquam de furto suspectus habeatur aut puniatur. Ad id autem compensans non tenetur ex justitia, sed dumtaxat ex caritate, cum causa sit illius damni non per se, sed tantum per accidens. Ideo hoc damnum permitti potest, si secus compensatio cum notabili incommodo proprio omittenda esset [3].

Hinc dantur sequentes regulæ practicæ circa compensationem. — *a*) Confessarii haud faciles sint in consentiendo compensationi occultæ : tum ex eo quod pœnitentes in judicando de suo jure et ejus extensione sunt judices in causa propria, tum ad evitandum periculum ne hisce compensationibus assuescant et paulatim veri fures evadant. — *b*) Si pœnitens videatur esse persona recti judicii ac timoratæ conscientiæ, confessarius debet ejus assertionibus acquiescere, sub ea conditione expressa vel tacita : « si vera sunt exposita. » — *c*) Post factam compensationem, confessarius non imponat obligationem restituendi, nisi certo constet compensationem fuisse injustam [4].

Sæpe vero adhibetur occulta compensatio a famulis aliisve qui se alicujus domini servitio pro certa mercede addixerunt. Unde quæritur utrum et ipsis liceat hæc compensatio. — Distinguendum est : 1° Si dominus non solvit salarium, de quo cum famulo pactus est, vel si propter brevem infirmitatem aut propter res casu fractas (excluso speciali contractu) aliquid de salario

1. Génicot, I, n. 504.
2. Ferreres, I, n. 622.
3. Haine, II, q. 110 ; Génicot, l. c.
4. Pighi, II, n. 250.

detrahit, famulus se compensare potest ; tunc enim verificantur omnes conditiones requisitæ. — Si autem famulus convenerit de salario, et postea reputet illud esse infra operam a se præstitam, generatim loquendo non potest uti compensatione occulta. Patet ex propositione XXXVII damnata ab Innocentio XI :« Famuli ac famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere, ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.» Ratio est, tum quia, si famuli recipiant stipendium, de quo sponte convenerunt, nullam injuriam patiuntur, ac proinde nullum jus habent ad compensationem, juxta parabolam de laborantibus in vinea apud Matth., XX, tum quia, si id liceret, via innumeris furtis panderetur, ex eo quod famuli sibi facile persuaderent stipendia esse justo minora. — Dicitur : generatim, quia ad infimum usque pretium compensare sibi potest famulus, 1°) si vi, metu aut dolo compellatur ad consentiendum in pretium inæquale, quia tunc patitur injuriam quæ ei tribuit jus ad compensationem ; 2°) si necessitate compulsus de salario justo notabiliter minori convenerit, quia tunc non cedit juri suo libere, sed coacte : modo tamen dominus alios famulos eodem vili pretio jam juste non invenisset, vel hunc rogantem ex sola misericordia non susceperit ; 3°) si dominus in compensationem consentire videatur, ut v. gr. cum aurigis pretio minori conductis contingere potest : cum enim se a plerisque fraudatum iri cognoscat dominus ; non est præsumendus velle honestos aurigas debito salario privare, eo quod sibi ab inhonestis caveat ; 4°) si invitus famulus operibus indebitis gravatur, quia hæc contra conventionem aggravatio constituit injuriam, quæ ipsi tribuit jus ad compensationem. — Si famulus augeat labores debitos, subdistinguendum est : si famulus id faciat propria voluntate, non potest se compensare, quia tunc censetur operam suam donare ad sibi conciliandam domini gratiam ; — *b*) si operas augeat ex voluntate domini sive expressa sive tacita, potest se compensare, quia tunc obtinet juris naturalis regula : « operarius dignus est mercede sua.»

Variis autem his casibus exceptis non obstat allata propositio, quia hæc fuit damnata ob nimiam generalitatem.

Dicta vero de famulis simili ratione valent *a*) de quibusvis mercenariis et artificibus, qui ad compensationem recurrere volunt sub prætextu quod viliori pretio operas suas locaverunt ; *b*) de mercatoribus, ita ut, si merces libere vindiderint certo et definito

pretio quod postea vilius judicant, non possint ad se compensandum iniquo pondere aut mensura uti. Si vero infra justum pretium vendere injuste coacti fuerint, v. gr. ob dolum vel fraudem emptoris, compensatione occulta sibi providere possunt ; eaque etiam licite utuntur ut solutionem certi debiti sibi procurent, si merito timeant ne eam petendo emptorem pro futoro amittant [1].

Tandem damnatus a judice ad solvendum debitum, quod certo non contraxit vel quod jam solvit, potest, secluso scandalo, sibi compensare, quia sententia judicis, utpote innixa falsa præsumptione facti, injusta est [2].

1. Haine, II, q. 111 ; Génicot, I, n. 505 ; Delama, n. 307 ; Marres, I, lib II, n. 188 ; Ærtnys, I, n. 299 ; Mechlinensis, De jure et justitia, p. 114.
2. Zaninetti, III, n. 1501.

PARS TERTIA

DE REPARATIONE INJUSTITIÆ SEU DE RESTITUTIONE

277. Quando jus strictum violatum fuit, justitia postulat ut reparetur : quod fit per restitutionem, de qua nunc agendum est. « Præsens materia restitutionis, ait S. Alphonsus [1], sedula consideratione indiget : tum quia scatet quæstionibus implicatissimis, tum quia confessarius æque scrupulum sibi facere debet, si non obligat ad restitutionem pœnitentes qui restituere tenentur, ac si obliget qui non tenentur ». —— Amplam vero hanc materiam in duo capita dividimus, quorum prius erit de restitutione in genere, posterius de restitutione in specie seu in particulari.

CAPUT I

De restitutione in genere

Disseremus : 1° de restituendi obligatione ; 2° de restitutionis radicibus ; 3° de ejus circumstantiis ; 4° de causis ab ea excusantibus. Unde dentur quatuor articuli.

Articulus I

De restituendi obligatione.

278. DEFINITIO RESTITUTIONIS. — Secundum vocis etymologiam, restitutio (*rursus statuo*) significat actum quo aliquid in pristinum statum reponitur, et sumitur duplici sensu, lato scilicet et stricto. —— Sensu autem lato, restitutio sumitur pro

1. H. A., XIII, 37 ; IV, 109.

redditione debiti aut rei alienæ cujuscumque, sive læsum fuerit jus alienum, sive non : sic restituere dicitur, qui solvit debitum vel qui reddit acceptum mutuum, commodatum. — In sensu stricto quo hic usurpatur, **restitutio est actus justitiæ commutativæ, quo reparatur læsio juris alieni.**

Dicitur : *a*) **actus justitiæ commutativæ** ; nam obligatio restituendi oritur tantum e læsione justitiæ commutativæ, non autem e læsione aliarum virtutum. Ratio hujus differentiæ desumitur e diversitate objecti et motivi formalis harum virtutum. Justitia nempe commutativa respicit formaliter bonum æqualitatis, seu ut unusquisque habeat quod suum est jure stricto et nemo sine rebus suis maneat. Sicut ergo justitia commutativa obligat ne res aliena surripiatur, ita etiam prohibet ne jam surrepta servetur. Ideo restituenda est res ablata, vel saltem illius æquivalens, ut æqualitas iterum vigeat. In cæteris vero virtutibus, peracta læsione, non permanet per se motivum quod talis virtus respiciebat. Ita, si quis tenebatur ex caritate ad succurrendum proximo in extrema necessitate posito, nec succurrit, peccavit quidem, sed non perseverat per se motivum honestatis quod ipsum ad tale auxilium dandum obligabat. Nam, cessante necessitate extrema, proximus jam non indiget, saltem necessario, sublevatione negata. *Per accidens* quidem potest hoc caritatis officium perdurare una cum necessitate : obligatio vero tunc minime implenda est ratione damni illati et per modum restitutionis, sed eadem ratione ac si nunc primum necessitas inciperet [1]. —— Quod applicandum est etiam justitiæ legali, distributivæ et vindicativæ : his enim violatis, non urget per se illa obligatio restituendæ æqualitatis, siquidem nullius jus strictum læsum est. Quandoque tamen per earum læsionem *per accidens* jus strictum læditur, et consequenter exsurgit ad illud restituendum obligatio [2].

Dicitur : *b*) **quo reparatur læsio juris alieni** : quia obligatio restitutionis exsurgit ex læsione tantum effectiva juris alieni. Etenim per affectivam læsionem, quamvis agens graviter peccet actu interno contra justitiam, tamen nulla realis injuria proximo infertur, ideoque æqualitas non tollitur. Hinc ab onere restitutionis eximendus est judex malevolus proferens sententiam

1. Lugo, de Just. et Jur., disp. I, n. 52.
2. Genicot, I, n. 511.

quam putat injustam, si reipsa sit justa ; vel ille qui rapit rem quam existimat alienam, dum sua est [1].

279. Unde restitutio differt 1° **a satisfactione** : nam satisfactio respicit primario personam offensam et est ejus inhonorationis ac contumeliæ ei illatæ reparatio, proindeque eo major debet esse, quo dignior est persona offensa ; e contra restitutio rem alterius primario respicit ac proinde non debet esse major erga nobilem quam erga plebeium [2] ; —— 2° **a solutione**; quatenus *a*) hæc postulat ut res quæ solvitur sit diversa a re pro qua solvitur, dum restitutio potius postulat ut sit res eadem, quantum fieri potest, aut saltem in æquivalenti ; *b*) in solutione non ita respicitur ad valorem rei quam ad conventionem initam, econtra in restitutione attenditur ad valorem rei, cui æquale reddi debet ; *c*) per solutionem exstinguitur obligatio, quæ existit quin tamen injuria irrogata fuerit, dum restitutio semper præsupponit injuriam, saltem materialem [3].

280. OBLIGATIO. — **Quando alterius jus strictum læsum fuit, restitutio in re vel in voto per se sub gravi est ad salutem necessaria necessitate præcepti.**

Dicitur : 1° **quando alterius jus strictum læsum fuit**; nam restitutio est actum justitiæ commutativæ, quo reparatur damnum proximo per injuriam illatum: unde obligatio restitutionis est hypothetica et supponit jus strictum alterius læsum fuisse.

2° **Restitutio in re vel in voto**: nam, qui absolute restituere nequit, excusatur a restitutione in re, quia ad impossibile nemo tenetur. Sed non excusatur a restitutione in voto, i. e. debet semper firmum habere propositum restituendi, quando poterit ; secus enim, retineret affectum ad rem malam, sicque in peccato habituali versaretur [4].

3° **Per se sub gravi** ; nam restitutio, uti injuria ipsa, parvitatem materiæ admittit. Unde si quis alteri levem injuriam intulit, restitutionis obligatione quidem tenetur, sed tantum sub levi, atque obligationem illam negligendo in reatum damnationis æternæ non incurrit [5].

1. Gury, I, n. 629.
2. Timothaeus, II, n. 337.
3. Mechlinensis, de Jure et just., n. 24 ; Cozzi, II, p. 336.
4. Marc, I, n. 925.
5. Mechl., de Just. et Jure, n. 24 ; Tanqueray, II, n. 461.

Gratia non datur directe a restit. et Gr. sola necess. est (et ... necessitate medii

4° **Necessitate præcepti, non autem necessitate medii** : nam ignorans invincibiliter se restitutioni obnoxium, potest salvari, quia restitutio positive nihil confert ad salutem, sed tantum fieri debet, ne committatur peccatum neve obex saluti ponatur [1].

281. His vero positis, **probatur necessitas restitutionis** :

A) **Ex S. Scriptura.** — Apud Ezech., XXXIII, 14, legitur : « Si egerit pœnitentiam impius... rapinamque restituerit, vita vivet et non morietur ». Hinc ut impius, qui justitiam læsit, peccati remissionem obtineat, non sufficit ut de peccato commisso doleat (egerit pœnitentiam), sed præterea requiritur restitutio (rapinam reddiderit). —— Item in Epist. Jacobi, V, 4, dicitur : « Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat, et clamor eorum in aures Domini sabaoth introivit ». Proinde ut clamor mercedis defraudatæ seu peccatum cesset, requiritur ut merces e manibus defraudantium dimittatur seu restituatur [2].

B) **Ex unanimi S. Patrum testimonio et Ecclesiæ auctoritate.** — Maxime celebrata sunt verba S. Augustini [3] : « Si res alinea propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur : si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, cum restitui potest ». Quæ verba inserta sunt in Decreto Gratiani [4], et ex ultimis efformata est regula IV juris in Sexto : « Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum [5] ».

C) **Ex ratione.** — *a*) Nam justitia commutativa respicit formaliter bonum æqualitatis, hoc est, quod unusquisque habeat quæ sua sunt, et nemo sine suis rebus maneat. Hoc autem bonum a justitia intentum eodem modo obligat post furtum, sicut antea : etenim, ut ait S. Thomas [6], detinere id, quod alteri debetur, eamdem rationem nocumenti habet cum acceptatione injusta. Obligat ergo justitia ad restitutionem, quia perseverat idem motivum honestatis, ratione cujus obligabat ad non

1. Mechl., ibid. ; Noldin, II, n. 423 ; Delama, n. 309.
2. Delama, n. 309.
3. Epist. 54 ad Macedonium, n. 20.
4. Cap. Si res aliena, I, caus. XIV, quest. 6.
5. Tanqueray, II, n. 46[illegible], not.
6. II-II, q. 62, a. II.

furandum, scilicet, ne detur inæqualitas, hoc est, ne aliquis rebus suis careat.[1] —

b) Nullum peccatum sine sincera contritione et firmo proposito remitti potest ; atqui genuina contritione caret qui bonum alienum injuste possessum vult retinere, — nec firmum habet propositum non peccandi qui dammum reparare a se injuste illatum pertinaciter recusat [2]. Unde concludere licet quod Deus restitutionem rei ablatæ tanquam conditionem proponit, ut peccator delictorum veniam obtineat [3].

282. PRAXIS. — Ex dictis concludi licet : 1° QUI VERSATUR IN IMPOTENTIA rem alienam aut ejus valorem restituendi, debet semper firmum habere propositum restituendi, quando poterit : tunc enim necessaria est restitutio in voto. — Attamen caute procedendum est aliquando cum omnino pauperibus, qui non possunt prævidere possibilitatem restituendi et ideo dicunt se nolle facere restitutionem. His in circumstantiis confessarius ab eis quærere debet utrum, si per impossibile valde divites fierent, vellent suæ obligationi satisfacere. — Interim vero qui in tali impotentia constituitur, debet comparare, si quid possit, ut suam obligationem postea impleat : qui enim tenetur ad finem, obligatur etiam ad media fini consequando necessaria. Unde absolutione indignus merito habetur, qui recusat restitutionem promittere ; qui ære alieno gravatus, in victu, vestitu, famulatu,... ejusmodi expensas subit, ob quas prævidet, se postea debitorum suorum solutioni imparem fore ; qui bona gaudens fortuna, non vult statum suum paulatim minuere, ut creditoribus satisfaciat.

283. 2° Si quis autem TOTUM NEQUEAT RESTITUERE, et de re divisibili agatur, ad partem, quam possit, tenetur : persona enim læsa jus habet ad singulas partes, sicuti ad totum [4]. —— Qui vero NON POTEST RESTITUERE EX BONIS EJUSDEM ORDINIS, licet juxta plures cum S. Thoma [5] probabiliter teneatur restituere in bono inferiori, quia qui non potest totum damnum resarcire, tenetur saltem compensare partem quam potest, probabilius tamen non tenetur restituere ex bonis diversi ordinis, v. gr.

1. Lugo, Disp. I, n. 5.
2. Tanqueray, II, n. 461.
3. Noldin, II, n. 423.
4. Cozzi, II, p. 338 ; Noldin, II. n. 424.
5. II-II, q. 62, a. 2.

famam læsam aut vitam ablatam pecunia compensare : justitia enim commutativa ideo solum restitutionem præcipit, ut æqualitas violata redintegretur ; atqui ex bonis diversi ordinis æqualitas revocari nequit ; et sane per pecuniam fama aut vita ablata non redditur. — Iudex tamen vel superior potest pro injuria circa unum bonum imponere, ut ratione pœnæ aliquid præstetur ex bonis alterius ordinis. Insuper læsus, cum jus habeat apud judicem denuntiandi illum, a quo injuriam accepit, potest ab isto pecuniam accipere, ut denuntiationem omittat : sic, v. gr., mulier violenter oppressa, cum violatorem ad judicem compellere valeat, potest, ut juri suo renuntiet, pecuniam a nebulone exigere. — Denique congruum esse communiter dicitur, ut confessarius imponat pœnitenti pro pœnitentia, vel ex æquitate, aliquid læso elargiendum [1].

284. 3° ABSOLUTIONE INDIGNUS EST, idque propter affectum ad peccatum mortale, qui absque ratione excusante restituere non vult rem gravem, quam commode reddere potest. Hæc autem regula a Rituali Romano confessario præscripta habet rationem principii absoluti et universalis, a quo etiam in articulo mortis recedere non licet [2]. — Notandum est tamen cum S. Alphonso quod, si pœniteus sit in bona fide et confessarius prævideat monitionem de restitutione facienda non esse profuturam, monitio omittenda est : nam secus agendo pœnitens in peccatum formale incidit, quin damnum creditoris inde amoveatur. Sed non facile præsumendum est pœnitentem, cognita veritate, non esse obtemperaturum [3].

4° AD ABSOLUTIONEM VERO CONFERENDAM utrum sufficiat seria voluntas restituendi an requiratur ut restitutio jam præcesserit, controvertitur. Alii [4] docent absolutionem procrastinandam esse illi, cui restitutio moraliter possibilis sit, donec restitutionis obligationi satisfecerit : bona enim sunt quidam sanguis, qui a venis non eruitur, nisi cum magna vi et dolore. Unde, si restitutio non fit ante absolutionem, cum difficultate maxima fiet postea : experientia enim satis compertum est quod debitores post absolutionem rarissime restituunt, prout concubinarii

1. S. Alphonsus, III, n. 556, 627 ; Noldin, II, n. 423 ; Marc, I, n. 928 ; Delama, n. 309 ; Gury, I, n. 628.
2. Marres, I, lib. II, n. 14.
3. Delama, n. 311.
4. S. Alphonsus, III, n. 682 ; Marc, I, n. 929 ; Zaninetti, III, n. 1447.

rarissime concubinas dimittunt. — Potest excipi tantum aliquis pœnitens, qui ita meticulosæ conscientiæ esset, ut de eo nullus dubitandi locus superesset.

Alii [1] tenent non requiri ut restitutio jam præcesserit, sed sufficere seriam voluntatem restituendi : quia per hanc voluntatem tollitur affectus ad peccatum ; hæc autem voluntas est factum internum, de quo solummodo per ipsius pœnitentis testimonium confessario constare potest ; unde sicuti pro ceteris factis etiam pro hoc facto interno confessarius pœnitenti credere potest et debet. — Imo quamvis quis antea in confessione restituere iterum atque iterum promisisset, et tamen, proposito non servato, culpabiliter non restituisset, nihilominus deinceps iterum valide absolvi potest, dummodo serio et doleat de præterito et pro futuro sibi restitutionem proponat : ex eo enim quod propositum non servaverit, nullatenus inferri potest quod postea non serio sibi restitutionem proponere possit. —— Prudentia tamen nonnunquam confessario, ut qua prudens sacramentorum dispensator licite agat, præcipit ut, quando de restitutione magni momenti agitur aut si pœnitens iterum atque iterum monitus restitutionem neglexit, differatur absolutio, donec restitutio facta fuerit, dummodo illud commode fieri possit : quia hujusmodi rei alienæ possessio rationem habet occasionis proximæ continuo præsentis peccati mortalis, atque confessarius hoc modo pœnitentem certius liberabit a periculo proximo peccati mortalis, quod ex illa possessione nascitur. — Additum vero fuit : dummodo pœnitens commode remitti potest, quia de regula prudentiæ servanda agitur ; prudentia autem præcipit ut ad omnes rerum et personarum circumstantias attendamus : unde, si majora mala ex absolutionis d[illegible]ne, ex. gr. perpetua sacramentorum aversio, timenda sint, [illegible] si pœnitens ad confessarium redire non posset, aut si extraordinaria pœnitentiæ signa ostendant proximum peccati mortalis periculum propter peculiarem pœnitentis animi constantiam non amplius existere, nihilominus statim absolvi posset.

Tandem alii [2], mediam viam tenentes, statuunt quod, si pœnitens promittat se statim restituturum, prima vice est absolvendus, nisi ex circumstantiis prudenter timeretur deceptio ;

1. Marres, I, lib. II, n. 14.
2. Haine, II, q. 114, res. 4.

si autem sæpius absolutus et deinde non restituerit, regulariter non est iterum absolvendus ante realem restitutionem, licet promittat se restituturum : quia vix habet verum propositum. Quæ sententia, ut mihi videtur, est tuta et in praxi omnino tenenda.

285. 5° Cum moribundis autem restitutioni obnoxiis caute agendum est. Sic confessarius procedat : *a*) Si pœnitens videatur esse in bona fide, nec supersit tempus eum de sua obligatione prudenter monendi, aut prævideatur non profuturam esse monitionem, hac omissa erit absolvendus. — *b*) Si vero fructus monitionis speretur, aut si pœnitens non sit in bona fide, fortiter simul et suaviter admonendus erit de restitutionis obligatione, et ad illam statim peragendam adjuvandus. — *c*) Si obligatio occulta sit, nec statim fieri possit, erit inducendus æger ad summam pecuniæ sibi confessario, seu potius, si fieri possit, viro fideli committendam, ut postea creditori secrete remittatur, vel ad eam summam in testamento ipsi creditori relinquendam, omissa restitutionis mentione. — *d*) Si autem obligatio sit ex causa honesta, vel inhonesta quidem, sed publica, et statim fieri nequeat, confessarius curet, ut hæredibus modo valido imponatur facienda, vel schedula debitum comprobans creditori tradatur. — Sedulo tamen confessarius curare debet, ut non tantum sigillum confessionis non violet, sed ne in suspicionem quidem violationis incurrat [1].

Articulus II

De restitutionis radicibus.

286. NOTIONES. — **Radix restitutionis vocatur causa, propter quam restitutio facienda est.**

Radix restitutionis **remota et generalis** est omnis realis læsio justitiæ commutativæ; seu aliis verbis : est omnis actio, qua jus strictum proximi ad aliquid læditur, ita ut iste minus habeat quam jure habere debet ; unde per redditionem rei, qua

1. Gury, I, n. 632 ; Delama, n. 311 ; Marres, I, lib. II, n. 15 ; Zaninetti, II, n. 1447.

injuste caret, reducenda est æqualitas [1]. Proinde S. Thomas [2] dicit ; « Restituere nihil aliud esse videtur, quam iterato aliquem statuere in possessionem vel dominium rei suæ ». — Hinc qui sine ulla petitione libros vel ephemerides accepit, non tenetur solvere pretium, nec ea restituere : non ratione contractus, quia deest eius consensus ; non ratione damnificationis, quia nullum intulit damnum injustum ; non ratione injustæ acceptionis, quia res illas nemini injuste sustulit ; non ratione injustæ retentionis, quia dominus non est rationabiliter invitus ; ipse enim, non requisitus, nullum jus habebat mittendi alteri suam mercem, eoque minus imponendi conditiones, scilicet vel solvendi pretium, vel mercem remittendi.—Utique res clamat ad dominum ; sed qui, non requisitus, eam mittit, voluntarie se exponit periculo eam amittendi cum nullum jus habeat imponendi obligationem solutionis vel restitutionis ; et licet merx facile restitui posset sine damno accipientis, hic tamen nullam habet obligationem eam remittendi.—Utique nemo debet ditescere de re aliena ; sed quando dominus est rationabiliter invitus ; si vero sit irrationabiliter invitus, sibi imputet amissionem suæ mercis. — Qui vero acceptavit programma alicujus publicationis eique se subscripsit, tenetur ex justitia stare pactis associationis ; et si inter ea adsit etiam pactum, quod, expirante termino associationis sine præmonitione recessionis, intelligatur tacite renovata associatio, subscriptor tenetur ex justitia solvere pretium, etsi renovationem non petierit [3].

287. Radix restitutionis **proxima et specialis** consistit in diversis modis, quibus justitia commutativa læditur. Porro auctores [4]. communiter docent, quod alterius jus strictum duplici modo quis lædere potest, aut rem alterius detinendo, aut damnum alteri inferendo : hinc duplex datur proxima radix restitutionis, nempe RES ACCEPTA, et INJUSTA ACCEPTIO. — PRIOR radix proprie locum obtinet, quando aliquis rem alienam sine formali injustitia possidet, ex. gr. vestem quam bona fide a fure emit vel pro veste sua abstulit ; POSTERIOR autem habetur, quando

1. Viva, de Restit., q. 1, art. I ; Marc, I, n. 930.
2. II-II, q. 62, a. I.
3. Zaninetti, III, n. 1445 ; Mon. Ecc., V, IX, p. 1, 275, 276.
4. S. Thomas, II-II, q. 62, a. 6 ; Lugo, disp. 8, n. 25 ; Salmanticenses, n. 6 ; Billuart, Disp. 8, art. 3 ; Génicot, I, n. 511 ; Marc, I, n. 930 ; Marres, I, lib. II, n. 16.

aliquis injuste detinet rem quam novit esse alienam vel eadem alium voluntarie privavit, etiamsi nullum emolumentum inde perceperit, ex. gr. ubi alienam domum incendit, ideoque injusta acceptio accipitur pro quacumque formali damnificatione, etiam sine utilitate lædendis.——Discrimen magnum viget quaod quantitatem restituendam, prout obligatio ex priore aut ex posteriore radice oritur. Ubi detinetur res aliena sine injusta læsione, æqualitas restituitur dummodo res illa vel ejus æquivalens domino suo reddatur. Ubi vero injustum damnum illatum est, æqualitas restitutuenda exigit ut injuste læsus recuperet quidquid detrimenti ex illa injuria formali passus est, ideoque non sufficit reddere pretium rei ablatæ, sed insuper reparanda sunt omnia damna ex hac ablatione secuta et saltem in confuso prævisa. — Quandoque hi tituli separatim existunt, quandoque vero conjunguntur : hinc tenetur ex solo titulo rei acceptæ possessor bonæ, fidei i. e. qui rem alienam habet inculpabiliter in se aut in æquivalenti ; tenetur autem ex solo titulo injustæ acceptionis damnificator, i. e. qui alteri culpabiliter damnum intulit, quin inde ditior factus sit ; tenetur ex utroque titulo possessor malæ fidei, qui rem alienam abstulit eamque adhuc habet in individuo vel in æquivalenti [1].

Alii autem addunt duas alias restitutionis radices, scilicet contractum et legem. Sed hæc vel reduci possunt ad duas communiter assignatas, vel ex ipsis nascitur obligatio solutionis aut satisfactionis potius quam restitutionis stricte dictæ [2].

Tandem licet omnes radices restitutionis proprie reducantur ad duas, nempe rem acceptam et injustam acceptionem, ideoque etiam INJUSTA COOPERATIO ad damnum proximo illatum ad alterutram illarum revocetur, ad majorem tamen rerum claritatem de ea seorsin agetur. Proinde vestigia plurium gravium auctorum sectantes [3], loquemur 1° de injusta damnificatione ; 2° de possessione rei alienæ ; 3° de injusta cooperatione.

1. Haine, II, q. 117, 118.
2. Mechl., n. 25 ; Carrière, III, n. 1032.
3. Noldin, II, n. 425 ; Hilarius, II, p. 412 ; Delama, n. 312 ; Muller, II, lib. II, p. 429 ; Morino, I, n. 981.

I. De injusta damnificatione

288. DEFINITIO. — **Injusta damnificatio, active sumpta, est actio, qua quis alteri in bonis externis damnum infert, quin ipse emolumentum inde capiat.** — Unde damnificator injustus dicitur ille, qui jus alienum lædit, seu injusta actione proximo in bonis suis nocet, quin inde ditior evadat, ut v. gr. si quis alterius domum incendit. — Porro damnum proximo inferri potest duplici modo : vel ex eo quod res proximi (actione aut omissione actionis debitæ) destruitur, vel ex eo quod proximus a consecutione boni, quod ei debitum est, impeditur [1].

289. CONDITIONES. — Ut habeatur vera damnificatio injusta, tria requiruntur : A) **ut actio damnificans sit stricte injusta** ; B) **ut sit causa efficax damni** ; C) **ut sit culpabilis** : quia requiritur simul concurrere in actione damnificativa injustitiam materialem et formalem. Singula autem debent explicari.

290. A.) **Requiritur actio stricte injusta**, scilicet, quæ alterius jus strictum violat, quia ex sola alterius juris stricti læsione nascitur vera et proprie dicta injuria. Porro ut actio sit injusta, requiritur *a) ut agens non habuerit jus ponendi actionem alteri nocivam*, quia nemini facit injuriam qui utitur jure suo, uti fert regula juris : « Nemo damnum facit, nisi quia id facit, quod facere jus non habet » ; *b) ut damnum illatum spoliet alterum bono, in quo vel ad quod jus strictum habet*, ut patet ex definitione injuriæ [2].

Defectu autem prioris, non est injustus damnificator, qui venas aquarum per suum prædium currentes colligit, ex quo vicini puteus siccatur, quamvis caritatem lædat, si ex intentione nocendi ita egerit ; nec mercator, qui sine fraude pretio infimo vendit, etsi aliis mercatoribus noceat ; nec qui, ab inimicis fugiens, alienas segetes pedibus calcat ; nec qui suasionibus consiliisve alteri suadet ne testamentum condat in gratiam alicujus personæ ; nec qui in proprio prædio altam excavat foveam, in quam extraneus cadit [3].

1. Noldin, II, n. 420 ; Delama, n. 327.
2. Marres, I, lib. II, n. 50 ; Marc, I, n. 949.
3. Zaninetti, III, n. 1464 ; Tanqueray, II, n. 466

Defectu posterioris, non est damnificator injustus, qui solan religionem laesit, v. gr. si quis votum suum neglexit ; vel pietatem, v. gr. si quis parentes inopes non aluit ; vel tantum justitiam legalem, v. gr. testis, qui in jus vocatus non comparuit ; vel tantum justitiam distributivam, v. gr. si distribuendo eleemosynas legato pauperibus relictas, pauperiores neglexit ; vel solam caritatem, v. gr. si incendium domus alienæ impedire commode quis potuit et noluit [1]. — SI VERO AGATUR DE ILLO, QUI INCULPABILITER DAMNI CAUSAM POSUIT, ET POSTEA ILLUD NON IMPEDIVIT, LICET IMPEDIRE POTUISSET, quamvis non defuerunt theologi [2] qui negarent eum esse damnificatorem injustum, quia homo qui inadvertenter agit, comparandus videtur causis naturalibus, atque non ex justitia, sed ex caritate tenetur quisque impedire damnum alteri obventurum ex causa naturali, attamen juxta sententiam communem et longe probabiliorem (quæ in praxi tenenda est) ille habendus est ut damnificator injustus. Nam, sicut ex justitia prohibemur ne actione nostra alteri noceamus, ita etiam tenemur prohibere ne actio nostra alteri noceat quamdiu ejus efficacia in nostra potestate remanet. Attamen, quia causæ damnificantis positio minus voluntaria est, hæc obligatio non est tanta quanta oritur ex actione formaliter injusta, ideoque non urget cum incommodo relative gravi. Quare, si falsum crimen alicui ex inadvertentia vel errore quis ascripserit, non tenetur ad verba retractanda cum gravi propriæ existimationis detrimento. Hinc viator qui imprudentia non graviter culpabilili ignem silvæ apposuit, pharmacopola qui clienti ex errore venenum pro medicina præbuit, consiliaruis qui inculpabiliter consilium nocivum dedit, sunt damnificatores injusti, si negligunt, cum sine incommodo relative gravi id possint, damnosas harum actionum suarum sequelas impedire [3]. —— SI AUTEM AGATUR DE ILLO QUI IMPEDIT ALIUM A BONO QUODAM CONSEQUENDO QUOD NONDUM POSSIDET, puta munere, hæreditate, officio vel benificio, dicendus est damnificator injustus, SI PROXIMUS JUS STRICTUM HABET AD ILLUD CONSEQUENDUM, quia est causa

1. Marc, I, n. 949, Zaninetti, III, n. 1464.
2. Tamburini, lib. IX, c. III ; Piscetta, de Rest. n. 21 ; Zaninetti, III, 1465.
3. Lugo, disp. 8, n. 86 ; Gury, I, n. 662 ; Lehmkuhl, I, n. 968 ; D'Annibale, II, n. 233 ; Ballerini, III, n. 122 ; Carrière, III, n. 1146.

injusta, cur alter non obtineat, quod suum est vel quod sibi debetur. In hoc casu parum refert quænam media adhibeantur : nam injustitia tunc committitur ratione rei in qua vel ad quam jus strictum habetur. Hinc damnificatores injusti sunt et hæres qui, etiam meris precibus, tabellionem, qui ex officio mandantis negotia gerere debeat, inducat ad testamentum in favorem tertii non rite conscribendum, et examinatores qui, si limitatus numerus concurrentium in talem vel talem scholam admittitur, tanquam dignum injuste recensent eum qui revera dignus non est, et iniquus officiorum vel beneficiorum distributor, qui, ubi proponitur concursus et sub conditione onerosa promittitur electum iri digniorem, minus digno illud confert. — SI VERO PROXIMUS AD TALE BONUM NON HABEAT JUS STRICTUM, distinguendum est. *a*) HABETUR DAMNIFICATIO INJUSTA, SI IMPEDIENS USUS EST MEDIIS INJUSTIS, v. gr. vi, fraude, calumnia, metu, mendaciis, detractione, etc. : quia licet ille impeditus nullum habuerit jus ad ipsum bonum, habuit tamen jus illud quærendi, et ne ab alio per vim vel dolum vel alio modo injuste impediatur a bono sperato. Hinc injustus damnificator est mercator, qui quæstuosum alterius negotium impediret litteras illius intercipiendo aut retinendo, vel ab itinere cursorem avertendo, vel proxenetam, qui ex contractu alius negotium gerere debet, etiam precibus ad illud non gerendum inducendo. Censent autem Salmanticenses quod æquiparentur vi preces importunissimæ, aut metus reverentialis, maxime si ei addantur verba aspera vel torvus aspectus vel preces. Excipiendus est tamen is qui alterum, etiam metu vel fraudibus, impedit a consequendo bono quod dari vel accipi per se sine peccato nequit : v. gr. uxor quæ maritum fraudibus a prodiga donatione avertit. —— *b*) NON HABETUR DAMNIFICATIO INJUSTA, SI IMPEDIENS USUS EST MEDIIS IN SE JUSTIS, v. gr. suasione, precibus, etc. : quia nullum jus alterius tunc violatur, nec in se, nec in mediis. Hinc non est damnificator injustus mercator, qui sine vi, fraude, detractione aut mendacio invitat emptores ad suam officinam, nec ille qui moribundum jam resolutum ad condendum testamentum et instituendum hæredem, sine vi vel fraude adducit ut se potius hæredem instituat. Quin imo, si impediens agat bono zelo, caret omni culpa ; si vero agat ex odio, vindicta, aut expressa voluntate nocendi, est quidem peccatum contra caritatem vel etiam

peccatum injustitiæ internæ, non tamen externæ, eo quod actio externa non sit læsiva juris alterius [1].

Attamen notandum est quod dominus, qui re sua abutitur ad peccandum, propterea non amittit jus in rem suam ; quare injuriam facit, qui eam aufert vel destruit ; et qui rem alienam detinet, stricte loquendo eam domino reddere tenetur, etsi dominus sit ea abusurus [2].

291. B.) **Actio debet esse efficax damni causa**, scilicet requiritur 1) *ut effectus revera secutus fuerit ;* damnum enim mere volitum, sicut et illud, cujus quis causam quidem posuit, sed quod alius impedivit, v. gr., incendium ab uno factum, sed ab alio exstinctum, nullam realem injuriam importat; 2) *ut damnum ex actione tanquam ex sua propria causa sive physica sive morali strictiori sensu accepta sequatur*, scilicet actio sive ex natura sua, sive ex circumstantiis strictam debet habere cum damno connexionem, ita ut dam[illegible] verus sit effectus illius actionis ; damnum enim actioni [illegible] nequit, nisi actionis activitas damni existentiam per s[illegible]et. Ideo actio debet esse causa per se effectus damnos[illegible] autem per se effectus ea dicitur, quæ natura sua ad illum producendum nata est : sic horreo ignem apponere est causa per se conflagrationis horrei [3].

Hinc nulla habetur vera damnificatio injusta, *a*) si voluntas nocendi mere interna fuit, vel prodiit quidem in actum externum, sed qui effectum nullatenus obtinere potuerit, ex. gr. si ille qui documentum gravis momenti destruere intendebat, chartam nullius valoris laceravit ; *b*) si nullum damnum ex injuria secutum est, ex. gr. si committitur adulterium e quo nulla proles nascatur ; *c*) si damnum inferatur scienti et consentienti, cum nemo a seipso injuriam recipiat, v. gr. si quis adversarium in duello graviter laesit ; *d*) si damnum sequitur ex actione tanquam ex causa occasionali, seu ex conditione sine qua non, seu ex causa per accidens. Tales enim causæ non sunt ex natura sua aptæ ad effectum producendum [4].

Re quidem vera, *occasio* non est vera causa, sed id, ad cujus præsentiam vera causa agit. Hinc si furtum a Petro commissum

1. Génicot, I, n. 514 ; Lehmkuhl, I, n. 973 ; Marres, I, lib. II, n. 51 ; Haine, II, q. 134 ; Zaninetti, III, n. 1467 ; Cozzi, II, p. 342.
2. Noldin, II, n. 427.
3. Marc, I, n. 949 ; Delama, n. 328 ; Noldin, II, n. 429.
4 Génicot, I, n. 516 ; S. Alphonsus, III, n. 638 ; Zaninetti, III, n. 1464.

ex errore ob alia furta antea a Paulo patrata huic imputatur, qui propterea ut furti reus punitur, furtum Petri est occasio damni, quod patitur Paulus ; ejus causa est sententia judicis ex errore ipsius orta.— Nec Petrus dicendus est damnificator injustus, etsi damnum hoc præviderit ; quia actio Petri, posita etiam damni prævisione, non illius causa, sed tantum occasio est ; non enim in illud ex natura sua efficaciter influxit.— Sed, si Petrus ex industria aut illis mediis utitur aut circumstantias illas elegit, quæ moraliter proxime influent in suspicionem et condemnationem Pauli, v. gr. **si vestibus aut armis Pauli usus est, injuriæ reus est et damnificator injustus : quia, si ad omnes hujus actionis circumstantias respicitur, ipse erroris juridici et innocentis damnationis est causa moralis. Hanc agendi rationem plerumque servant qui intendunt, ut suum scelus alteri imputetur, ita ut etiam plerumque hujus injuriæ rei habendi sunt** [1]. **— Quodsi vero** hujusmodi sceleratus pœnam quidem innocentis intenderit, sed ad hunc finem neque media adhibuerit neque ullatenus ejusmodi circumstantias elegerit, certo graviter contra caritatem peccavit, imo contra justitiam affectu interno, cupiendo videlicet ut judices innocentem condemnent ; sed utrum justitiam externe violaverit, ita ut sit damnificator injustus, non consentiunt theologi : quidam [2] opinantur eum externe peccare contra justitiam, quia intentio supplet connexionem et efficit quod effectus sit voluntarius operanti, qui, quamvis judices sint causa principalis injustæ condemnationis, haberi potest ut cooperator, quatenus injuste actionem posuit ex qua damnum alterius secuturum est ; alii [3] vero probabilius docent eum non esse damnificatorem injustum, quia non fuit causa, sed occasio tantum damni : causa enim damni est error vel mala voluntas eorum, qui innocenti actionem damnificantem adscribunt, et huic errori ipse sua actione occasionem præbuit ; nec obstat quod perversam illam intentionem habuerit, quia internus hic actus nullum influxum in damnum alienum habuit.

Qui autem pravo suo exemplo alios ad damnum inferendum induxit et prævidit pravi exempli efficaciam, licet nonnulli

1. Noldin, II, 429 ; Bucceroni, I, n. 1364 ; Delama, n. 330 ; Marres, I, lib. II, n. 53 ; Berardi, Prax. Conf. n. 421.
2. Lugo, Disp. 86, n. 75 ; Vasquez, de Rest., cap. II, dub. IV, n. 31 ; Tanqueray, II, n. 470.
3. Lessius, lib. II, cap. IX, n. 113 ; Lacroix, lib. III, p. II, n. 156 ; S. Alphonsus, IV, n. 636 ; Marres, I, lib. II, n. 54.

contrariam sententiam teneant, tamen juxta sententiam communem et probabiliorem non est damnificator injustus. Fautores prioris sententiæ [1] opinantur pravum exemplum in eo qui damnum alterius exinde sequendum prævidet, efficax hujus damni causam reputandum esse ; quia, positis hominibus uti sunt, in pravum eorum nocendi animum revera influit, cum experientia compertum sit homines magis moveri exemplis quam consiliis, juxta axioma : Verba movent, exempla trahunt. Posterior autem sententia probatur ex eo quod pravum exemplum non est proprie dicta causa, positive influens in damnum, quia per se non tendit ad hoc ut alios ad idem faciendum impellat ; sed est mera occasio, ad cujus præsentiam alii, sponte sua, inferendi damni cogitationem ac consilium capiunt [1]. — Secus tamen dicendum, si exemplum indueret naturam consilii vel mandati, v. gr. si dux militum inciperet prædari [2].

292. *Conditio sine qua non* est id sine quo causa vera agere nequit ; v. gr. si quis gladium ei reddit, qui gladio abutitur ad homicidium patrandum. Hæc gladii traditio est conditio, sine qua homicidium non fuisset patratum, non autem vera illius causa, quæ nihil aliud est nisi homicidæ malitia. Secus autem dicendum esset, si gladius traditus fuisset praecise eo fine ut homicidium committatur ; tunc enim tradens gladium, qua cooperator, esset causa partialis homicidii [3].

293. *Causa per accidens* ea dicitur, quæ natura sua ad effectum producendum ordinata non est, sed effectum solum concurrentibus externis adjunctis producit : sic ignem in loco remoto accendere, quem ventus ex improviso exortus in horreum conjicit, est causa per accidens conflagrationis horrei. Causa igitur per accidens aliquid ad effectum producendum confert, e contra occasio et conditio necessaria nihil conferunt ; sed ejus nexus cum effectu nec certus nec probabilis, sed solum possibilis est, et proinde effectus ab agente non prævidetur. Illc autem qui ponit causam per accidens alicujus damni, non dicitur damnificator injustus, quia ejus actio non habet connexionem necessariam

1. Molina, Disp. 734, n. 2 ; Sanchez, in Decal., lib. cap. I, VI, n. 15 ; Laymann, lib. II, tr. III, cap. XIII, n. 6 ; Salmanticenses, De Rest., c. I, n. 14 ; St Alphonsus, III, n. 45, IV, a. 537 ; Gury, I, n. 667 ; Marres, I, lib. II, n. 56.
2. S. Alphonsus, III, n. 537 ; Marc, I, n. 949 ; Morino, I, n. 1000 ; Zaninetti, III, n. 1465.
3. Tanqueray, II, n. 471 ; Noldin, II, n. 429.

cum effectu malo, qui alteri causæ imputari debet : ex gr. si fur parvam pecuniæ summam abstulit avaro, qui vehementi dolore correptus gravi afficitur morbo, ille non est damnificator injustus, quia damnum non ex furto sed ex pravo avari affectu ortum est. — Porro damnum sequi censetur per accidens, quando ut plurimum a causa posita non oritur [1]. —— Quodsi actio externa, quæ damnum causat, non habeat probabilem connexionem cum damno secuto, sed ponatur cum directa intentione ut illud sequatur, (v. gr. si quis ponit laqueum in loco, in quo rarissime transit inimicus, sed ea intentione, ut occidatur, si forte transeat), non concordant auctores utrum sit damnificator injustus vel non. Alii [2] enim affirmant, quia damnum tunc est sane contra justitiam, et non excusatur, nisi quatenus involuntarium. Porro intentio illud reddit voluntarium. Etenim ideo, seclusa intentione, non est voluntarium, quia ponens causam non censetur velle efficaciter effectum, cum effectus probabiliter non connectatur cum causa ; sed intentio illam connexionem supplet, et facit ut operans vere illius causa sit : ad rationem enim causæ multum conducit intentio operantis. Advertunt tamen in hoc casu ad rationem injuriæ non sufficere prævisionem possibilitatis damni, sed requiri intentionem illud procurandi. —— Alii [3] communius negant, quia actio damnificans in hac suppositione est causa per accidens, quum contineat solum possibilitatem damni, et damnum ex ipsa, ut plurimum, non sequatur ; jamvero prava intentio naturam actionis non mutat. Hinc non externe, sed interne tantum peccatur contra caritatem vel etiam contra justitiam, ex. gr. desiderando alii in bonis vel fama nocere. —— Pratice igitur non constat damnificatorem injustum esse eum, vel qui modicam summam avaro eripit, intendens ut propter illam jacturam in gravem morbum incidat, vel qui ponit venenum in angulo cubiculi aliove loco per quem rarissime transit ipsius inimicus, cupiens ut, si transeat venenumque sumat, moriatur [4].

1. Noldin, II, n. 429 ; Tanqueray, II, n. 472 ; Marres, I, lib. II, n. 55 . Marc, I, n. 949 ; Timothæus, II, n. 360.
2. Lugo, disp. VIII, n. 73 ; Ballerini, III, n. 115 ; Tanqueray, II, n. 472 ; Noldin, II, n. 430.
3. Lessius, lib. II, c. IX, n. 113 ; S. Alphonsus, III, n. 636 ; D'Annibale, II, n. 191 ; Lehmkuhl, I, n. 1167 ; Marres, I, lib. II, n. 54 ; Haine, II, q. 127 , Delama, n. 330 ; Bucceroni, I, n. 1365.
4. Génicot, I, n. 517.

294. C) Actio debet esse culpabilis, quia aliter actio non est perfecte humana, saltem ut injusta non est perfecte humana ; sed de solis actionibus vere et perfecte humanis earumque sequelis homo respondere debet : in aliis autem actionibus potius causis naturalibus quam liberis æquiparatur, ita ut damnum, quod fortasse oritur, potius rationem infortunii pro domino habeat quam rationem veræ damnificationis [1].

Porro duplex distinguitur culpa : *altera theologica, altera juridica.* Etenim triplici modo damnum alicui inferri potest : 1° *voluntarie,* i. e. cum cognitione et advertentia sufficienti ut actio ad peccatum imputetur, et tunc adest culpa theologica ; 2° *involuntarie,* propter ignorantiam aut inadvertentiam, qua actus fit quidem coram Deo inculpatus, sed tamen ita imprudentiæ aut negligentiæ tribuendus est, ut prudenti consilio ac diligenti cura caveri potuisset, nec a viris prudentioribus et vigilantioribus positus fuisset, et tunc habetur culpa juridica ; 3° tandem *ita involuntarie ut nullo modo prævideri aut præcaveri potuerit, per ullam prudentiam aut diligentiam humanam,* et tunc datur casus fortuitus. — Unde *culpa theologica* ea est, quæ verum continet peccatum, quando nempe quis cum cognitione et advertentia sufficienti ad peccatum, damnum alteri infert ; et hæc culpa potest esse mortalis aut venialis. — *Culpa juridica* est omissio diligentiæ quam jura et leges requirunt, et ex cujus omissione damnum alteri infertur ; et hæc sinc culpa theologica esse potest. Culpa proinde mere juridica habetur, quando quis in jure legem civilem violasse reputetur, quamvis Deum peccato formali non offenderit. Triplex vero distinguitur culpa juridica, scilicet lata, levis et levissima — Culpa lata est omissio illius diligentiæ, quam omnes communiter adhibere solent in iis rerum adjunctis ; v. gr. si quis librum sibi commodatum foris ante ostium relinqueret, et sic a fure auferretur. Hanc autem culpam ordinarie comitatur culpa theologica, tum quia ordinaria diligentia in officio adimplendo adhiberi debet, tum quia advertentia ad secuturum damnum vix deese potest. — Culpa levis est omissio illius diligentiæ, quam solum accuratiores ejusdem conditionis adhibent ; v. gr. si quis librum relinqueret in cubiculo, ostio tamen aperto. — Culpa levissima est omissio illius

1. Lehmkuhl, I, n. 1140.

diligentiæ, quam solum accuratissimi ejusdem conditionis adhibent ; v. gr. si quis relinqueret librum in cubiculo, cujus ostium clausit, sed non tentavit, an esset bene obseratum. — Hæc distinctio culparum omittitur in jure canadensi, sed supponitur in juribus anglico et americano. —— *Casus fortuitus* est eventus, qui prævideri non potuit, vel cui præviso non potuit occurri [1].

295. DIVISIO. — Damnificatio alia est **formaliter injusta**, alia **materialiter**, prout culpabiliter in foro conscientiæ aut inculpabiliter damnum illatum fuerit, vel prout damnum processerit e culpa theologica, aut sive e culpa juridica sive e casu fortuito [2].

296. OBLIGATIO. — I. — **Injustus damnificator tenetur 1° restituere pretium æquivalens rei damnificatæ**, e. gr. si quis domum alterius culpabiliter incendat, integrum ejus pretium domino refundere tenetur; 2° **compensare damna alia, si quæ inde provenerunt**, e. gr. domino ob domum incendio destructam. Ratio est, quia justitia commutativa postulat, ut dominus læsus omnino indemnis servetur. Hoc autem non fit, nisi præstentur modo enumerata [3].

297. II. — **Ex damnificatione autem materialiter injusta quæ cum culpa mere juridica illata est, et secluso contractu, in conscientia obligatio restitutionis tantum post sententiam judicis datur.**

Probatur. — *a*) Leges, quæ ex culpa mere juridica obligationem restitutionis injungunt, sunt justæ et legitima auctoritate latæ : conduntur enim in bonum commune, ut nempe cives cautiores et diligentiores reddantur et hac ratione damna præcaveantur ; leges autem justæ obligant in conscientia. Sed leges istæ pœnales sunt, eo quod puniunt omissionem diligentiæ præscriptæ ; leges vero pœnales non obligant ante sententiam judicis, quia nemo obligatur ad pœnam sibimetipsi imponendam [4].

b) Cæteroquin, obligatio in conscientia ante judicis sententiam non est necessaria ad securitatem dominii : nam semper

1. Carrière, III, n. 1132 ; Morino, I, n. 1001 ; Marres, I, lib. II, n. 57 ; Zaninetti, III, n. 1146 ; Bellerini, III, n. 113 ; Ojetti, I, n. 1652, 872 ; Slater, I, p. 409.
2. Timothæus, II, n. 356.
3. Delama, n. 327 ; Müller, II, p. 440.
4. Noldin, II, n. 432.

remanet obligatio moralis communem diligentiam adhibendi et hoc sufficit ad providendum huic securitati. Imo talis obligatio nociva esset ; nam pluribus anxietatibus locum daret, et ita non pauci ab agendo abstinerent, ne forte damna inadvertenter illata reparandi obligationem incurrerent [1].

Igitur ex culpa mere juridica non exstat obligatio restitutionis ante sententiam judicis. Attamen, uti communiter docent, post judicis sententiam datur in conscientia obligatio restituendi ex culpa mere juridica, dummodo sententia non initatur in falsa facti particularis præsumptione, ideoque nemini licet occulta compensatione resumere quod, propter damnum juridica culpa illatum, solvere a judice jussus est. —— Quandoque etiam caritas obligabit ad compensandum damnum e juridica culpa ortum, antequam sententia a judice lata sit, nempe si evidens est reparationem e lege civili deberi, atque læsus sine gravi incommodo, ad judicem recurrere nequit : ut potest fieri in casu operarii qui e culpa mere juridica heri vulneratus fuerit et ex lege civili jus ad damni compensationem habeat [2].

Dicitur tamen : 1) **ex damnificatione materialiter injusta,** quæ cum culpa mere juridica illata fuerit ; quia obligatio restitutionis non adest, si damnum infertur absque ulla culpa, nempe per casum fortuitum: talis enim damnificatio non est culpabilis.

2) **Secluso contractu** ; nam si intercesserit pactum de reparando damno, quod quomodocumque evenerit sive ex casu fortuito sive ex culpa mere juridica, huic standum est, etiam in conscientia et ante sententiam judicis, quum pactum hujusmodi sit legitimum ; v. gr. si ancilla promiserit se soluturam esse damna ex casu fortuito. Verum in praxi hæc stipulatio præsumi non potest, sed certa probatione indiget [3].

298. In contractibus vero vel quasi-contractibus, utrum ad onus restitutioninis ante sententiam judicis sufficiat sola culpa juridica, non concordant Auctores. Alii [4] enim affirmant: si autem contractus vel quasi-contractus est in commodum

1. Tanqueray, II, n. 475.
2. Delama, n. 328 ; Génicot, I, n. 518.
3. Noldin, II, n. 432 ; Tanqueray, II, n. 475 ; Génicot, I, n. 520 ; Cornelisse, II, n. 384.
4. Molina, Disp. 215, n. 1 ; Lessius, lib. II, cap. VII, n. 46 ; Lacroix, lib. III, pars II, n. 177 ; Billuart, Disp. VIII, art. VI.

solius accipientis, ut in commodato, commodatarium teneri docent ex culpa levissima ; si in commodum solius dantis, ut in deposito, depositarium teneri tantum ob culpam latam ; si in commodum utriusque partis, damnificantem teneri etiam ob culpam levem. Etenim contrahentes implicite sese obligant ad præstandam eam diligentiam, quam æquitas naturalis requirit ; porro æquitas naturalis videtur exigere summam, vel ordinarium, vel magnam diligentiam, prout contractus aut quasi-contractus est in commodum vel ipsius accipientis vel ipsius dantis vel utriusque partis ; quare contrahentes, si hanc diligentiam non præstant, tenentur ad restitutionem ante sententiam judicis. —— Alii [1] probabilius negant, quia præsumi non potest aut non constat aliquem contractu vel quasi-contractu se obligare velle in conscientia ad satisfaciendum pro damno dato cum sola culpa juridica. Accedit quod, si sola culpa juridica sufficeret, hæc obligatio esset nociva bono publico : inde enim fieret ut viri probi et timorati a suscipiendis aliorum negotiis, necnon ab officiis publicis arcerentur. Quare nemo obligat medicos, advocatos, confessarios, theologos ad restitutionem ex sola culpa juridica. — Unde in praxi non est imponenda restitutio ante sententiam judicis [2]. Attamen si quis se tanquam cæteris peritiorem aut diligentiorem ad rem gerendam præsentaverit et eo titulo majori stipendio gaudeat, is profecto ad damnum reparandum teneri posset ex culpa juridica levi, quia se implicite obligavit ad plus præstandum quam alii ; adeoque negligentia, alioquin levis, in eo gravis culpa censetur [3]. — Insuper cum munera hujusmodi magnam diligentiam natura sua expostulent, negligentia, quæ materialiter valde levis videatur, facilis potest fieri gravis, ideoque, nisi oblivione aut inadvertentia excusatur, culpam gravem theologicam constituet et ad restituendum obligabit [4].

299. III. Ex sola damnificatione formaliter injusta seu theologice culpabili exurgit obligatio restitutionis. Probatur.—Etenim nemo obligatur in conscientia ad reparandum

1. Lugo, De rest. cap. I, n. 52 ; Salmanticenses, de jure et justitia, p. III, Disp. 1, n. 35 ; Sporer, tract. IV, cap. II. n. 234 ; S. Alphonsus, IV, n. 554 ; Lehmkuhl, I, n. 1151 ; Waffelaert, I, n. 450 ; Génicot, I, n. 520 ; Marres, II, lib. III, n. 203.
2. Haine, II, q. 136.
3. Mechlinenses, n. 27 ; S. Alphonsus, III, n. 555 ; Ballerini, III, p. 291.
4. Génicot, I, n. 520.

damnum, nisi illatum fuerit in conscientia. Jamvero in damnificatione formaliter injusta damnum est in conscientia. Ergo.

Major probatur : sanc nemini imputari possunt actiones earumque effectus, nisi eæ sint ipsi voluntariæ ; atqui actio, quæ theologice non est culpabalis, non est voluntaria nec imputabilis. Igitur [1].

Hinc pueri, qui scienter et voluntarie quidem furantur, sed sine advertentia ad malitiam theologicam suæ actionis, quam solum pœnæ obnoxiam apprehendunt, ad restitutionem non obligantur ; qui ex mera inadvertantia non extinxit candelam, unde ortum est incendium, non tenetur reparare damnum ; medicus, qui ex errore inculpabili ægroto præbet remedium nocivum, nullam obligationem restituendi contrahit : nam in omnibus hisce casibus culpa theologica non intercedit [2].

Non requiritur tamen ut qui actionem culpabilem ponit, directe velit aut intendat damnum alteri inferre, sed sufficit ut hoc indirecte velit ponendo causam ex qua saltem in confuso prævidet damnum secuturum : ita si quis, per experientiam sciens se in ebrietate solere inferre damna, equidem se inebriet quin adhibeat cautelas ad ea vitanda, tenetur ea reparare, quia volendo ebrietatem communiter connexam cum damnis voluit etiam damna inferre [3].

Qui vero intulit damnum per accidens, etsi dederit operam rei illicitæ, non tenetur ad restitutionem, quia damnum illud non est voluntarium, cum ne in confuso quidem prævisum fuerit. Nec refert quod actio fuerit illicita : hoc enim ad justitiæ rationem nihil pertinet. Sic clericus, qui, venationi contra Ecclesiæ prohibitionem vacando, hominem pro fera occidit, non magis injustitiæ reus est, quam laicus qui hoc fecisset. Imo damnum per accidens illatum neque tunc reparari necessario debet, etiamsi occasione actionis injustæ evenerit, quia connexionem cum illa actione non habet. Hinc ad restitutionem non tenetur, qui occidit Titium, quem minime videbat nec praesentem sciebat, dum sclopetum in Caium dirigeret [4].

1. Noldin, II, n. 432 ; Delama, n. 328 ; Marres, I, lib. II, n. 59 ; Mechlinenses, n. 26.
2. Noldin, II, n. 432.
3. Mechlinensis, n. 26 ; Marres, I, lib. II, n. 64 ; Tanqueray, II, n. 489.
4. Bucceroni, I, n. 1362 ; Delama, n. 331 ; S. Alphonsus, H. A., tr. 10, n. 59 ; Lugo, Disp. VIII, n. 72,82 ; Zaninetti, III, n. 1466 ; D'Annibale, II, n. 233.

Qui autem culpabiliter causam efficacem damni posuit, et postea damnum impedire frustra conatus est, tenetur ad restitutionem, saltem si damnum fuerit determinatum, et in specie præcognitum (quod plerumque verificatur si posita fuerit causa physica damni), quia retractatio non impedit quominus actio culpabiliter posita efficaciter in damnum influere pergat : hinc *a*) qui culpabiliter subjecit ignem domui alienæ, et facti pœnitens flammas extinguere conatus est, quin tamen valuerit, damna præcognita reparare debet ; *b*) qui voluntarie alteri venenum propinavit, etsi postea ejus effectum impedire non possit, damna inde provenientia reparare tenetur [1]. —— Dicitur : saltem si damnum fuerit determinatum et in specie præcognitum ; secus enim non concurreret injuria formalis cum injuria materiali : nam quando damnum reipsa infertur, non adest injuria formalis, cum causa fuerit per voluntatem retractata ; quando autem causa posita fuit, non aderat injuria materialis. Hinc non tenetur de damno confessarius indebitam restitutionem imperans ex ignorantia quidem antecedenter vincibili, sed actualiter invincibili, utpote quam expellere nititur [2].

300. Proinde qui grave damnum intulit cum culpa gravi, totum damnum sub gravi reparare tenetur. Sed difficultas habetur, SI DAMNUM INFERATUR CUM LEVI CULPA THEOLOGICA, VEL CUM ERRORE, VEL SI DUBIUM EXISTAT CIRCA DAMNIFICATIONEM.

CIRCA PRIMUM hæc notanda sunt : 1° Si levitas culpæ oriatur *ex levitate materiæ*, certum est restitutionem sub levi faciendam esse. —— 2° Si levitas oritur *ex imperfectione advertentiæ vel consensus*, ut si ex semiplena advertentia, deliberatione, aut ex motu iræ secundo-primo grave damnum illatum est, licet ex jure naturali alii [3] doceant ejusmodi damnificatorem sub gravi teneri damnum reparare, quia, supposita culpa theologica, quantitas obligationis restituendi a quantitate materiæ dependet, et alii [4] teneant illum reparare tantum debere partem damni pro rata culpa, quam admisit, ideoque levem damni partem sub levi, quia

1. Marres, I, lib. II, n. 69 ; Delama, n. 331 ; Marc, I, n. 950 ; Haine, II, q. 129.
2. Haine, II, q. 129 ; Carrière, III, n. 1147.
3. Vasquez, de rest., cap. II, Dub. II, n. 2.
4. Molina, Disp. 698, n. 1 ; Lacroix, lib. III, part. II, n. 191 ; Laymann, lib. III, part. I, c. VI, sect. 5, n. 4 ; Billuart, disp. VIII, art. V ; Carrière, III, n. 1156.

obligatio reparandi damnum non potest esse major culpa, quacum damnum illatum est, attamen communius et probalius alii [1] docent non induci restitutionis obligationem, nec sub gravi nec sub levi ; non sub gravi, quia talis obligatio non habet proportionem cum culpa levi ; non sub levi, quia levis obligatio non habet proportionem cum materia gravi. Eo vel magis, quia culpa venialis ex semiplena advertentia vel deliberatione non est perfecta injuria, et ideo non potest parere restituendi obligationem, quæ ex natura sua vel est perfecta, vel nulla ; sicuti in contractu vel in voto, ubi non adfuit nisi consensus semiplenus, nulla oritur obligatio etiam præstandi partem : scilicet quod sequitur ex actione non perfecte humana potius casui fortuito, quam homini agenti adscribendum est. — Unde sequitur nullam contrahere obligationem restituendi eum qui, subita ira percitus, actione tantum venialiter mala hominem occidit, vel quodvis damnum homini intulit ; item famulos vel ancillas, quæ veniali negligentia reliquerunt foras domus domini apertas, unde fures damnum intulerunt; item custodas vinearum, segetum, nemorum, vectigalium, qui veniali solum negligentia sinant damnum inferri. — Quodsi negligentiæ levi accedit pravus animus alteri graviter nocendi, ex. gr. si medicus adhibet quidem diligentiam, ad quam sub gravi obligatur, sed tamen negligentiam levem admittit eo animo, ut infirmi mors sequatur, quamvis hic medicus perverso suo animo mortaliter peccet, probabilius tamen videtur exinde non nasci obligationem restituendi, quia causa levis non majorem efficaciam ex mere interno affectu obtinuit [2]. —— Monent tamen doctores, nisi certe constet, raro præsumendam esse ejusmodi culpam venialem ex imperfectione actus in gravi damnificatione, quia, licet semiplena deliberatio frequens sit in subreptitiis cogitationibus et internis animi motibus, opera tamen externa statim periculum suum ingerunt, et excitant mentem ad deliberandum ; ideoque confessarios ordinarie debere inducere pœnitentem a liquam compensationem vel amicam compensationem cum parte læsa, quod commode fieri poterit : quod omnino consultissimum est [3]. —— Insuper si

1. Lessius, lib. II, cap. VII, n. 27 ; Sanchez, Decal., lib. II, cap. 25, n. 160. Lugo, Disp. VIII, n. 57 ; Sporer, tract. IV, cap. II, n. 50, 51 ; S. Alphonsus, lib. IV, n. 552, Gousset, I, 544 ; Marc, I, n. 950 ; Génicot, I, n. 519 ; Marres, I, lib. II, n. 65.

2. Marres, I, lib. II, n. 65 ; Sporer, tract. IV, cap. II, n. 51.

3. Sporer, tract. IV, cap. II, n. 51 ; Lessius, l. II, c. 7, n. 29 ; Carrière, III, n. 1157.

ob culpam juridicam condemnetur damnificans, post sententiam judicis aderit obligatio reparandi damnum [1]. — Unde in praxi hujusmodi damnificator ad restitutionem non est cogendus, ante sententiam judicis, sed solum hortandus ad damnum compensandum, rem componendo cum persona læsa [2]. —— 3° Si culpa sit *venialis, quamvis plene deliberata*, quia damnum grave illatum fuit per plures veniales culpas, quin intenderit damnificator grave damnum inferre, distinguendum est : *a*) si parva damna eidem personæ illatæ fuerint, subdistinguendum est : si inter ea damna sat notabile intervallum intercesserit, damnificator restituere tenetur tantum sub levi, etsi ea damna simul sumpta materiam gravem constituant, quia moraliter non conlescunt ; si vero inter breve intervallum ea damna intulerit, licet alii [3] opinentur eum ad restitutionem obligari sub levi tantam, quia fieri nequivit ut aliquis sine peccato gravi pervenerit ad damnum grave, nisi inculpabilis error aut ignorantia circa valorem totalis damni intercesserit, et si hoc factum est, de excessu valoris non tenetur, attamen communissime alii [4] tenent exsurgere gravem obligationem reparandi damnum, quia hæc damna parva moraliter coalescunt in unum damnum grave : etenim post singulas damnificationes leves astringitur damnificator obligatione reparandi damnum perfecte voluntarium. Retinendo autem injuste singulas hasce materias leves eidem domino debitas, scienter complet retentionem injustam materiæ gravis, cum dominus jure meritoque præsumatur graviter invitus esse, ut damnum grave sibi non reperetur. Sufficit autem ad vitandum mortale, ut ea damni pars reparetur, qua materia gravis compleatur, ut notat S. Alphonsus [5]. — *b*) Si vero levia damna diversis personis illata sint, quamvis quidam [6]) teneat damnificatorem teneri sub gravi ad restituendam materiam gravem, ex eo quod adsit formalis violatio juris alieni in materia gravi, probabiluis tamen obligatio restituendi levis est tantum : nam, quum nemo graviter læsus fuerit, nemo sub gravi

1. Marres, I, lib. II, n. 65.
2. Tanqueray, II, n. 478.
3. Renter, III, n. 326 ; Wirceburgensis, de just., n. 585 ; Lehmkuhl, I, n. 1155.
4. Lugo, disp. VIII, n. 68, 69 ; Sanchez, Decal. lib. I, cap. IV, n. 10 ; Vogler, n. 124, 133 ; Carrière, III, n. 1159 ; Pruner, II, p. 713 ; Génicot, I, n. 519 ; Marres, I, lib. II, n. 66 ; Zaninetti, III, n. 1466 ; Gury, I, 666.
5. Lib. IV, n. 553.
6. Bellerini, III, n. 116.

damnificatorem cogere potest ad reparationem ; aliunde, bonum commune non ita urget ut pro re levi pluribus surrepta, tum quia ex hoc damno non habetur retentio rei alienæ, tum quia multo magis furtum invitat quam damnificatio quæ nullum lucrum affert[1].

Circa damnum cum errore illatum, notandum est errorem versari posse circa gravitatem damni, vel circa personam damnificatam. — 1° *Qui errore invincibile existimat multo minus esse damnum quod infert quam revera* [illegible]. v. gr. si quis projiciat in mare gemmam alterius valentem 100, dum credit eam 10 valere tantum, licet plures[2] teneant eum teneri ad totum damnum reparandum, quia est graviter culpabilis et illud totum damnum absolute et efficaciter inferre velle merito censeatur, rem omnino destruendo, probabilius tamen tenetur tantum ad compensandam partem damni quam apprehendit. Ratio est, quia non censetur volitum damnum illud quod non est cognitum ; ideo quoad illum excessum deest voluntas damnificandi. Restitutio enim ex re injuste accepta materiali sola injuria nititur ; sed restitutio ex injusta damnificatione injuria nititur formali. Porro injuria formalis ex animo lædentis æstimatur, ideoque, si forte excessus non prævisus sit in illato damno, non imputatur. Si igitur culpa sit tantum pro decem, obligatio restitutionis nequit esse pro centum. — Excipe tamen (quod sæpe contingit), si damnificator valorem hunc majorem saltem in confuso apprehenderit et nihilominus rem hanc in concreto destruxerit : totum enim damnum evadit voluntarium. — E contra, si quis falso æstimat rem pluris valere quam revera valet, tenetur tantum verum valorem rei restituere, quia revera damnum tunc non est quoad excessum, nisi opinione ; danmum fit non opinione, sed actione[3]. —— 2° *Si error versatur circa personam*, puta si quis volens destruere domum Petri, destruit domum Pauli, gravis difficultas habetur. Prænotandum est tamen : *a*) certe restituendum esse, ubi cura sufficiens adhibita non est ad errorem vitandum : quia sic damnificator saltem confuse advertit se alii cuicumque damnum inferre posse, et nihilominus absolute rem destruxit ; *b*) certe restituendum esse, si damnificator sic animo actualiter, saltem implicite, comparatus fuerit,

1. TanquerAy, II, n. 479 ; Mechlinensis, n. 28 ; Génicot, I, n. 519.
2. Lugo, disp. VIII, n. 63.
3. Lacroix, Lib. IV, part. II, n. 194 ; Elbel, n. 90 ; Vogler, n. 187, 189 ; S. Alphonsus, Lib. IV, n. 613 ; Carrière, III, n. 1151, 1152 ; Gury, I, n. 666 ; Bucceroni, I, n. 1366 ; Génicot, I, n. 522 ; Zaninetti, III, n. 1466.

quod, etiamsi scivisset domum esse Pauli, adhuc destruxisset : quia tunc censetur damnum intulisse Paulo, non ut Paulo, sed ut domino domus, et ideo tunc illud damnum resarcire debet ; *c*) certe restituendum esse quando ratio mali inferendi non desumitur e persona, sed aliunde, ita ut error fuerit mere concomitans, ex. gr. si quis sacerdotem ex odio religionis occidere volens, ferit Paulum sacerdotem quem putat esse Petrum pariter sacerdotem : quia tunc error circa personam est accidentalis [1].—Sed si ex una parte error circa personam fuit omnino invincibilis, et ex altera parte animus damnificantis erat principaliter intentus ad dominum damnificandum non ipsam rem, ita ut damnificans nullo modo damnum inttulisset si errorem cognovisset, tunc an teneatur ad damnum reparandum gravissima est quæstio inter AA., et duplex datur sententia. Prima, quæ inspectis tantum rationibus videtur esse probabilior, affirmat tunc adesse obligationem damni reparandi : nam damnificator injuste, efficaciter et cum culpa theologica damnum intulit : injuste quidem, quum optime noverit se nullum jus habere hanc domum destruendi, quæcumque sit ; efficaciter, quum revera domum destruxerit ; cum culpa theologica, quum non obstante errore circa personam, sciat ac velit destruere domum, quam ex justitia stricta destruere prohibetur. Ideo error ille circa personam non videtur afficere rei substantiam. Insuper concordat sensus hominum communis : nemo, qui theologorum hac de re controversiam ignorat, ejusmodi damnificantem ab onere restitutionis deobligat, quia omnibus a natura insita est hæc persuasio : qui adverter damnum infert, illud reparere tenetur, etsi personam damnificantem ignoret vel circa eam erret [2]. —— Secunda, quæ est S. Alphonsi [3], negat adesse talem obligationem : quia ad restitutionem, sicut non sufficit injuria tantum affectiva, ita nec sufficit injuria solum materialis et effectiva sine animo, sed requiritur una simul tum injuria effectiva seu materialis, tum affectiva seu formalis, scilicet voluntarie injuriosa in eum qui læditur ; ideo tunc error circa personam videtur esse substantialis. — Unde in praxi, propter notabilem probabilitatem extrinsecam quam habet posterior sententia ex

1. Génicot, I, n. 522 ; Tanqueray, II, n. 484 ; Morino, I, n. 1005.
2. Sanchez, Decal., lib. II, cap. 23, n. 157 ; Busembaum, Tract. V, cap. II, dub. VI, art. 3, n. 2 ; Vogler, n. 202 ; Ballerini, III, n. 441 ; Lehmkuhl, I, 1164 ; Marres, I, lib. II, n. 68 ; Noldin, II, n. 452.
3. Lib. IV, n. 627.

auctoritate S. Alphonsi, licet hanc sequi, et absolvere pœnitentem qui bona fide eam tenet[1]. — Attamen hujusmodi damnificator tenetur in conscientia ad damnum tale reparandum, si condemnatus fuerit a judice : quia cum opinio contraria etiam probabilis sit, in dubio standum ėst pro judice[2]. —— Sed si damnificator e duabus rebus ad eumdem dominum pertinentibus unam vult destruere, alteram vero per errorem de facto destruit, videtur obligandus ad restitutionem pro re quæ minoris est valoris. Exemplo sit qui, volens capram Petri globo trajicere, equum ejus trajicit et occidit. Ratio est, quia injuria tum formalis tum materialis in eumdem dominum cadit : injuria enim proprio domino, non rebus ipsis infertur[3]. — Contradicunt tamen quidam,[4] quia hoc damnum dici potest prorsus per accidens evenisse : nec prava intentio eidem domino nocendi facit ut rei prorsus ignoratæ damnum voluntarium fuit ; tunc enim occisio equi videtur esse non voluntaria. Sed, reponunt fautores oppositæ sententiæ, hæc ratio parum probabilis videtur : nam verum manet, nihil deesse ex requisitis ad restitutionem urgendam.

301. Circa dubium quoad damnificationem, distinguendum est : *A) si dubium actionem damnificantem præcedat*, v. gr. si quis dubitat num actio edenda alterius jus lædere possit necne, res ea diligentia, quam gravitas materiæ postulat, investigari debet : etenim lex justitiæ ut cœteræ leges etiam præceptum comprehendit cognoscendi et proinde in dubio investigandi quasnam obligationes imponat. Ideo, si stante tali dubio, quis infert damnificationem injustam, ipse tenetur ad restitutionem, quia saltem in confuso prævidit damnum et in illud consensit : ita aliquis vacans venationi et videns animal inter folia, credit illud esse feram sed suspicatur esse vaccam vicini ; nihilominus explodit sclopetam et occidit vaccam ; tunc debet compensare damnum. —— Ast si post diligens pro rei gravitate examen, dubium positivum adhuc perseverat, ab actione dubie alteri nociva abstinendum est, quia lex justitiæ præcipit non tantum certum sed etiam probabile alterius damni periculum vitare : ita judex non

1. Lugo, Disp. VIII, n. 68, 69 ; Lacroix, Decal., lib. I, cap. IV, n. 10 ; D'Annibale, II, n. 232 ; Bucceroni, I, n. 1370 ; Génicot, I, 522 ; Ferreres, I, 664.
2. S. Alphonsus, lib. III, 629 ; Marc, I, n. 950 ; Zaninetti, III, n. 1466.
3. Génicot, I, n. 522 ; D'Annibale, II, 232, nota 13 ; Tanqueray, II, n. 484.
4. Gury, I, n 672 ; Konings, I, n. 758 ; Ballerini, nota ad Gury I, n. 672.

potest sententiam ferre contra aliquem, si serio dubit[illegible]m hic reus sit. Quodsi nihilominus cum dubio agit, aff[illegible] saltem contra justitiam peccat ; et, si revera damnum injuste alteri inferatur, tenetur ad restitutionem, quia est injustus, efficax et theologice culpabilis damnificator. —— Attamen si ex causa de se licita aut indifferenti duplex effectus sequi posset, alter certus, bonum quidem nostrum, alter dubius, damnum alienum, licitum erit causam illam ponere, etsi alter fortasse exinde damnum capiat, modo effectus bonus compenset effectum malum, quia actio de se licita est et nemo obligatur ad damnum alterius præcavendum cum æquali aut majore suo damno.[1]

302. B) *Si dubium grave sequatur actionem damnificantem,* habetur obligatio diligenter pro rei gravitate investigandi, num revera alteri injuste hæc actio nocuerit atque proinde restitutionis obligatio habeatur : nam præceptum restitutionis continet pro dubitante præceptum inquirendi de illius obligatione, ne quis se exponat periculo illud transgrediendi. Dicitur tamen : dubium grave ; nam dubium, quod nulla aut inani tantum ratione nititur, et quod theologi negativum vocant, spernendum est. —— Perseverante autem dubio, alii[2] docent quod dubitans damnum resarcire debet pro rata dubii, ne sese exponat periculo rem alienam injuste sibi retinendi ; alii[3] autem distinguunt et docent : a) *si dubium probabile manet num damnum fuerit illatum vel causa injusta posita,* non esse faciendam restitutionem : nam facta non sunt præsumenda, sed probanda ; ita restituere non tenetur qui dubitat num calumnia a se prolata alteri damnum in negotiatione intulerit, vul utrum id quod dixerit vera fuerit calumnia an justa occulti delicti manifestatio. — b) *Si dubium vertitur circa influxum causæ in effectum damnosum,* v. gr. dubitatur utrum mors inimici ex veneno propinato an a morbo secuta sit, vel utrum damnum, quod mercator reipsa passus est, ex calumnia prolata an ex alia ratione ortum sit, controvertitur : alii[4] dicunt dari obligationem restitutionis, quia, posito facto actionis, præsumitur ipsam fuisse

1. Carrière, III, n. 1128, 1129 ; Gury, I, n. 56 ; Tanqueray, II, n. 485 ; Marres, I, n. 70, 71.
2. Billuart, Diss. VIII, art. XI ; Collet, n. 324 ; Bouvier, Ce injusto damnificatore, quas. 1 ; Carrière, III, n. 1130.
3. Marres, I, lib. II, n. 74 ; Bucceroni, I, n. 1369 ; Tanqueray, II, n. 486 ; Noldin, II, n. 453.
4. Lugo, Disp. XIX, n. 21 ; Lacroix, lib. III, p. II, n. 576 ; Gousset, I, n. 946.

causam mali, si apta erat ad damnum inferendum, juxta illud juris romani : qui causam damni dat, damnum dedisse videtur ; alii [1] vero negant, quia effectum ex causa esse secutum non supponi sed probari debet. —— c) *Si constat de damno et constat plures posuisse causam per se efficacem damni, sed dubium est, ex cujusnam actione damnum secutum sit,* v. gr. quando proles adulterina edita est per uxorem quæ cum duobus viris non suis copulam, tempore apto, habuerit, subdistinguendum est : (*a*) si plures communi conspiratione egerunt aut saltem cum advertentia, qua cognoverunt plures simul causam damni ponere et ideo auctorem damni incertum fieri posse, damnum reparare tenentur in solidum : singuli enim sua agendi ratione causa sunt, cur incertum sit, quis damnum intulerit, et sic dominum injuste impediunt, quominus compensationem exigere possit ; — (*b*) si secundus adulter adverterit (quod rarum est) se suo facto causam fore cur dignosci nequeat, cujus sit proles, tenetur solus ad damnum ex illa incertitudine illatum ; — (*c*) si nemo prævidit sua agendi ratione auctorem damni fieri incertum, controvertitur : alii [2] tenent utrumque pro rata dubii ad restitutionem teneri : nam revera damnum est certo injuste illatum, læsus igitur certum habet jus reparationis, cui proinde satisfaciendum est ; sed neuter certo damnum integrum intulit ; ergo ab utroque pro rata dubii reparandum est ; — alii [3] docent nominem teneri ad restitutionem : nemo enim damnum reparare tenetur, nisi moraliter certo constet illum fuisse damni causam ; atqui de hac re dubitatur ; ergo.

303. Quare universe quotiescumque dubium solidum manet de qualibet conditione ad restitutionis obligationem requisita, saltem probabilis sententia ab ea stricte imponenda excusat et proinde confessarius non potest eam stricte imponere, scilicet absolutionis denegatione. Sed plerumque suadendum est pœnitentibus, ut partem damni pro rata dubii compensent : quia hac agendi ratione et conscientiæ suæ tranquilitati consulent, et certius communem civium pacem servabunt [4].

1. S. Alphonsus, lib. IV, n. 562 ; S. Thomas, 2-2, n. 62, a 7.
2. Gury, I, n. 733 ; Lugo, disp. XIII, n. 20 ; Gousset, I, n. 946.
3. S. Alphonsus, lib. IV, n. 658 ; Lessius, lib. II, cap. X, n. 39 ; Elbel, de Rest., n. 452, 453.
4. Génicot, I, n. 521 ; Marres, I, lib. II, n. 76.

II. De possessione rei alienæ

304. PRINCIPIUM GENERALE. — **Solus rei dominus per se habet jus eam possidendi, nec rei dominium amittit ad cujuscumque manus illa demum deveniat.** — Illud evidenter constat tum EX NATURA POSSESSIONIS, quæ stricte sumpta est detentio rei tamquam suæ ; quod profecto soli domino competit ; tum ex NATURA DOMINII, quod includit facultatem de re disponendi, ea fruendi, et quemcumque alium ab ea excludendi ; quæ facultas inutilis fieret absque possessione : —— DICITUR : **per se** ; quia per accidens ille qui ex errore invincibile credit rem aliquam esse suam, potest absque peccato eam possidere, quamdiu durat illius error ; siquidem prudenter se dominum judicat, ideoque non peccat exercendo jura domini [1].

Ex hoc autem generali principio sponte sua fluunt quatuor hæc axiomata, quæ sœpe sœpius in decursu hujus tractationis recurrunt, scilicet :

305. 1° **Res clamat domino,** i. e., res vult ad dominum ad quem pertinet redire, et restitui, ideoque sic veluti clamat domino, ac proinde dominus jus habet, ubicumque eam invenerit, illam recuperandi. Hoc vero principium ex ipso jure dominii logice profluit : etenim per dominium res ita domino connectitur ut, si fuerit ab illo separata, ad eum redire nitatur, et servat ubique hanc connexionem qua destinatur ut in ejus utilitatem adhibeatur. Proinde dominus, ubicumque eam invenerit, jure meritoque eam deprehendere potest ; ac consequenter detentor, etiam bonæ fidei, eam reddere domino debet quamprimum moraliter, nisi præscriptione aliove justo titulo eamdam suam fecerit.

306. 2° **Res fructificat domino,** seu fructus omnes qui ex re aliqua proveniunt ad dominum illius rei pertinere debent. Ratio est, quia usus et fruitio in idea dominii perfecti necessario includitur. — Hoc tamen axioma nequit extendi ad ea quæ dicuntur quidem fructus industriales, sed hoc fructuum nomine improprie tantum designantur, cum in iis obtinendis res minimam partem habeat, ex. gr. salarium sartoris qui acu alieno vestes confecit.

1. Ferreres, I, n. 634 ; Carrière, III, n. 1033.

307. 3° **Nemo ex re aliena locupletari seu ditescere debet,** i. e., nemo ditior fieri debet ex ipsa re aliena, seu ex iis omnibus quæ naturaliter ex illa re proveniunt. Hoc est velut corollarium præcedentis axiomatis : et revera cum omnes fructus rei domino cedere debent, evidens est neminem ex ipsa re aliquod enolumentum percipere posse. — Sed tamen potest quis occasione rei alienæ ditior fieri, quatenus illa re utendo, propria industria aliquid producit, quod est vere fructus proprii laboris, proindeque ab eo legitime acquiritur. Unde hæc regula extendenda non est ad fructus industriales.

308. 4° **Res naturaliter perit domino** ; videlicet, si res naturaliter, absque alterius culpa, destruitur vel physice, v. gr. moriente equo, vel moraliter, v. gr. frumento in profundum maris demerso, damnum inde secutum ferre debet dominus. Ratio est, quia dominium, quum sit terminus essentialiter relativus, necessario præter subjectum requirit objectum et proinde, deficiente dominii objecto, eo ipso evanescit et ipsum dominium. — Attamen si res, quamvis in se destructa, in æquivalenti subsistat, quatenus v. gr. alius ejus pretium accepit, vel ea utendo propriis bonis pepercit, domino æquivalens competit : nam objectum dominii non totaliter evanescit [1].

Axiomata autem hæc diversimode aliquando applicantur juxta diversas locorum leges, sed præcipue juxta diversam possessoris fidem : quippe quis potest rem alienam possidere vel cum bona, vel cum mala, vel cum dubia fide. Dicendum proinde est 1. de possessore bonæ fidei ; 2. de possessore malæ fidei ; 3. de possessore dubiæ fidei.

I. De possessore bonæ fidei

309. DEFINITIO. — **Possessor bonæ fidei dicitur ille qui possidet rem alienam, quam prudenter judicat esse suam.** — Jure naturali talis est qui rem, quam possidet, vere uti suam tenet, quocumque titulo, etiam solum putativo, illam

1. Génicot, I, 523 ; Gury, I, n. 634 ; Lehmkuhl, I, 1130 ; Delama, n. 313 ; Tanqueray, II, n. 527, 528 ; Timothæus, II, n. 343.

possideat. Jure autem civili [1] est talis qui rem ex titulo proprietatis translativo, v. gr. hæreditate, donatione, etc., acquisivit, cujus tituli vitia ignorat. — Unde duplex est bona fides, theologica scilicet et juridica. Porro ut possessor frui possit juribus a lege civili concessis, requiritur quidem bona fides theologica, sed non sufficit, nisi adsit simul bona fides juridica : quia ille tantum frui potest beneficio legis qui versatur intra conditiones ab illa præscriptas. Sed ad fruendum effectu per ipsam legem naturalem concesso, sufficit bona fides theologica, quia, ea posita, jam tollitur radix restitutionis [2].

310. JURA ET OBLIGATIONES. — **Certum est possessorem, per totum tempus quo bona fides perdurat, posse absque peccato de re disponere ad nutum suum.** Etenim, data bona fide, censetur esse verus dominus ideoque utitur jure suo [3]. — Sed quæstio est, ad quid teneatur, quando advertit rem illam non esse suam.

Quæstio solvitur ex duplici sequenti generali principio :

311. I. — **Possessor bonæ fidei non debet ex re aliena ditescere seu ditior fieri.** — Hoc patet ex expositione illius axiomatis antea posita. — Ditior vero dicitur fieri, si ex re aliena aliquid lucri facit, vel rebus suis parcit, v. gr. si ex aliena pecunia creditoribus solutionem praestat, domum labantem reparat, vel si ex alieno frumento alit familiam, etc. At non fit ditior ex re aliena, si eam impensis voluptuariis erogat, etsi in turpes usus eam consumat [4]. —— Excipitur, si res jam fuerit præscripta : quo in casu non ditescit ex re aliena, sed ex re quæ, vi legum, facta est sua [5].

312. II. — **Possessor bonæ fidei debet per se servari indemnis** : id est, sicut ex re aliena nihil potest æquirere, ita nihil debet perdere ; quia non est in culpa. — Dicitur : **per se** ; quia in casu conflictus inter possessorem et dominum, dominus rei extantis est potior jure ; leges autem, ob bonum commune, quandoque domino rei, quandoque possessori favent [6].

1. C. C., a. 412, ubi possessor bonæ fidei dicitur ille qui rem alienam possidet tanquam proprietarius vi tituli translativi proprietatis, cujus vitia ignorat.
2. Morino, I, n. 983 ; Carrière, III, n. 1035.
3. Carrière, III, n. 1037.
4. D'Annibale, II, n. 216 ; Zaninetti, III, n. 1451.
5. S. Alphonsus, III, n. 556, 607.
6. Marc, I, n. 935.

Ex hoc duplici principio effluunt possessoris bonæ fidei tum obligationes tum jura, sive quoad rem ipsam, sive quoad fructus ex ea perceptos, sive quoad expensas pro ea factas.

313. *A.* QUOAD REM IPSAM. — Triplex diversa hypothesis distingui debet : 1° **SI REM ADHUC POSSIDET** ; 2° **SI ALIUS REM POSSIDET** ; 3° **SI RES PERIIT.**

1a HYPOTHESIS. — **Si rem adhuc habeat, possessor bonæ fidei tenetur, statim ac cognoscit rem quam possidet esse alienam, ipsam domino restituere.** Ratio est, quia res aliena ex vulgari axiomate clamat ad dominum suum, ideoque possessor, qui tunc eam rem conservaret, bonum alienum, invito rationabiliter domino, retineret et proinde illius jus strictum violaret [1].

Dicitur : *a*) **tenetur rem ipsam restituere** ; unde tenetur possessor eamdem rem in individuo reddere, quum res ipsa clamet domino, nec dominus cogi potest hanc rem vendere vel permutare. Unde si rem habeat integram, possessor eam sicuti est reddere tenetur ; si vero non existat integra apud possessorem, ipse tenetur restituere partem quam possidet, quia res, sicuti est, clamat ad dominum. Si autem res interim melior effecta est distinguendum est : si naturaliter facta fuerit melior, v. gr. si animal factum est melius, quia decursu temporis crevit, restituenda est res sicuti hic et nunc exstat, quia res fructificat domino ; si facto fuerit melior per commixtionem cum rebus propriis ipsius possessoris, ita ut separari non possit, subdistinguendum est : si res aliena habeatur tanquam accessoria, possessor accipit dominium rei alienæ, quia accessorium sequitur principale ; sed tenetur solvere pretium rei alienæ, quia non debet ex re aliena ditior fieri ; si vero res aliena habeatur tanquam principale, debet restituere rem meliorem, quia accessorium sequitur principale, sed habet jus ad compensationem pro re sua, quia possessor bonæ fidei nihil debet perdere. Si res interim e contra deterior facta est, et quidem sine emolumento possessoris, eam restituere debet in eo statu, in quo nunc est, etsi ex culpa possessoris facta sit deterior, quia, ut fert axioma, qui quasi rem suam neglexit, nulli quærelæ subjectus est ; si facta est deterior cum emolumento possessoris, etiam

1. Morino, I, n. 984 ; Bucceroni, I, n. 1332 ; Tanqueray, II, n. 529.
2. Tanqueray, II, n. 530.

emolumentum restituere debet quia nemo ex re aliena debet ditescere [1].

Dicitur : *b*) **statim ac cognoscit rem esse alienam** ; quia si culpabiliter restitutionem differat, scienter retinet rem alienam, ideoque fit possessor malæ fidei [2].

Dicitur : *c*) **restituere debet ipsi domino**, si notus sit, ut per se patet. Attamen per accidens necesse non est, ut rem semper ipsi domino restituat, sed quandoque illi reddere potest, a quo eam acceperat : DISTINGUI ENIM DEBET, UTRUM REM POSSESSOR GRATIS AN TITULO ONEROSO ACCEPERIT. — SI AUTEM REM GRATIS ACCEPIT, eam domino gratis reddere debet : reddere debet, quia res clamat ad dominum atque donatio rei alienae jure naturali prorsus irrita est ; gratis reddere debet, ne ex re aliena invalide sibi donata ditescat. Unde tuta conscientia eam furi reddere nequit, nisi moraliter certus sit furem restituturum esse. Nec quidquam a donatore sibi petere potest, quia donator, cum nihil pro re tradita acceperit, evictionis periculum [3] in se non suscepit [4]. — SI VERO RES TITULO ONEROSO ACCEPIT, subdistinguendum est : (*a*) *si dominus reclamat, eam domino reddere tenetur, etiam cum jactura pretii :* dominus enim rem suam sibi vindicare potest, ubicumque eam repererit, cum habeat jus in re ; quodsi pretium a venditore recuperari nequit, ejus jacturam tanquam infortunium considerare et patienter ferre debet. In jure tamen canadensi [5] habetur exceptio : quando scilicet res empta fuit in nundinis, in foro publico, sub hasta aut a mercatore qui hujusmodi res divendit, possessor non tenetur eam domino reddere, nisi refuso sibi pretio, quod rei dominus dein vicissim a venditore repetere potest. Hæc dispositio legis civilis probabilius in conscientia valorem habet, quia potestas civilis ratione boni communis ita statuit, ut nempe commercium inter homines facilius et possessio securior reddatur [6] ; — (*b*) *si dominus non reclamat, etsi sit cognitus*

idem in jure nostro decernitur.

1. Noldin, II, n. 435 ; Timothæus, II, n. 345.
2. Noldin, II, n. 435 ; Marc, I, n. 939, nota.
3. Evictio est actualis vindicatio rei a domino facta ex ejus possessore. Stante evictione, ille qui rem alienam alteri vendidit, tenetur ipsi pretium refundere. (S. Alph., III, n. 601 ; Ojetti, II, n. 2070 ; C. C., a. 1508).
4. Marres, I, lib. II, n. 22 ; Noldin, II, n. 435 ; Génicot, I, n. 525 ; Delama, n. 316 ; Lessius, lib. II, cap. XIV, n. 13.
5. C. C., a. 1489.
6. Gousset, Code civil, a. 2280 ; Carrière, III, n. 1044 ; Marres, I, lib. II, n. 23 ; Noldin, II, n. 435.

sed tantum rei inscius, quamvis plures[1] teneant possessorem teneri ad rem domino reddendam quia res clamat ad dominum, atque non licet alteri damnum inferre per actum positivum et injustum, ut damnum simile nobis imminens vitetur, probabilius tamen potest emptor rem furi remittere ut pecuniam recuperet ; tum quia nullus tenetur rem domino servare cum æquali suo damno ; tum quia nemini interdicitur actio illa, quæ per se est necessaria et directa ad suum damnum reparandum, licet indirecte et per accidens damnum alteri eveniat ; porro rescissio contractus est ipsi directe licita et necessaria, et damnum domino per accidens infertur[2]. — *Si vero venditor aut fur non apparet, aut pecuniam reddere non vult, possessor, cognito domino, rem aliis vendere non potest, nec in proprios usus convertere, ut se servet indemnem :* hi enim sunt actus proprietatis, quos in rem alienam exercere non licet. Unde possessor eam domino reddere debet, non obstante pretii juctura ; sed recursum in venditorem servat[3].

314. 2a HYPOTHESIS — Si res aliena, apparente domino, reperitur in possessione tertii, distinguendum est : **possessor enim bonæ fidei vel rem alteri donavit, vel eam vendidit.** *a*) **Si rem donavit**, subdistinguendum est: etenim aut *eam dono accepit, aut eam titulo oneroso acquisivit.* — (1°) *Si dono eam accepit*, iterum subdistinguendum est : aut enim ALTERI DONAVIT ALIAS NIHIL DONATURUS, AUT ALTERI DEDIT LOCO REI ALICUJUS SUÆ QUAM DONASSET. Si autem PRIUS, ad nihil tenetur, quia non est ditior effectus ; si tamen POSTERIUS, tenetur restituere pretium rei quam secus donasse[4], quia hoc ditior factus est. [4] — Facta tamen donatione rei alienæ, donator, detecto errore, tenetur monere aut donatarium, ut rem domino reddat, aut ipsum dominum, ut iste rem suam recuperare possit. Quod autem ex caritate, citra grave suum incommodum, ad alterutram monitionem teneatur, certum est ; sed et ratione justitiæ ad idem teneri videtur, quia quilibet tenetur impedire, ne ex sua actione saltem

1. Molina, Disp. 721, n. 1 ; Lacroix, lib. III, p. II, n. 100 ; Billuart, Disp. VIII, art. X, ; Carrière, III, n. 1042.
2. S. Alphonsus, III, n. 569 ; Génicot, I, n. 524 ; Marc, I, n. 939 ; Lessius, lib. II, n. 14 ; Lugo, Disp. XVII, n. 29 ; Marres, I, lib. II, n. 26.
3. Haine, II, q. 120 ; Génicot, I, n. 524 ; Marres, l. c. n. 27.
4. Noldin, II, n. 437.

materialiter injusta alteri damnum oriatur [1]. — Si vero donatarius aliam rem ex gratitudine donatori dedit, juxta plures, acceptum restiture debet donator, nisi id bona fide consumpserit, quia censetur factus ditior ex re aliena ; juxta alios, potest retinere, quia redonatio ex mera liberalitate donatarii procedit, ad quam donans nec inducit nec obligat, cujus proinde non est causa, sed solum occasio [2]. —— (2°) Si vero *rem alienam emptam alteri donavit*, ad nihil tenetur, etsi alias rem suam donasset : in nullo enim factus est ditior [3]. Sed tenetur, sicut in casu præcedenti, ad alterutram monitionem.

b) Si **rem alienam vendidit**, subdistinguendum est: etenim *vel eam gratuito accepit, vel titulo oneroso eam æquisivit.* — Si *prius*, iterum subdistinguendum est : aut EST CASUS EVICTIONIS, AUT NON. — 1) IN CASU EVICTIONIS, i. e. si dominus comparet et rem sibi vindicat, venditor tenetur pretium emptori reddere, quia in contractu venditionis ad hoc implicite se obligavit. — Idem ob eamdem rationem dicito in casu spontaneæ restitutionis ab emptore factæ [4]. — 2) EXTRA CASUM evictionis, quando scilicet res a domino recuperari nequit, sive quia ultimus possessor eam consumpsit, sive quia iste non amplius comparet, juxta alios [5] venditor totum pretium ab emptore receptum in dominum refundere debet, quia ex toto illo pretio factus est ditior, et secus rei dominus totum damnum subire cogitur ; juxta alios, [6] venditor ad nihil tenetur : re quidem vera non tenetur restituere emptori, nam venditor erga emptorem non alia adstringitur obligatione, nisi evictionem vel etiam spontaneam restitutionem præstandi, quia extra hunc casum nullum omnino damnum emptor patitur ; nec tenetur domino restituere, quia dominus in venditorem neque actionem personalem habet, ex eo quod nulla fraus intercessit, neque actionem realem, ex eo quod rem iste non habet ; — eo vel magis quia venditor non factus est ditior injuste ex re aliena, sed ditescit, non injuste, occasione rei alienæ; quod autem dominus solus in casu damnum pateretur, per accidens est : etenim ejus jus legitimum aliud non est quam in furem et in actualem rei

1. S. Alphonsus, III, n. 564 ; Marc, I, n. 936 ; Delama, n. 316.
2. Bertagna, de Rest., p. I, art. I ; Zaninetti, III, n. 1452.
3. Noldin, II, n. 437.
4. Ferreres, I, n. 638 ; S. Alph., III, n. 601.
5. S. Alphonsus, III, n. 608 ; Zaninetti, III, n. 1452 ; Génicot, I, n. 526 ; Lugo, disp. XVII, n. 26.
6. Gousset, I, n. 930 ; Noldin, II, n. 437 ; Bucceroni, I, n. 1346

possessorem ; si vero istud jus prosequi non potest, prorsus per accidens est.

Si posterius, subdistinguendum est : VENDIDIT ENIM AUT FERE EODEM PRETIO, AUT CARIUS.

SI FERE EODEM PRETIO REM VENDIDIT, subdistinguendum est : vel enim habetur casus evictionis, vel non habetur. — 1) *IN CASU EVICTIONIS*, i. e. si dominus rem suam ab emptore repetierit, venditor emptori, rem restituenti, pretium reddere tenetur : ratio est, quia per venditionem se implicite obligavit ad servandum indemnem emptorem in casu quo res vendita, utpote aliena, per evictionem a domino repeteretur. — Idem ob eamdem rationem, scilicet propter obligationem in contractu venditionis implicitam, tenendum est in casu spontaneæ restitutionis ab emptore factæ, excepto tamen casu in quo emptor hanc restitutionem peragit venditore non admonito, ideoque est causa ob quam iste nequeat pretium a se datum recuperare, priorem contractum a se initum rescindendo. Etenim in hoc casu non tenetur venditor ad pretium emptori reddendum, quia damnum, quod ipse emptori intulit vendendo rem alienam, emptor ex sua parte ei vicissim intulit per acceleratam restitutionem. — Hinc si res aliena in manus plurium possessorum titulo oneroso transierit, ultimus possessor rem domino eamdem evincenti reddere debet, et ipse ac singuli emptores jus habent venditorem suum prosequendi, ut pretium solutum recuperent [1]. 2) *EXTRA CASUM EVICTIONIS ET SPONTENEÆ RESTITUTIONIS*, probabilius nihil tenetur restituere venditor : et quidem non domino rei, quum rem non habeat, nec ditior inde factus sit ; neque emptori, quia huic fieri deberet restitutio quatenus venditio esset irrita, vel inde damnum habuisset [2]. — Attamen opinantur alii [3] hanc antiquorum doctrinam in jure recentiore deserendam esse, quia jus recens [4] reputat venditionem rei alienæ esse invalidam ; ex invalido autem contractu venditor dominium pretii soluti non acquisivit, ergo illud etiam cum suo damno reddere debet. — Ast ex juris positivi præscriptis venditor nullam obligationem erga

1. Génicot, I, n. 526 ; Delama, n. 316 ; Ferreres, I, n. 638 ; S. Alphonsus, III, n. 601 ; Lugo, Disp. XVII, n. 109 ; Lessius, lib. II, cap. XIV, n. 28.
2. Molina, Disp. 720, n. 1 ; Lugo, Disp. XVII, n. 19.
3. Carrière, III, n. 1047.
4. C. C., a. 1487.

dominum habet : non realem ratione rei, cum rem illius non detineat, neque rei vindicationi locus sit ; non ex contractu, quia cum domino non contraxit ; non ex delicto, cum ipse bona fide emerit et vendiderit. Insuper durissimum foret, eum, qui nec rem alienam amplius habet, nec ex ea ditior factus est, ad tantum incommodum sponte subeundum obligari. Domino itaque ad jus suum aut violati juris reparationem consequendum, in actualem quidem rei possessorem, aut in furem recursus superest, in alios autem nullo modo [1]. — Nec tenetur indicare emptori rem a se possessam esse alienam, nec domino, ubi res sit, si ipse pretium a fure, a quo rem emit, recuperare non potest : quia, quum rem non amplius habeat, nec causa formaliter injusta sit, quod dominus re sua privetur, non obligatur cum magno suo detrimento curare, ut dominus rem suam recuperet [2].

Si carius vendidit, subdistinguendum est : (*a*) *SI EXCESSUS ILLE INDUSTRIÆ EXTRAORDINARIÆ TRIBUENDUS EST*, v. g. si alium locum notabili labore adierit, ut opportunam occasionem carius rem vendendi inveniret, vel si res tempore detentionis melior effecta fuerit cura detentoris, possessor hunc sibi retinere potest, quia est fructus industriæ occasione rei alienæ perceptus. — (*b*) *SI* vero *EXCESSUS PRETII PROVENERIT AUT EX REI NATURA*, v. gr. quando res in se melior evasit, uti si equus adoleverit, aut *EX COMMUNI HOMINUM ÆSTIMATIONE*, eum domino reddere tenetur possessor, quia res domino crescit naturaliter. — (*c*) *IN ALIIS CASIBUS*, nempe quum res eadem, non melior ex natura sua vel ex communi hominum æstimatione facta, absque extraordinaria industria carius venditur, controvertitur : alii [3] enim tenent possessorem teneri ad excessum pretii domino restituendem, quia ex eo excessu ditior factus est ; alii [4] vero communius et probabilius docent possessorem posse hunc excessum sibi retinere, quia totus ille excessus fructus industriæ possessoris videtur, nempe est fructus commercii ac operæ possessoris [5].

1. Gousset, I, n. 929 ; Bucceroni, I, n. 1339 ; Waffelaert, II, n. 234 ; Marres, I, lib. II, n. 24 ; Delama, n. 316 ; Gury, I, n. 638 ; Lehmkuhl, I, n. 1137 ; Génicot, I, n. 526 ; Ferreres, I, n. 638.
2. S. Alphonsus, III, n. 601, 800 ; Lugo, Disp. XVII, n. 106, 108, 110 ; Delama, n. 316 ; Noldin, II, n. 437.
3. Billuart, Dissert. VIII, art. X.
4. Lugo, Disp. XVII, n. 20.
5. Delama, n. 245 ; Noldin, II, n. 437 ; Génicot, I, n. 526 ; Bucceroni, I, n. 1340.

315. 3a HYPOTHESIS. — Si res aliena periit quando dominus agnoscitur, distinguendum est, **utrum apud ipsum possessorem bonæ fidei an apud alium perierit.** — *a*) **Si res periit apud bonæ fidei possessorem**, sive eam consumpsit, sive amisit, sive destruxit, ipse possessor ad nihil prorsus tenetur, *modo ditior inde non evaserit.* Etenim non tenetur ratione rei acceptæ, quæ non amplius exstat ; neque ratione injustæ acceptionis vel detentionis, quia rem bona fide possidebat. — Hoc etiam valet, si de industria rem destruxerit, aut ex ejus negligentia perierit : nam nulli injuriam formalem inferebat rem, quam credebat esse suam, destruendo aut negligendo, juxta juris communis regulam [1] : Qui quasi rem suam neglexit, nulli querelæ subjectus est.

Dicitur : *modo ditior inde non evaserit ;* nam id, in quo ditior factus esset, loco rei succederet aut constitueret æquivalens rei, quod ad dominum pertinet ; est autem contra jus naturale, ut quis cum alterius injuria ditescat, juxta regulam 48 juris in 6° : Locupletari non potest aliquis cum alterius injuria aut jactura.— Unde rei æquivalens dicitur illud, in quo aliquis ex ea re factus est ditior. Ex re aliena autem aliquis fit ditior, quatenus ex ea aliquid habet, quod alias non habuisset : quod dupliciter accidere potest, nempe aut eo quod ex re gratis accepta fructus habet, aut eo quod rei suæ parcit, dum utitur aliena ut cum aliquis proprio vitulo parcit, dum alieni carnem manducat. — Idem valet de re deteriorata ; si nempe possessor rem in proprios usus adhibendo deteriovavit, id, in quo hac ratione ditior factus est, restituere debet. Qui ergo vestem alienam dono acceptam bona fide portavit et fere attrivit, tenetur, si dominus comparet, vestem restituere et insuper tantum solvere, quantum alias de sua veste attrivisset. — In dubio tamen, an ditior factus sit, ad nihil tenetur ; quia in dubio nemo debet re sua privari [2].

b) **Si res apud alium periit,** subdistinguendum est : etenim vel RES TRADITA FUIT SINE LUCRO, ut si rem emptam possessor bonæ fidei donavit alteri aut sine lucro vendidit, vel TRADITA FUIT CUM LUCRO, sive quod rem gratuito acceptam alteri vendidit, sive quod rem emptam alteri carius vendidit. — SI PRIUS, possessor bonæ fidei ad nihil tenetur : etenim neque ex re

1. L. II, 3. ff. de petit. hæred.
2. Noldin II, n. 436 ; Génicot, I, 525 ; Delama, n. 315 ; Marc, I, n. 936.

factus est ditior, neque ex sua culpa res periit [1]. — SI POSTERIUS, controvertitur : alii [2] forsan communius tenent possessorem teneri ad restituendum id, quo per venditionem factus est ditior, quia nemo debet ditescere ex re aliena. Sed dissident quando agitur de determinando illo cui facienda est restitutio. — ALII [3] enim probabiliter dicunt restituendum esse emptori : tum quia res perit domino, tum quia venditio, utpote rei alienæ, fuit invalida ; ideoque emptorem bonæ fidei habere jus ad suam pecuniam recuperandam ; — juxta alios, forsan æquius, restituendum est domino : tum quia res non periit absolute, sed repræsentatur in pretio accepto ; tum quia venditio nulla, re pereunte, non magis nocet emptori, quam venditio valida. In praxi, cum dubium existat, utrivis restitui potest. Sed excipitur : 1° si res apud dominum æque periisset, v. gr. ex vetustate vel ex vitio intrinseco, quia tunc revera ipsi periisset, et ideo pretium emptori refundendum esset ; 2° si culpa emptoris pereat, quia æquitas postulat, ut ipse propriæ actionis consectaria subeat, et ideo tunc domino restituendum esset [4]. —— ALII tandem existimant pretium a possessore bonæ fidei retineri posse, quia nemo jus habet illud exigendi ; non emptor, quia extra casum evictionis venditor in rei venditæ pretium plenum dominium acquirit; non dominus, quia res naturaliter ei perit. Nec potest dici pretium esse rei æquivalens seu rem in æquivalenti adhuc extantem domino esse reddendam : postquam enim venditor acquisivit dominium in pretium rei venditæ, hoc non est amplius rei venditæ æquivalens seu venditor non amplius æquivalenter habet rem alienam. Tandem venditor non est injuste factus ditior ex re aliena : etenim factus est ditior occasione rei alienæ, nec injuste, quia rem vendens, quam putabat esse suam, nemini injuriam fecit. —— Unde **IN PRAXI**, cum jus et domini et emptoris non sit nisi probabile, probabiliter juxta plures etiam venditor ad nihil tenetur, et prævalet de facto possessio, secundum communem regulam. Dominus rei ergo recursum tantum habet, contra eum qui initio injuste ipsam accepit [5].

1. Génicot, I, n. 525 ; Noldin, II, n. 436.
2. Marc, I, n. 939.
3. Carrière, III, n. 1047 ; D'Annibale, I, n. 239.
4. Marc, I, 930 ; Zaninetti, III, n. 1457.
5. Génicot, I, n. 525 ; Bucceroni, I, n. 1341 ; Sabetti-Barrett, n. 418 ; Noldin, II, n. 439 ; Gousset, I, 930 ; Lehmkuhl, I, n. 1138, pro casu quo res eodem modo apud dominum periisset.

316. *B.* — QUOAD FRUCTUS EX RE ALIENA PERCEPTOS. — *Ex jure naturali, a)* **FRUCTUS INDUSTRIALES**, qui, videlicet occasione rei, proprio possessioris labore acquisiti sunt, ab ipso possessore bonæ fidei retineri possunt : quisque enim legitime suos facit proprii laboris fructus. Hinc qui, bona fide cum aliena pecunia negotiando, ingentes comparavit divitias, non tenetur has domino restituere, sed solum usuale pecuniæ auctuarium ; pariter qui alieno penicillo alienisque coloribus picturam magni pretii pinxit, eam non tenetur penicilli domino restituere, sed solum compensationem dare pro usu alienæ materiæ.— *b)* **FRUCTUS** autem **NATURALES, AC CIVILES** qui jure cum naturalibus confundantur, modo exstent in se vel in æquivalenti, nec præscripti fuerint, domino restitui debent, deductis tamen expensis quæ ad eos colligendos aut servandos necessariæ fuerint : nam res fructificat domino. — Dictum est : modo exstent. . ., si enim consumpti, venditi aut donati fuerint, possessor bonæ fidei tenetur tantum reddere in quantum factus est ditior ;—deductis expensis ; nam qui commodis fruitur, onera sustinere debet.— Possessor vero bonæ fidei non tenetur domino compensare fructus, quos ex re aliena non percepit, quos tamen dominus percepisset, si res in ipsius potestate mansisset, quia nulla existit causa restitutionis : siquidem nec inde factus est ditior, nec injuste domino intulit damnum.——*c)* **FRUCTUS MIXTI**, qui partim ex industria et partim ex re nascuntur, inter dominum et possessorem dividi debent secundum æstimationem viri prudentis et honesti : nam qua parte sunt naturales, ad dominum spectant ; et qua parte industriales sunt, ad possessorem pertinent. Ita v. gr. quoad segetes, possessor eas colligere et servare potest, soluto usuali pretio pro locatione agrorum [1].

317. *Ex jure canadensi*, possessor bonæ fidei fructus omnes, durante bona fide perceptos, servare potest [2]. Is autem, e sensu Codicis Civilis [3], censetur bonæ fidei possessor qui rem possidet tanquam proprietarius, titulo de se apto ad dominium transferendum et cujus vitium ignorat. Quare ii tantum hoc benificio legis fruuntur, qui possident vi tituli saltem putativi, qui natura

1. Noldin, II, n. 438 ; Tanqueray, II, n. 536, 537, 538 ; Génicot, I, n. 527 ; Marres, I, lib. II, n. 29 ; Marc, I, n. 937 ; Timothæus, II, n. 351.
2. C. C., a. 411.
3. C. C., a. 412.

sua aptus sit ad dominium transferendum, v. gr. per donationem vel venditionem, seu scripto seu facto tantum peractam, minime vero qui possident per conductionem, commodatum, etc. — Fructus naturales percipi censentur quando colliguntur, v. gr. messes ubi cæduntur ; fructus civiles de die in diem acquiri censentur [2].

Hanc dispositionem juris civilis etiam in foro conscientiæ valere fere omnes recentiores AA [3] opinantur, quia legi civili competit ut aiunt, jus transferendi dominii, ad commune bonum obtinendum ; hic autem sat magna adest utilitas, scilicet ut vitentur lites implexæ de fructibus illis reddendis, et ut faveatur possessori bonæ fidei, qui ex illa improvisa restitutione quandoque positivum damnum pateretur. Contradicunt tamen plures [4], hanc dispositionem juri naturali contrariam existimantes, quatenus, sine justa ratione, tribuit possessori fructus nondum consumptos. — Unde quum non constet dominum jure suo privari, non esset damnandus, si hic ante judicis sententiam se compensaret quamvis hoc consulendum non sit [5].

318. C. QUOAD EXPENSAS PRO RE ALIENA FACTAS, distinguendum est inter **USUFRUCTUARIAS** et **EXTRAORDINARIAS** — **PRIORES** eæ sunt quæ ad fructus percipiendos necessariæ sunt. Jamvero, ubi possessor fructus non servat, jus habet ad compensationem pro hujusmodi expensis : dominus enim legitime fructus percipere nequit, nisi deductis expensis. —— **IMPENSÆ AUTEM EXTRAORDINARIÆ** triplicis sunt generis : NECESSARIÆ, sine quibus res periret aut deterior fieret, v. gr. quæ fiunt ne pluvia domum invadat, vel quæ fiunt in agro extirpando ; UTILES, quæ rei valorem augent, prout sunt plantationes, exstructiones, etc. ; VOLUPTARIÆ, quæ ad ornatum et voluptatem fiunt, quin valor rei augeatur, ut expensæ pro picturis, statuis, viridariis, etc. — Porro, *jure naturali*, dominus compensare debet EXPENSAS NECESSARIAS, imo et UTILES, saltem in quantum venalem rei valorem augeat : secus enim, ex re aliena ditescit, scilicet e pecunia quam solvit possessor ad servandum vel augendum

1. Génicot, I, n. 527 ; Beaudry-Lacantinerie, I, n. 1270
2. C. C., a. 450, 451.
3. Génicot, I, n. 527 ; Tanqueray, II, n. 539 ; Marc, I, n. 937 ; Haine, II, n. 119 ; Ferreres, I, lib. II, n. 30 ; Gousset, I, n. 931 ; Gury, I, n. 636.
4. Ballerini, ad Gury, I, n. 636 ; Lehmkuhl, I, n. 1135.
5. Delama, n. 317.

rei valorem. — **Quoad expensas voluptuarias**, hæc statuuntur: *a*) si ornamenta, sine rei detrimento, auferri possunt, possessor jus habet eas secum tollendi, quia nullum inde domini jus laeditur; *b*) si vero absque rei detrimento separari non possunt, distinguendum est : impensæ istæ enim rei valorem augent, vel non. In priori casu, æquitas videtur postulare ut dominus solvat id in quo rei valor augetur, quia secus dominus plus, quam suum est, reciperet. — In posteriori casu, nihil repetere vel retinere potest possessor : æquum enim non est, dominum cogi ad solvendos sumptus in res sibi inutiles factos [1].

319. *Juxta vero legem canadensem* [2], dominus compensare debet EXPENSAS NECESSARIAS, etiamsi non amplius exstent : quia eas prudens proprietarius ipse fecisset, nec debet plus quam suum est recipere. — QUOAD ALIAS EXPENSAS, dominus tenetur eas retinere si adhuc exstant et compensare si per ipsas augetur rei valor : secus enim dominus plus quam suum est reciperet. Sed tunc dominus habet optionem solvendi vel pretium meliorationis, vel pretium impensarum. Si vero meliorationes factæ ita graves sint ut dominus eas compensare non valeat, possessor bonæ fidei potest per sententiam judicis cogi ad rem alienam conservandam, soluto juxta æstimationem ejusdem rei pretio.——Tandem quandocumque possessor bonæ fidei habet jus ad compensationem obtinendam, ipse potest rem alienam retinere usquedum compensatio facta fuerit : secus enim exponeretur periculo perdendi id quod suum est.

Inter expensas autem deducendas, non sunt computandi CASUS FORTUITI, nec DAMNA PER ACCIDENS CAUSATA, v. gr. si in colendo agro alieno perierint equi possessoris bonæ fidei [3].

2. *De possessore malæ fidei*

320. DEFINITIO.—**Possessor malæ fidei est ille, qui rem accipit aut retinet sciens hanc esse alienam, et sibi nullum justum titulum esse ad hanc accipiendam aut retinendam** [4].

1. Génicot, I, n. 528 ; Noldin, II, n. 439 ; Tanquerey, II, n. 540, 541.
2. C. C., a. 417, 418, 419.
3. Ferreres, I, n. 643 ; Bucceroni, I, n. 1333.
4. Marc, I, n. 940 ; Cozzi, II, p. 350.

321. OBLIGATIONES. — **Possessor malæ fidei ex gemino titulo tum rei acceptæ, quia rem alterius detinet, tum damni illati, quia alteri injuste damnum intulit, ad restitutionem obligatur.** Unde possessori huic applicanda sunt ea quæ diximus tum de possessore bonæ fidei, tum de injusto damnificatore. Proinde datur regula generalis : **talis restitutio est facienda, ut possessor non ditescat ex re aliena, et ut dominus nullum damnum ferat, neque ditescat ex alieno** [1].

Ex hac autem regula generali deducuntur possessoris malæ fidei obligationes in particulari, quæ referuntur : A. AD IPSAM REM ; B. AD EJUS FRUCTUS ; C. AD EXPENSAS ; D. AD LUCRUM CESSANS ET DAMNUM EMERGENS.

322. A. QUOAD REM IPSAM. — Duplex fingi potest hypothesis : etenim possessor malæ fidei vel **ADHUC POSSIDET REM**, vel **JAM NON AMPLIUS EAM HABET**.

1a HYPOTHESIS. — Si possessor malæ fidei adhuc rem alienam possidet, eam domino quamprimum restituere debet : res enim clamat ad dominum. — Et quidem rem ablatam, non aliam ejus loco, restituere debet : nam in ipsam rem suam dominus jus habet, nisi adjuncta ea sint, ut dominus non possit esse rationaliter invitus, si rei æquivalens pretium restituatur, ut si fur sine infamia non posset rem ipsam reddere [2].

Quæstio tamen est, an emptor malæ fidei, ut recuperet pretium, possit rem furi restituere, antequam rem suam repetat dominus. Plures [3] autem negant, quia, emendo mala fide, in se periculum rei suscepit et factus est furti particeps ; aliunde nemini fraus sua patrocinari debet. — Verum affirmant alii [4] ut probabile, quia licet iste peccaverit rem mala fide emendo, post emptionem tamen habet jus, æque ac possessor bonæ fidei, ad contractum rescindendum rem furi reddendo ; nec injuriam domino infert, quia res tantum restituitur in pristinum statum, e quo sane non tenebatur ex justitia eam liberare.

1. Marres, I, lib. II, n. 33 ; Carrière, III, n. 1062 ; Cornelisse, II, n. 423.
2. Noldin, I, n. 441.
3. Salmanticenses, De Rest., cap. I, n. 83 ; Lessius, Lib. II, cap. XIV, n. 569 ; Billuart, Diss. VIII, art. X ; Dens, n. 46.
4. Sporer, Part. IV, cap. II, n. 130 ; Elbel, de Rest., n. 39 ; Lugo, Disp. XVII, n. 37 ; S. Alphonsus, IV, n. 570 ; Génicot, I, n. 529 ; Delama, n. 323.

323. 2a HYPOTHESIS. — Si possessor malæ fidei rem non amplius possidet, distinguendum est : **rem enim non amplius habet aut propria electione, aut quia res casu periit.**

324. *a*) Si **ex propria electione** non amplius rem possidet, sive quod eam destruxit, sive quod eam alteri donavit aut vendidit, et dominus eam recuperare non potest, ejus pretium restituere debet, etiamsi ditior non evaserit : etenim, utpote damnificator injustus, dominum læsum indemnem facere debet. Hinc qui ob simulatam paupertatem pensiones obtinent destinatas pauperibus adolescentibus, qui ad sacerdotium aspirant, tenentur ad restitutionem ; quia benefactorum voluntatem fraudant, cum commode propriis expensis studiorum curriculum conficere possint. Secus dicendum est, si propriam paupertatem exaggerant, ut fieri solet. — Item restituere debent, qui pravis moribus indignos statu ecclesiastico se reddunt. — Et idem dicendum est de iis, qui pauperes quidem sunt, sed ob alium finem studiis vacant ; non vero de iis, qui clericandi animum initio non excludentes, postea re maturius perpensa, cognoscunt se ad tale vitæ institutum non esse vocatos : hi enim satis in bona fide sunt, et ipsi benefactores nolunt ut non vocatus fiat sacerdos. — Item tenentur restituere vel domino vel veris pauperibus illi qui, ut eleemosynas accipiant, fingunt se pauperes ; quia isti nullum jus habent ad eleemosynam, nam qui eam erogant, veris tantum pauperibus opitulari intendunt. Non videtur tamen urgenda restitutio, si agatur de eleemosynis valde modicis, quales ostiatim mendicantibus dantur, etiamsi otiandi desiderio, dum laborare possent, mendicandi consuetudinem contraxerint, vel eleemosynæ partem in superfluis insumant : hæc deducuntur ex præsumpta dominorum voluntate. — Tandem non tenentur restituere veri pauperes, qui dicunt se probos, quando non sunt ; quia indigentia, non vero probitas est conditio, ad quam dans eleemosynam attendit, aut attendere præsumitur [1].

325. Attamen si quis accipit rem alienam cum rebus furis commixtam (v. gr. frumentum alienum cum frumento furis), accipiens, licet mala fide, non tenetur ad restitutionem, si fur restituendo par est ; quia acceptum jam proprium furis erat. Si

1. Marc, I, n. 942 ; Zaninetti, III, n. 1456 ; Delama, n. 319 ; S. Alphonsus, III, n. 622 ; Gury, I, n. 649 . Berardi, Praxis Conf., n. 478.

autem fur propterea non esset par restituendo, accipiens tenetur restituere ; quia per illam acceptionem efficaciter influit in alienationem rei, cum creditoris detrimento [1].

326. Qui vero rem alienam a periculo subduxit certo perituram et eam alio loco vel tempore consumit aut destruit, ubi jam non erat peritura, ex. gr. si bibitur vinum ex incendio ereptum, restituendus est valor rei consumptæ vel destructæ : nam res illa non cessavit ad dominum pertinere, licet summo periculo exposita fuerit, et quando periculo erepta est, iterum valorem suum recuperat. Ideo nequit destrui vel consumi nisi cum onere restitutionis. Semper tamen potest destructor deducere expensas a se factas et pretium laboris adhibiti ad rem e periculo liberandam. — Excipiunt plures probabiliter, si fur rem in certo periculo remanentem consumpserit eodem loco et intra idem tempus, quo præviderit rem apud dominum æque perituram, v. gr. esculenta vel poculenta incendio certo peritura : res enim non liberata a periculo, nullius est valoris pro domino [2].

327. Si autem possessor malæ fidei rem alteri vendidit et dominus comparans rem sibi vendicat (in casu evictionis), notandum est discrimen, quod in hoc casu inter emptorem bonæ fidei et malæ fidei intercedit. Si enim emptor sit in bona fide, tenetur venditor in mala fide restituere pretium ab emptore acceptum ; aliunde enim esset injustus detentor talis pretii, quia in omni venditione subintelligitur conditio : si res non sit aliena, vel a domino non reclametur. Si autem emptor sciverit rem a se emptam esse alienam, venditor malæ fidei non tenetur ei restituere pretium, quod acceperat : emptori enim, utpote scienti rem esse alienam, nulla fit injuria [3].

328. *b*) **Si res casu periit,** subdistinguendum est : *periit enim aut ex culpa furis aut sine ejus culpa.*

329. 1° *Si periit res ex culpa furis vel alterius cujuslibet,* tenetur fur ad restitutionem rei valoris, quia fur in utroque casu fuit causa damni efficax, sive ipse, sive alius ex negligentia

1. S. Alphonsus, III, n. 612 ; Marc, I, n. 940.
2. Lessius, lib. II, cap. XII, n. 93 ; S. Alphonsus, III, n. 620 ; Génicot, I, n. 529 ; Delama, n. 319.
3. Noldin, II, n. 441.

culpabili rem perdiderit, aut consumpserit, donaverit, destruxerit [1].

330. 2° *Si periit sine culpa furis vel alterius cujuslibet, sed mero casu,* generatim tenetur fur ad restitutionem rei valoris, quia fur rem subducendo totum illius periculum in se suscepit [2].——Attamen fur non tenetur ad restitutionem, si res fuisset peritura apud dominum eodem tempore et casu, seu ex vitio ejus intrinseco, quia tunc nullum prorsus damnum domino infertur. Ita v. gr. si equus mortuus est e senectute vel ex morbo, quem fur ordinaria cura avertere non poterat, ipse ad nihil tenetur, quia res ex eodem vitio etiam apud dominum periisset.—Probabilius hoc valet, etiam si res apud dominum certo fuisset peritura eodem tempore et in eodem periculo communi, quo apud furem periit, v. gr. in eodem incendio, vel in eadem publica calamitate : ratio est, quia tunc furtum non fuit causa efficax damni, sed res æque et eodem modo ac tempore periisset, licet non fuisset furto ablata [3]. — Dicitur vero : (*a*) si res apud dominum certo fuisset peritura eodem tempore ; quia si peritura fuisset antea, et furto adscribendum est quod non perierit, jam ad dominum, dum penes furem manebat, semper clamabat, nec periiset si jam fuisset restituta ; ergo fur ad restitutionem tenetur : si vero postea peritura fuisset apud dominum, urget eadem obligatio restitutionis pro fure, qui eo instanti, quo res penes se periit, obligationem æquivalens restituendi contraxit, quæ ex subsequenti facto non aufertur. — Dicitur : (*b*) in eodem periculo, quia ubi periculum est omnino diversum, bene potest imputari furi quod pereat, quia sine ejus furto res huic periculo exposita non fuisset, quamvis aliud discrimen subiisset [4]. Attamen probabiliter secundum plures [5] non tenetur fur restituere, quando res eodem tempore apud dominum ex alio periculo periisset, ex. gr. si frumentum furtivum navi furis impositum comburitur dum navis domini, cui subductum est, in eadem navigatione naufragio perit : quia perinde est, sive res in isto, sive in alio periculo intereat, quando utrumque discrimen simul cœxistat.

1. Delama, n. 319 ; Bucceroni, I, n. 1350 ; Ferreres, I, n. 647.
2. S. Alphonsus, IV, n. 620.
3. Lugo, disp. XVIII, n. 141 ; S. Alphonsus, IV, n. 620 ; Vogler, n. 501 ; Carrière, III, n. 1067.
4. S. Alphonsus, III, n. 620.
5. Lacroix, lib. III, par. II, n. 218 ; D'Annibale, II, n. 240 ; Génicot, I, n. 529 ; Ferreres, I, n. 647.

331. *B.* QUOAD FRUCTUS. — Possessor malæ fidei tenetur restituere **omnes rei fructus naturales, mixtos et civiles,** quos ex re aliena percepit, etiamsi dominus illos non percepturus fuisset : quia res fructificat domino, et ex lege canadensi [1] possessor, qui non est bonæ fidei, tenetur fructus domino cum re ipsa restituere. — Illudque verum est, etiamsi fructus illi essent consumpti, nec possessor exinde ditior evasisset : quia eo ipso quod exstiterunt illi fructus, fuerunt domini, ac proinde possessor statim non restituendo damnum intulit, quod tenetur reperare [2].— Attamen, moraliter loquendo, quando agitur de furto rei parvæ et valde communis, e. gr. gallinæ, sufficit, si valor rei illius restituatur, quia ex æstimatione communi dominus rei propriæ aliud damnum passus non est. Etenim, quum facile rem aliam similem sibi procurare possit et eam non acquirat, præsumitur non velle gallinam illam servare ad fructificandum per ova et pullos, adeoque censetur fructus habere pro derelictis. Hinc neque ova neque pullos ex ea obtentos restituere possessor malæ fidei debet [3].

Fructus vero industriales restituere non tenetur : hi enim non ex re sed ex possessoris industria oriuntur ; jamvero cuique suum est, quod propria industria acquirit. Unde qui cum pecunia aliena, etiam furto ablata, aut contra domini voluntatem adhibita, negotiando lucrum acquirit, non tenetur illud lucrum restituere [4].

332. *C.* QUOAD EXPENSAS. — *Ex jure naturali,* possessor malae fidei deducere potest **expensas tum necessarias tum utiles** : expensas enim necessarias ipse dominus fecisset ad rem sibi conservandam, et expensæ utiles rem ipsi augent et meliorem reddunt ; jamvero dominus ex re aliena ditescere non debet. — **Mere voluptarias autem expensas** non potest deducere : quia æquum non est ut dominus solvat expensas, quæ nullam sibi utilitatem afferunt ; quæ tamen, salva rei substantia, separari possunt, eas sibi retinere potest : nam nullum inde domini jus læditur [5].

1. C. C., art. 411.
2. Molina, Disp. 725, n. 4 ; Carrière, III, n. 1077 ; Marres, I, lib. II, n. 33.
3. Carrière, III, n. 1086 ; S. Alphonsus, III, n. 621 ; Gousset, I, n. 935 ; Bucceroni, I, n. 1347 ; Noldin, II, n. 4444.
4. Marres, I, lib. II, n. 33 ; Carrière, III, n. 1077 ; Noldin, II, n. 444.
5. Bucceroni, I, n. 1348 ; Noldin, II, n. 446.

333. *Ex jure canadensi* [1], **expensas necessarias** potest semper deducere : quia dominus tenetur eas conservare et ex re aliena ditescere non debet. Unde possessor malæ fidei rem alienam retinere potest, usquedum debita propter tales expensas compensatio obtenta fuerit. — Si autem agatur de **expensis non necessariis**, dominus rei potest aut cogere in omni casu possessorem malæ fidei ad eas tollendas ; aut eas retinere, soluto tamen vel earum pretio vel earum actuali valore ; aut permittere ut possessor eas tollat, dummodo earum ablatio utilitati sit ipsi possessori et fiat absque rei detrimento ; aut, ex his uno vel altero deficiente, eas retinere, quin teneatur ad ullam compensationem.

334. *D.* QUOAD LUCRUM CESSANS ET DAMNUM EMERGENS. — Tenetur possessor malæ fidei compensare totum detrimentum illatum domino ob damnum emergens aut lucrum cessans, saltem in confuso prævisum : quia fuit ejus causa efficax et injusta, ideoque ad æqualitatem ita restituere debet, ut dominus tantum habeat, quantum haberet, si res sua ablata non fuisset. — Censeri autem debent in confuso prævisa damna, quæ communiter evenire solent [2].

335. Hinc debet resarcire 1° **omne damnum emergens**, i.e., damnum illud quod dominus spoliatione rei suæ revera passus est ; ita v. gr. debet compensare damnum domino illatum eo quod equo per furtum sublato uti nequivit, vel quod frumentum sublatum in agro seminare nequivit ideoque messa caruit ; 2° **omne lucrum cessans**, i. e., illud lucrum quod dominus ex re sua percepisset : ita compensare debet fructus, quos ipse non percepit, sed quos dominus percepturus fuisset, et solvere fœnora, quæ dominus legitime ex pecunia percepisset, nisi constet dominum non fuisse hoc fœnus vel auctuarium percepturum, puta quia pecuniam suam otiosam servare solet. Hodie enim pro omni pecuniæ summa alii præstita legitime auctuarium exigi solet. — Quantitas autem auctuarii solvendi quandoque determinatur ex ipsis adjunctis, puta si subtrahuntur obligationes auctuarium producentes. Secus, ne plus quam damnum certo illatum compensetur, sufficiet restituere auctuarium quod communiter, cum

1. C. C., a. 417, 419.
2. S. Alphonsus, Homo Apost., X, n. 77 ; Zaninetti, III, n. 1457 ; Ballerini, III, n. 236.

Compound int. can't be demanded nisi prae-habeatur contractus specialis - Vigetne haec lex apud nos?

Compound interest

plena securitate capitalis, in singulis locis eo tempore percipi potest. Nullatenus autem tenetur fur ad tribuendum, ante sententiam judicis, auctuarium legale, quod solet multum excedere id quod communiter omnes tuto obtinere queant [1]. —— Si vero pecunia aliena per longum tempus injuste possessa fuerit, possessor malæ fidei per se et ex rigore justitiæ tenetur ad solvendum interesse compositum seu interesse ipsius auctuarii : debet enim compensare omne et totum lucrum cessans, quod est interesse compositum. Sed per accidens, si agatur de magna pecuniæ summa, non potest confessarius imponere strictam obligationem reddendi interesse compositum : tum quia, juxta legem canadensem [2], tale interesse non potest exigi, nisi de eo fuerit specialis stipulatio, tum recte præsumi potest condonatio facta a domino, qui est contentus recuperandi et suum capitale et interesse simplex. Latin.

336. Si vero dominus tantum jus ad lucrum habuerit, v. gr. si ablata fuerit pecunia quam mercator negotiationi exponere consueverat, possessor malæ fidei tenetur restituere pecuniam ablatam et compensare tantum spem lucri, quod percipere putabat dominus : nam ipse non habebat certitudinem sed solummodo spem lucri percipiendi et ideo solus ipsius spei valor est ei restituendus. — Quanti autem hæc spes æstimari debeat, hodie communiter dicitur non valere plus quam tertia pars summæ quam alter se esse lucraturum putabat [3].

337. Sed evenit aliquando ut, **durante possessione injusta, res habeat varium valorem**: sic v. gr. pullus fit equus, dein senescit, aut triticum modo 4, modo 5, modo 3 dollariis venditur. Hinc quæritur an res sit restituenda juxta majorem valorem quem habuit.

Prænotandum est possessorem malæ fidei teneri ad restitutionem omnium fructum naturalium, civilium et mixtorum quos ex re aliena percepit, atque ad compensationem totius injuriæ illatæ per damnum emergens et lucrum cessans, deductis tamen expensis necessariis et utilibus necnon pretio laboris impensi. Unde quæritur tantum de re ipsa.

1. Marres, I, lib. II, n. 33 ; Noldin, II, n. 445 ; Ballerini, III, n. 239 ; Génicot, I, n. 530.
2. C. C., a. 1078.
3. S. Alphonsus, H. A., X, n. 77 ; Zaninetti, III, n. 1457 ; Timothæus, II, n. 352.

Hodie recepimus concursus specialis ~~pro~~ in (hist.) premium S. Thomae redditus et and I didn't get even a smell at the 25 piastres - Deo Gratias.
7 Apr-1919.

Hæc quæstio solvenda est ex hisce generalibus juris principiis : *res crescit domino ; ex re aliena nemo cum injuria alterius locupletari debet ; integrum per injuriam domino illatum damnum restitutione reparandum est.* — Ad rectam vero horum principiorum applicationem, distinguendum est : scilicet RES ADHUC EXISTIT APUD POSSESSOREM, VEL NON AMPLIUS EXSTAT.

338. SI PRIUS, subdistinguendum est : *res enim vel accrevit vel deterior facta fuit.* — *a*) *Si res accrevit*, ex. gr. agnus accreverit in ovem, res ipsa cum incremento restituenda est domino : res enim domino crescit. — *b*) *Si res deterior facta fuerit*, ex. gr. vestis usu attrita fuerit aut equus junior olim ablatus senuerit, res reddenda est, atque insuper rei addendum est quanti deterior facta est : secus enim, dominus non reciperet quod suum erat. Unde si bos pinguis tempore injustæ detentionis factus fuerit macilentus, hæc deterioratio compensanda est. Excipiunt tamen plures, si res ex ipsa rei natura eodem modo apud dominum deterior facienda fuisset ; v. gr. si equus senex factus fuerit : tunc enim deterioratio hæc non est compensanda, quia res partialiter periit domino.

339. SI POSTERIUS, hæc tenenda sunt : *a*) quando constat rem, eo tempore quo erat majoris valoris, fuisse venditam aut consumptam a fure, vel casu fortuito imputabili perditam, vel a domino vendendam aut consumendam fuisse, possessor ad majus pretium reddendum tenetur. Ratio primi est, quia valor rei crescit in domini beneficium ; secundi est, quia injustus possessor in se totum rei periculum sumpsit ; tertii est, quia injusta detentio fuit hujus majoris damni efficax causa. — *b*) Quando e contra constat rem casu periisse apud furem vel fuisse consumptam aut venditam eo tempore quo erat minoris pretii et quo fuisset a domino vendenda aut consumenda, possessor ad minus pretium restituendum tenetur : nam revera ipse ditior non est factus ex re aliena, et dominus nullum damnum exinde passus est. — *c*) In omnibus aliis casibus, quia non constat de majori obligatione, urgenda est compensatio valoris quem res tempore furti habebat [1].

1. Timothæus, II, n. 353 ; Noldin, II, n. 443 ; Marres, I, lib. II, n. 36 ; Delama, n. 320 ; Lessius, lib. II, cap. XII, n. 103 ; D'Annibale, II, n. 240 ; Génicot, I, n. 531.

340. Si vero res aliena **per manus plurium malæ fidei possessorum** transierit ex donatione aut venditione, hæc tenenda sunt : 1° Quoad rem, hæc restituenda est ab ultimo possessore, qui eam adhuc tenet vel in alium valorem mutavit, aut consumpsit, aut quovis modo amisit. Hoc autem deficiente, tenetur raptor pro pretio rei. Quodsi neuter satisfaciat, ceteri per æquas portiones rei pretium solvere debent. Tandem, in cœterorum defectu, quisque ad totum tenetur. —— 2° Quoad rei fructus et damna, singuli ad compensationem tenentur pro rata temporis, quo rem detinuerunt. Si autem reliqui pro sua damnificationis et fruitionis parte non restituant, totius damni reparatio unicuique incumbit, pro rata temporis elapsi a die, quo successive facti sunt rei alienæ injusti possessores [1].

341. NOTANDUM. — Quando restitutio rei alienæ imponenda est, confessarius non nimis auxie cum pœnitente computet admodum incertum quandoque pretium tum rei ipsius tum illius fructuum atque deducendos sumptus aut forte erogatos aut forte impensos pro labore et industria, nec scrupulose æstimet damnum cujuslibet generis domino forte illatum ; sed rem, spectatis circumstantiis, nomine domini, cujus res utiliter gerit, ex æquo et bono cum injusto possessore componat : 1° ne nimium petendo fortasse nihil obtineat ; 2° quia rationabiliter præsumere potest dominum, quo certius rem suam recuperet, in restitutione sibi debita non ultimum exigere quadrantem ; 3° quia injusti possessores non omne damnum illatum etiam in confuso prævidere solent [2].

3. *De possessore dubiæ fidei*

342. DEFINITIO. — **Possessor dubiæ fidei ille est qui ex gravi et probabili ratione dubitat num res quam detinet, sit sua an aliena** : unde ad hoc non sufficit ratio mere negativa aut omnino levis. — Quando rem bona fide quis possidere cœpit, et postea ortum est dubium, DUBIA FIDES DICITUR

1. Gury, I, n. 650 ; Ærtnys, I, n. 312 ; Ferreres, I, n. 650 ; Marc, I, n. 942.

2. Marres, I, lib. II, n. 39.

SUPERVENIENS ; si dubium ipsam occupationem præcesserit, DUBIA FIDES ANTECEDENS vocatur [1].

343. OBLIGATIONES.—I.—**Omnis possessor dubiæ fidei tenetur ea diligentia, quæ rei valori et dubii gravitati correspondet, serio inquirere, ut dubium deponat.** Ratio est, quia dubium hujusmodi contemnens exponit se periculo rem alienam retinendi, ac frustrandi alium saltem spe dominii [2]. — Ad hanc vero inquisitionem possessor dubiæ fidei tenetur ex justitia, si habeatur dubia fides antecedens : quia non potest rem accipere nisi ineundo quasi-contractum de domino quærendo, ita ut non se exponat periculo juris alieni violandi. Si autem habeatur bona fides superveniens, plurimi tenent possessorem obligari ex justitia : nam diutius, dubio non purgato, rem detinendo, se exponit periculo violandi juris alieni ; sed alii merito dubitant de obligatione justitiæ ideoque tenent possessorem tunc teneri tantum ex caritate : domino enim jus non est ut alii eum quærant, sed potius ipsi probandum est se esse dominum. Revera qui cœpit bona fide possidere præsumitur dominus. Unde ex justitia ad hoc solummodo teneri videtur possessor ne studeat suam possessionem abscondere sicque domini (si forte res sit aliena) inquisitiones difficiliores reddat [3].

344. II.—**Dum fit inquisitio, possessor dubiæ fidei non potest re uti aut abuti tanquam proprietarius**, quia non constat de dominio; nec potest eam alienare, nisi novum possessorem de existente dubio præmonuerit et pretium minuerit, ne is fraudem et damnum patiatur. — Potest autem eam accipere non animo retinendi, ut patet, sed animo reddendi domino, si hic post diligentem inquisitionem compareat. Imo, si res sit usu consumptibilis nec diu servari potest, eam consumere licet, dummodo possessor animo paratus sit domino comparenti rem restituere in æquivalenti [4].

345. III. — **Domino comparente, possessor dubiæ fidei semper tenetur restituere rem aut ejus æquivalens**, quia res

1. Tanqueray, II, n. 549 ; Marc, I, n. 944.
2. Marc, I, n. 944 ; Génicot, I, n. 533 ; Ferreres, I, n. 652 ; Ærtnys, I, n. 313.
3. Piscetta, III, n. 85.
4. Marc, I, n. 940 ; Voit, I, n. 816 ; Bouvier, de Jure, p. II, cap. 2, art. I ; Morino, n. 997.

clamat ad dominum; — debet restituere, in casu dubiæ fidei antecedentis, omnes rei fructus naturales, civiles et mixtos, quos percepit, quia res fructificat domino ; in casu autem dubiæ fidei supervenientis, id tantum in quo ditior factus est a tempore ipsuis dubiæ fidei, quia antea, qua possessor bonæ fidei, juxta legem canadensem, suos fecit fructus a se perceptos, et postea non deliquit ideoque solummodo non debet ex re aliena ditescere; —— potest tamen in omni casu deducere expensas necessarias ac utiles necnon pretium laboris adhibiti, ne dominus plus recipiat, quam suum est.

346. IV. — **Perseverante autem dubio post adhibitam diligentiam requisitam,** IN CASU SUPERVENIENTIS DUBIÆ FIDEI, **possessor**, juxta sententiam communem, **potest rem totam sibi retinere** ex regula 65a juris : in pari causa vel dubio melior est conditio possidentis. Etenim possessio bona fide incœpta fundat præsumptionem certam de justitia possessionis, et proinde possessiori jus certum tribuit, quod a mera probabilitate superari non potest. — Idque communius et probabilius valet, etsi possessor habeat pro se opinionem probabilem et contra se probabiliorem ; imo etsi habeat pro se solam possessionem et contra se opinionem unice probabilem, quia possessio est jus præsumptum certum retinendi, contra quod non prævalet nisi certitudo.—— Hinc potest talis possessor præscribere et, verificatis omnibus conditionibus, per prescriptionem fit verus rei dominus. Proinde si dominus rei compareat post factam præscriptionem, ad nihil tenetur possessor. Insuper, ante completum præscriptionis tempus, potest possessor rem consumere, vel alienare, monito tamen emptore de dubio adhuc vertente et imminuto pretio, propter periculum evictionis forsan a domino faciendæ. Si vero dominus compareat, solum tenetur possessor restituere id, in quo ditior factus est, ut dictum fuit de possessore bonæ fidei [1]. Tandem possessor hujuscemodi, qui rem alienam consumpsit et dubitat, num ex illa ditior sit factus, ad restitutionem non obligatur, quia certo possessionis jure privari nequit, nisi moraliter constet illum rem alienam in æquivalenti detinere [2].

In l. ge Ant li tana li quunt dividendi.

1. S. Alphonsus, lib. I, n. 35 ; Lugo, disp. XVII, n. 86 ; Lacroix, n. 663 ; Carrière, III, n. 1094 ; Delama, n. 324 ; Ferreres, I, n. 652.
2. Marres, I, lib. II, n. 47.

IN CASU DUBIÆ FIDEI ANTECEDENTIS, distinguendum est : *possessor enim, stante dubio, vel abstulit rem a domino aut a possessore bonæ fidei, vel occupavit rem ab incerto domino possessam, vel accepit rem a nemine possessam, vel rem emit aut accepit donatione.*

1° *Qui in dubio rem abstulit ab illo qui erat dominus aut qui bona fide possidebat*, tenetur rem totam priori possessori restituere et damna ex injusta ablatione secuta resarcire : quia in pari causa melior est conditio prioris possessoris, utpote possidentis [1].

2° *Qui in dubio occupavit rem ab incerto domino possessam*, tenetur rem cum domino probabili ex æquo dividere : quia neutri possessio favet [2].

3° *Qui rem occupavit a nemine possessam*, dubitans an esset aliena (v. gr. duo horologia perquam simillima sed ad diversos dominos pertinentia fuerunt ad aurificem delata ; casu quodam unum periit, et unus ex dominis alterum, quod superfuit, accepit, dubitans utrum sit suum, an alienum), rem dividere tenetur, quia in pari dubio uterque jus habet ad rem. Unde si dubium sit æquale, res æqualiter inter illos est dividenda ; si vero dubium sit inæquale, dividenda videtur juxta dubii proportionem. Quod si res dividi nequeat, vendenda est, ut dividatur pretium ; vel ex consensu partium est concedenda uni, qui obligatur ad jus alteri seu aliis reddendum, aut etiam in sortes conjicienda, ut ei tribuatur, cui sors favebit [3]. —— Qui vero primus rem occupavit, dubitans num a domino sit derelicta, atque inquisitione facta nullus neque probabilis rei dominus anterior detegi potest, rem revera a domino derelictam habere potest, et ideo illam legitima occupatione sibi acquirere valet [4].

4° *Qui rem emit dubitans*, num res sit venditoris, aut rem accepit dubitans, num sit donatoris, si postea constet venditorem aut donatorem fuisse bonæ fidei, potest antecessoris jure se tueri et haberi ut possessor bonæ fidei, cui supervenit dubium, nam antecessor et successor unicam personam moralem ex jure efficiunt ; — si econtra constet venditorem aut donatorem fuisse malæ fidei, propten eamdem rationem tenetur emptor aut donatarius ad restitutionem ut possessor malæ fidei ; idem tenendum est, si

XXX Possedit et succedit omnia jura praedecessoris

1. Génicot, I, n. 534 ; Lugo, disp. XVII, n. 81.
2. Lacroix, lib. III, p. II, n. 566 ; Marres, I, lib. II, n. 43.
3. Lacroix, l. c., n. 556 ; Sanchez, Decal., lib. II, c. XXIII, n. 173 ; Carrière, III, n. 1101 ; Ferreres, I, n. 656 ; Piscetta, III, n. 89 ; Zaninetti, III, n. 1462.
4. Marres, I, lib. II, n. 43.

dubitet emptor aut donatarius an cum tali dispositione suam possessionem inceperit venditor aut donator, quia semel malus semper præsumitur esse malus, juxta regulam 8am juris in Sexto [1]; — perseverante autem dubio circa fidem venditoris aut donatoris, juxta alios [2] debet restituere pro rata dubii probabili domino vel pauperibus, si dominus ignoretur, quia possessio incœpta cum dubia fide ipsi non favet, et ideo non potest totum retinere, nec aliunde videtur ad totum restituendum, cum dubitet utrum res sit aliena ; juxta alios [3], probabiliter potest rem retinere, quia potest tunc formare conscientiam ex hoc principio : nemo præsumitur malus, nisi probetur, et aliunde constat non esse imponendam obligationem nisi de ea certo constet.

Tandem qui mala fide incepit possidere, et postea dubitat an res sit aliena, habendus est ut qui dubia fide incepit : nam prior æstimatio falsa repiritur, et ideo non attenditur [4].

347. V. — Possessor dubiæ fidei, qui culpabiliter negligit debitam inquisitionem [5], ita ut non possit postea veritatem detegere, IN CASU DUBIÆ FIDEI ANTECEDENTIS, **tractandus est ut possessor malæ fidei** : peccavit enim contra justitiam negligendo inquisitionem, cum sciverit se non posse juste sine examine rem retinere. Proinde si dominus postea comparet, obligandus est possessor ad rem domino reddendam, et ad damna omnia ei resarcienda ; si autem dominus non comparet, possessor debet pauperibus aut causis piis restituere rem et omnes fructus naturales, civiles et mixtos, quos ipse percepit [6]. Unde nullatenus a restitutione eximendi sunt, qui res a furibus aut fraudulentis decoctoribus emunt, dubitantes de legitima harum rerum possessione, atque studio nihil inquirunt, ne fraudis certitudinem habeant : hi enim non dubia sed mala fide agunt, cum ignorantia affectata scientiæ æquiparetur [7].

1. Marc, I, n. 945.
2. S. Alphonsus, IV, n. 625 ; Lugo, disp. XVII, n. 83 ; Lessius, lib. II, cap. XIV, n. 15 ; Noldin, II, n. 449.
3. Bucceroni, I, n. 1327 ; Piscetta, III, n. 88 ; Ferreres, I, n. 652.
4. Gury, I, n. 653 ; Génicot, n. 534 ; Ferreres, I, n. 653.
5. Ille solum inquisitionem culpabiliter negligere censetur, qui ex gravi negligentia eam omittit, quamdiu spes probabilis affulget fore, ut dominus inveniri possit : qui ergo ex inadvertentia vel ignorantia invincibili, vel bona fide putans dominum inveniri non posse, vel ex levi negligentia inquisitionem omittit, eam inculpabiliter neglexisse censetur. (Noldin, II, n. 448).
6. Ærtnys, I, n. 314 ; Lessius, cap. XIV, n. 83 ; Carrière, III, n. 1088 ; Ferreres, I, n. 654.
7. Marres, I, lib. II, n. 47.

Preparation for exams on.

April 22. 1919 – 8.30 P.M. – a hard day – worth perpetuating its memory – I'm weak – why?
Menu for today: veal which even the Frenchmen turned down eaten.
Dinner. 1 Soup – thin 2 ½ potato in gravy 3 Corn syrup – very scarce 4 Bread (no tea, no milk)
Supper (a) Same veal (tomorrow too) (b) ½ plate rice – no more (c) Bread & Butter & tea

IN CASU AUTEM DUBIÆ FIDEI SUPERVENIENTIS, **negligens culpabiliter inquisitionem tenetur juxta plures** [1] **aliquid restituere vel domino præsumpto vel pauperibus, si dominus sit incertus** : quia cum ipse culpabiliter dominum privarit spe, quam dominus ad rem habere poterat, et illa spes fuerit quidem pretio æstimabilis, jam damnum certum est illatum domino, qui spem illam certe possidebat. Non debet tamen restituere pro quantitate dubii, sed minus, et forte valde minus : possessio enim rei multo quidem majoris æstimatur, quam possessio spei. —— Sed **alii** [2] **probabiliter dicunt eum ad nihil teneri** : quia incertum est an omissio investigationis fuerit causa damni, et ipse in suum favorem semper potest invocare illud principium : melior est conditio possidentis, donec alter jus suum certum probet.

III. De cooperatione injusta

348. DEFINITIO. — Cooperatio in genere definitur participatio quædam ad actionem alterius ; seu est concursus cum alio operante. Prout hic accipitur et **injusta** dicitur, **cooperatio est concursus cum alio injuste damnum inferente. Unde cooperans seu cooperator dicitur ille, qui simul cum alio est causa damni seu damnosæ injuriæ alterius sive sit causa secundaria sive aeque principalis sive mediata sive immediata, sive positiva sive negativa** [3]. — Hinc cooperatio hæc ab ea, quæ est læsio caritatis, eo differt quod hic agitur *a*) de cooperatione ad peccatum contra justitiam, in tractatu de caritate sermo est de cooperatione ad peccatum contra quamcumque virtutem ; *b*) de cooperatione quacumque, sive cooperans est causa æque principalis sive secundaria, alibi de cooperatione cum altero principaliter agente [4].

1. S. Alphonsus, lib. I, n. 37 ; Ærtnys, I, n. 314 ; Lugo, disp. XVII, n. 84.
2. Bucceroni, I, n. 1353 ; Ballerini, III, n. 215 ; Génicot, I, n. 534 ; Noldin, II, n. 448 ; Zanninetti, III, n. 1462.
3. Ojetti, I, n. 1605 ; Noldin, II, n. 467.
4. Noldin, II, n. 147, c.

349. Cooperatio autem ad damnum proximi novem modis fieri potest, qui his versibus continentur :

JUSSIO, CONSILIUM, CONSENSUS, PALPO, RECURSUS,
PARTICIPANS, MUTUS, NON OBSTANS, NON MANIFESTANS [1].

350. 1° **Mandans seu jubens** in genere dicitur ille, qui negotium suo nomine et in suam utilitatem gerendum alteri id gratis suscipienti committit. Sed hoc in loco mandans seu jubens dicitur quicumque alium quacumque ratione inducit ad damnum tertio, suo nomine, inferendum. — Unde hoc essentiale est ut inter utrumque intercesserit mandatum, i. e. contractus quo quis officium vel negotium suscipit exsequendum in gratiam alterius seu ejusdem nomine. Parum igitur refert utrum ille, qui alium ad damnum inferendum adhibet, vera auctoritate in eum polleat, necne ; similiter parum refert quo modo usus sit ut alium ad damnum inferendum induceret, utrum metu an spe mercedis, præcepto an precibus : de ratione enim mandati solum est, ut mandatarius nomine mandantis agat. — Proinde *mandans* est causa damni principalis et primaria ; *mandatarius* seu executor est ejus causa instrumentalis et secundaria.——Mandatum vero dari potest : EXPLICITE, scilicet imperio, minis, precibus, spe mercedis aliove actu quo positive moveatur alter ad proximo nocendum ; IMPLICITE, si factis vel dictis quis alteri significat damnum alii illatum sibi gratum fore. Hinc occisio S. Thomæ Cantuariensis imputatur Henrico II, Angliæ regi, qui sœpius coram aulicis suis conquerebatur se pacem non posse habere cum uno sacerdote, ita ut isti intelligerent gratos se regi facturos, si Thomam e medio tollerent. — Attamen mandatum non est confundendum cum RATIHABITIONE, qua quis datum jam damnum approbat, cum hæc in patratum jam facinus nullatenus influere possit [2].

351. 2° **Consulens** dicitur ille qui efficaciter movet alium ut hic suo nomine alteri damnum inferat : unde de ratione consilii est, ut tamquam causa moralis voluntatem executoris ad damnum moveat. — Hinc CONSULENS a MANDANTE eo differt, quod mandatarius nomine mandantis, executor consilii autem non

1. S. Thomas, II-II, q. 62, a. 7.
2. Delama, n. 333 ; Génicot, I, n. 536 ; Noldin, II, n. 471 ; Marc, I, n. 978 ; Haine, II, q. 140 ; Tanqueray, II, n. 492 ; Marres, I, lib. II, n. 82.

consulentis, sed ordinarie proprio nomine et in proprium utilitatem agit : quare consulens relate ad executorem causa damni secundaria, executor consilii ejusdem causa primaria est. Si tamen consulens unice in proprium commodum dat consilium, ipse mandanti æquiparatur estque causa damni primaria.—Consilium autem diversis modis dari potest : rationes et motiva suggerendo, precibus, hortationibus, promissis, blanditiis, viam et modum ostendendo, etc. ; et dividitur IN DOCTRINALE ET IMPULSIVUM. DOCTRINALE vero est illud quo quis pronuntiat de bonitate aut malitia, justitia aut injustitia cujusdam actionis, v. gr. talem contractum esse licitum, in tali casu non adesse obligationem restituendi, etc. IMPULSIVUM habetur, quando, supposita actionis justitia aut injustitia, aliquis eam suadet seu alium impellit ad eam peragendam in proprium commodum executoris. — Utrumque consilium potest esse vel SIMPLEX SEU NUDUM, VEL VESTITUM. CONSILIUM DOCTRINALE DICITUR NUDUM, si consulens pronuntiet tantum de actione, non allatis rationibus aut probationibus ; VESTITUM autem, si adjungat rationes, sophismata, etc. Pariter CONSILIUM IMPULSIVUM ERIT NUDUM, si consistat in mera suasione seu hortatione ; VESTITUM autem, si insuper proponantur motiva vel media executionis. Illud est inter utrumque discrimen, quod in consilio nudo executor movetur sola voluntate vel auctoritate consulentis, ideoque consilium nudum retractatione amittit rationem causæ vimque influendi in voluntatem alterius et fit mera occasio damni ; in consilio autem vestito executor movetur præterea rationibus, commodis, etc., et quasi duplici impulsu ducitur, ideoque consilium vestitum pergit influere, etsi retractatum fuerit, nisi motivis contrariis æque efficacibus elidatur [1].

352. 3° **Consentiens** dicitur ille qui injusto suffragio, voto vel sententia, est causa efficax alterius damni. Huc veniunt illi, qui communi consilio aliquid decernunt vel faciunt ; item consiliarii, deputati, senatores, judices, etc., qui ad leges vel sententias condendas, ad officia distribuenda, etc., positive concurrunt. — Dicitur : causa efficax ; ita ut non confundatur consentiens cum illo, qui de damno inferendo aut jam illato simpliciter gaudet, delectatur, sibique complacet. Talis quidem peccat

1. Cornelisse, II, n. 396 ; Noldin, II, n. 474 ; Carrière, III, n. 1175.

contra justitiam affective, non vero effective, quippe qui non influat in damnum, quod a suo consensu nullatenus dependet. — Consentientis suffragium est vel *consultativum*, vel *decretorium*, prout datur per modum consilii tantum, vel per modum sententiæ, vi cujus executio fieri debet [1].

353. 4° **Palpo** dicitur, qui laudibus, adulationibus aut etiam exprobrationibus movet aliquem ad inferendum damnum, vel ad illatum non reparandum : puta, injuriam acceptam exaggerando aut exprobrando, a viro nobili non ferendam dictitando, vindictam extollendo, patientiam irridendo, ignaviam exprobrando, et similibus. — Ut quis verus habeatur palpo, necesse est, ut advertat se suis laudibus vel vituperiis causam ponere damni, etiamsi illud non intendat. Quare non excusatur ex eo, quod dicat se non fecisse animo movendi ad tale damnum [2].

354. 5° **Receptans** seu recursum præbens est ille, qui alteri securitatem vel protectionem præstat, ut damnum inferat, vel ne illatum reparet. Duplici modo id fieri potest, aut rem alienam receptando, aut damni auctorem protegendo. — Unde de ratione receptantis est, ut sua agendi ratione in damnificantis voluntatem influat vel ad damnum denuo inferendum vel ad retinendum ablatum determinet. Ergo receptantes non sunt : *a*) qui malefactores domi recipiunt ut amicos et consanguineos, vel ratione officii ut caupones, vel ad grave damnum a se avertendum ; *b*) qui fures vel malefactores defendunt in judicio, in iis, in quibus ipsi se defendere possunt ; *c*) qui fures aut malefactores recipiunt et occultant, dum eos lictores insequuntur, ex commiseratione, ne capiantur, infamentur, pœnam præsertim capitalem luant, dummodo tamen fugientibus non præbeatur spes similis in posterum recursus, qua confisi, tunc evadentes, non solum non restituant ablata, sed et nova damna rursus inferant. Sed econtra receptantes sunt : *a*) tabernarii, qui fures in hospitium recipiunt eosque occultant, ne capiantur ; *b*) caupones, qui a filiisfamilias acceptant pecunias aliasve res clam parentibus ablatas ; *c*) veteramentarii, qui promiscue omnia ad ipsos delata vili pretio emunt, cum tamen facile suspicentur res illas esse furtivas ; *d*) parentes,

1. Marc, I, n. 983 ; Zaninetti, III, n. 1474 ; Marres, I, lib. II, n. 98 ; Haine, II, q. 146.
2. Haine, II, q. 147 ; S. Alphonsus, III, n. 567.

qui non impediunt furta filiorum eisque hoc modo animum addunt ad furta iteranda [1].

355. 6° **Participans** hoc in loco dicitur ille qui concurrit cum alio in præda surripienda vel in crimine patrando. Unde duplex datur participans : *a*) PARTICIPANS IN PRÆDA, qui partem rei injuste ablatæ accipit ; *b*) PARTICIPANS IN CRIMINE seu in actione injusta, qui auxilio præstito, v. gr. instrumenta præbendo, excubias agendo, alium ad maleficium perpetrandum adjuvat. — Participans autem in actione injusta potest cooperari vel FORMALITER vel MATERIALITER. COOPERATIO FORMALIS est actio, qua quis concurrit ad malam alterius actionem cum ejusdem cognitione et volitione. COOPERATIO MATERIALIS dicitur actio, qua quis concurrit ad malam alterius actionem sine ejus volitione. Dein cooperatio potest esse *immediata vel mediata* : dicitur autem *immediata,* quando fit per actionem, ex qua damnum alienum, nulla actione aliena interposita, sequitur, v. gr. si quis cum socio rem alienam aufert, portas et fenestras effringit, etc. ; dicitur vero *mediata,* quando fit per actionem, ex qua per alterius malitiam tantum damnum alienum sequitur, v. gr. si quis alteri gladium aut vendit, aut mutuatum reddit, si quis alteri portas effringenti instrumenta effractionis porrigit, si furi scalam apponit, aut res ab alio jam ablatas portat aut vehit [2].

356. 7° **Mutus** est ille qui, antequam damnum inferatur, illud non impedit, saltem monendo, dum potest ac debet, v. gr. custos domus qui, adveniente fure, non clamat.

357. 8° **Non obstans,** dicitur qui, dum malum infertur, illud non impedit, dum ad id tenetur, v. gr. satellites, qui injustum aggressorem non prohibent ab occidendo innocente.

358. 9° **Non manifestans** dicitur qui, post damnum illatum, non denuntiat damnificatorem, dum potest ac debet id præstare, v. gr. custodes vectigalium, qui nil dicunt de eis qui tributa defraudant [3].

359. DIVISIO. — Cooperatio injusta dividitur : *a*) **ratione modi,** et est POSITIVA aut NEGATIVA. POSITIVA consistit in actione,

1 Noldin, II, n. 483 ; Haine, II, q. 148 ; Zaninetti, III, n. 1477.
2. Morino, I, n. 1025 ; Noldin, II, n. 484 ; Müller, II, p. 135 ; Marres, I, lib. II, n. 105.
3. Tanqueray, II, n. 511 ; Zaninetti, III, n. 1481.

quæ cum alio injuste damnum infert : hanc cooperationem adhibent mandans, consulens, consentiens, palpo, recursum præbens et participans. — NEGATIVA consistit in omissione actionis ex justitia debitæ ad damnum impediendum : ita cooperantur mutus, non obstans, non manifestans. — Utraque PHYSICA et MORALIS esse potest. COOPERATIO POSITIVA MORALIS in voluntatem damnificantis influit et existit apud mandantem, consulentem, palponem et quandoque recursum præbentem. PHYSICA cum actione damnificantis concurrit seu damnificantem in damno inferendo adjuvat, et existit apud consentientem, participantem et aliquando recursum præbentem. — COOPERATIO NEGATIVA MORALIS consistit in omissione actionis ex justitia debitæ, qua damnum per influxum in voluntatem damnificantis impediri debet, ut si quis omittit consilium aut mandatum, quo alium a damno inferendo avertere potest ; COOPERATIO NEGATIVA PHYSICA consistit in omissione actionis, qua per influxum in actionem damnificantem damnum impediri potest, ut si custos furem non abigit.

360. *b*) **Ratione objecti,** cooperatio habetur CIRCA IPSAM SUBSTANTIAM DAMNI, vel CIRCA MODUM DAMNI INFERENDI. Dicitur QUIS INFLUERE IN SUBSTANTIAM DAMNI, si aliquem inducit ad damnum inferendum vel si personam determinat cui damnum inferatur. — Dicitur vero IN MODUM INFLUERE, qui personæ, jam per se determinatæ ad tale damnum inferendum, suadet tantum ut damnum hoc vel illo modo, hoc vel illo tempore inferat. Notandum est tamen quod si modus ita animum damnificantis afficiat ut efficaciter in ejus pravam voluntatem influat, v. gr. si quis modum suadet ea obstacula removendi, quibus damnificator a nocendo deterrebatur, ejus suasio in substantiam damni influit [1].

361. OBLIGATIO. — A. — **Restitutio.** — I. — Certum est teneri ad restitutionem cooperantes, quando efficaciter influunt in damnum. — Illud constat : — *a*) ex omnium doctorum consensu ; — *b*) quia tunc sunt revera causa damni injusti illati, licet non unica, ac proinde damnum ipsum intulisse censentur ; — *c*) contrariam propositionem damnavit Innocentius XI : « Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati. » — Ergo etiam

1. Noldin, II, n. 467 ; Morino, I, n. 1012.

cooperatio negativa, qua non impeditur damnum alterius, quod ex justitia impediri debuisset, inducit obligationem restitutionis. Impedire damnum aliorum per se quidem ad caritatem pertinet æque ac conservare et promovere aliorum bonum, quia justitia commutativa id solum exigit, ne aliorum jura violemus neve eis damna inferamus ; per accidens tamen, scilicet ex contractu vel ex officio seu quasi-contractu, adesse potest obligatio justitiæ procurandi aliorum bonum et impediendi aliorum damna. [2]

362. II. — Ut injusta cooperatio obligationem restitutionis inducat, hae conditiones requiruntur : ut EA SIT VERA INJUSTA, DAMNI EFFICAX et THEOLOGICE CULPABILIS : etenim actio, qua proximo damnum injuste infertur, solum sub hac triplici conditione obligationem restitutionis inducit. Porro, ut verificentur hae conditiones, requiritur : *a*) CULPA SEU INJURIA FORMALIS : id enim requiritur ut quis teneatur titulo injustæ acceptionis. Hinc quidquid cooperantem excusat ab omni culpa, ut est ignorantia aut inadvertentia inculpabilis vel necessitas materialiter cooperandi, etiam ipsum liberat ab onere restitutionis. Excipitur participans in re tantum bona fide, qui sine culpa teneri potest titulo rei acceptæ. — *b*) Requiritur ut DAMNUM REIPSA SECUTUM SIT, quia præter injuriam formalem requiritur etiam materialis : alias enim cooperator non foret causa injusti damni effective, sed tantum affective, quod nihil facit ad obligationem restituendi. — *c*) Requiritur ut damnum secutum sit ex ipso influxu cooperantis ita ut hic ACTIONE SUA CULPABILI VERE INFLUXERIT IN DAMNUM : ratio est quod si damnificatio ex cooperatione non sequatur sed aliunde provenerit, vel non fuerit causata, actus cooperantis fuit inanis et sine effectu, nec adeo restitutioni obnoxius esse potest. Exinde sequitur quod si v. gr. fur ex mandato vel consilio Petri nullatenus motus fuerit ad inferendum damnum, Petrus non tenetur ad restitutionem, etiamsi fur damnum mandatum aut suasum intulerit : quia licet Petrus illud mandando vel consulendo affectu peccaverit contra justitiam, non fuit tamen vera causa damni, cum influxus non fuerit efficax. Id autem in cooperatione morali plerumque tum locum habet, ubi damnificans ex se et independenter a cooperante ad damnum inferendum jam determinatus est. Atvero si quis vere in damnum influxerit, a

2. Haine, II, q. 138 ; Carrière, III, n. 1163 ; Noldin, II, n. 468.

restitutione non liberatur ex eo quod sine ejus influxu damnum equidem fuisset illatum : etenim attendi non debet quid evenisset, sed quid revera evenerit, et in moralibus nihil vetat plures esse causas adæquatas moventes ad eumdem actum. Hinc sicut qui alterum occidit vel alterius domum comburit, non ideo excusandus est, quia alius equidem fecisset, ita efficax cooperator a restitutione non liberatur ex eo quod damnificans jam determinatus fuerit ad damnum inferendum ; si autem v. gr. Titius ad damnum inferendum efficaciter moveatur consilio distincto duorum, quorum unus istud, alter aliud, sed uterque sufficiens et adæquatum damnificandi motivum suggessit, uterque tanquam cooperans, ad restitutionem tenetur, licet sine alterutrius consilio damnum adhuc fieret vel illatum fuisset. Unde rejicienda est hæc regula : cooperatio moralis non inducit obligationem restitutionis, si damnificans ad damnum inferendum jam erat determinatus, vel si damnum etiam sine ejus influxu illatum fuisset.

Cooperans autem censetur fuisse causa efficax damni, si damnum inferens utatur mediis a cooperante suggestis ; si fecerit aliqua quæ cooperans suggessit quæque alias non facile fecisset ; generatim si actio cooperantis nata fuerit movere animum executoris, et damnum secutum fuerit, nisi ex circumstantiis eruatur contrarium.

Igitur cooperatores ad restitutionem tenetur prout injuste et efficaciter influxerint, adeo ut si efficaciter in totius damni substantiam influxerint, ad totius damni reparationem teneantur ; et si ad partem cooperati fuerint, ad partem teneantur. ——Si vero tantum in modum, licet plures graves auctores doceant cooperantes teneri ad reparationem totius damni, attamen dicendum est cum pluribus auctoribus, etiam rigidioris doctrinæ, cooperantes non teneri ad restituendum totum, sed solum in quantum circumstantia in quam influxerunt est damnosa : quia non sunt causa totius damni, sed solum illius circumstantiæ. — Cavendum tamen ne ex mutatis circumstantiis inducatur influxus in ipsam substantiam, ut aliquando accidere potest. Sic v. gr, si quis causa sit cur damnum inferatur hodie potius quam crastino die, poterit teneri de toto damno, aut de magna illius parte, quia sæpe adest spes, posita dilatione, vitandum fore

damnum. Idemque, aut aliquid simile locum habere potest quandoque quoad alias circumstantias. [1]

363. Unde 1° **mandans** tenetur *a*) ERGA DAMNIFICATUM reparare damnum injustum ipsi *ex vi mandati* illatum, et saltem in confuso prævisum : ratio est, quia mandato suo est causa efficax et culpabilis damni injusti ; qui enim facit per alium, per se facere censetur. Igitur mandans tenetur reparare omnia damna quæ mandatarius vi mandati proximo intulit, et quæ cum executione mandati ita moraliter conjuncta sunt ut, omnibus circomstantiis sedulo perpensis, saltem in confuso prævisa sint. Sic, v. gr. omnia damna ex homicidio orta reparare tenetur dominus qui famulo iracundo præcipit, ut aliquem fustibus excipiat, et famulus ipsum occidit.

Dicitur : *vi mandati ;* unde non tenetur mandans de damnis ultra fines mandati illatis, si mandatarius ex propria malitia vel casu (v. gr. ex ignorantia invincibili) excedat limites mandati : quia tunc mandans non est horum damnorum causa, sed ad summum occasio. Accidit declaratio S. C. anno 1587, qua decernitur, quod mandans occisionem Petri non incurrit irregularitatem, si mandatarius errans occidat Paulum. — Sed ea damna a mandante reparanda sunt, quæ in mandati exsecutione ex natura ipsa actionis præceptæ, utpote periculosæ, difficulter præcaveri possunt : quia damna cum ipsa jussione ita cohærent, ut, humano modo re considerata, ex mandato orta et prævisa sint. Unde Bonifacius VIII irregularem declaravit, qui mandat verberationem, si mandatarius fines mandati dati excedens mutilet, vel occidat [2].——Insuper mandans ad restitutionem non amplius tenetur ut mandans, si revocatio mandati seria et efficax habita fuerit et innotuerit mandatario ante damni illationem : tali enim revocatione jam cessavit totus influxus mandantis in damnum et istud sequitur ex sola malitia mandatarii. Dictum est : non amplius tenetur ut mandans, quia potest teneri sub alia qualitate, v. gr. ut consulens, puta quia mandando mentem mandatarii simul imbuit pravis consiliis quorum influxu hic damnum intulit. — Attamen si, facta efficaci et tempestiva monitione, nihilominus

1. Noldin, II. n. 468 : Mechlinensis, p. 112 ; Haine, II, q. 138 ; Marres, I, lib. II, n. 80 ; Billuart, Disp. VIII, art. XIII : Morino, I, n. 1113 ; Carrière, III, n. 1163.
2. Cap. ult. de Homicidio, in 6°.

mandatarius mandatum exequi velit, mandans tenetur quidem ex caritate lædendum monere, si utiliter et sine suo gravi incommodo possit, sed non ex justitia, quia damnum non ex mandato, sed ex improbitate mandatarii infertur. — Atvero is revocatio mandati non innotescat mandatario, (sive id accidat ex incuria aut oblivione nuntii, sive quia ignoratur ubi sit mandatarius aut satis tempestive ad ipsum pervenire non possit revocatio) vel si revocatio innotescat quidem exsecutori, sed ex errore judicatur non serio facta, quantumvis coram Deo doleat mandans et jam forte a crimine sit absolutus et justificatus, tenetur mandans ad damni compensationem, quia damnum efficaciter e mandato consequitur : sicut qui venenum præbuit et pœnitens facti conatur vim ejus elidere, sed incassum, est vera causa mortis secutæ et tenetur damna resarcire. — Mandans autem non amplius valens revocare mandatum tenetur ex justitia monere damnificandum, ut sibi caveat, etiam cum æquali suo damno : quia in pari causa melior esse debet conditio innocentis. Hinc, si vita Petri tunc periclitetur, tenetur mandans sua vita ; si fama, sua fama ; si bona temporalia, suis bonis temporalibus redimere. Si ex monitione immineat ipsi damnum longe majus vel altioris ordinis, mandans non tenetur monere : quia censetur moraliter non posse. Hinc si Petro ex mandato inferendum sit damnum in bonis fortunæ, mandans non tenetur eum monere, si ex monitione vita vel fama ejus certo periclitetur. Sed postea tenetur ad restitutionem damnorum secutorum, quia ex ejus injusto mandato processerunt. — Tandem si mandatarius revocationis oblitus fuit, licet quidam [1] teneant mandantem teneri ad damni illati compensationem, quia reapse damnum sequitur ex priori mandato ; attamen alii [2] docent mandantem damni non teneri, quia mandatumr evocatione evanescit ideoque mandatarius non agit tunc nomine et voluntate mandantis, sed motu proprio [3].

364. *b)* Erga mandatarium tenetur mandans reparare omnia damna ei obvenientia in exsecutione mandati, quæ aliquo modo saltem confuse prævidit, si illum vi, fraude vel gravi metu

1. Bullerini, III, n. 135 ; Haine, II, q. 141, 3.
2. D'Annibale, II, n. 206 ; Delama, n. 334 ; Ærtnys, I. n. 320.
3. S. Alphonsus, H. A., X ; lib. III, n. 558 : Marc, I, n. 978 ; Lehmkuhl, I, n. 1192 ; Haine, II, q. 141 ; Delama, n. 334 ; Mechlinensis, p. 172 ; Zaninetti, III, n. 1471 ; Piscetta, De Rest., n. 28 ; Génicot, I, n. 536; Lugo, Disp. XIX, n. 24 ; D'Aunibale, II, n. 206 ; Gury, I, n. 675 ; Ballerini, III, n. 135.

adegit ad mandatum exsequendum : horum enim ipse mandans est causa efficax et injusta ; injusta quidem, quia mandatarium vi compellendo injuriam ei intulit, efficax vero, quia damna aliquo modo prævisa ex mandato per se consequuntur. Damna autem, quæ prævidere non potuit, reparare non tenetur, quia eorum est solum causa per accidens. Hinc si jussus patrare furtum ad carceres condemnatur, damnum exinde ortum mandans reparare tenetur : iste enim effectus, utpote probabiliter cum actione nexus, ex actione per se sequitur. Quodsi jussus patrare furtum ex equo decidit et brachium frangit, damnum exinde ortum mandans reparare non tenetur : iste enim effectus, utpote possibili solum nexu cum actione conjunctus, ex actione per accidens sequitur.—— Si vero mandatarius sponte vel mercede conductus mandatum suscipit, mandans damna in exsecutione ei obvenientia reparare non tenetur, quia ipse horum non est causa injusta nec efficax : mandatario enim, qui libere actionem suscepit, a mandante nulla infertur injuria ; insuper ipse est causa omnium effectuum actionis suæ, quam libere suscepit. Unde, nisi pactum de indemnitate præcesserit, mandans tantum ex quadam æquitate de hisce damnis tenebitur [1].

365. 2° **Consulens** ad hæc obligatur : *a*) QUI INIQUUM CONSILIUM DEDIT SIVE BONA SIVE MALA FIDE, EX JUSTITIA ILLUD RETRACTARE TENETUR, ANTEQUAM DAMNUM EVENERIT : unusquisque enim ex justitia efficere tenetur, ne ex sua actione sive formaliter sive materialiter mala alteri damnum sequatur. Is tamen, qui bona fide consilium noxium dedit, excusatur, si sine magno incommodo illud retractare nequeat : quia culpa caret, et damnum proprium vitandum prævalet alieno [2]. Unde quidam [3] dicunt eum teneri tantum ex caritate, ut expositum fuit (n. 290) de damnificatore injusto.

Hæc autem revocatio debet esse diversa pro diversitate consilii. Unde simplex revocatio sufficit, si consilium fuerit simplex seu nudum, quia per revocationem tollitur consilii influxus. Si vero consilium fuerit vestitum seu motivis innixum, certo non sufficit simplex revocatio, quia rationes antea allatæ adhuc ad

1. Noldin, II, n. 473 ; Ærtnys, I, n. 321 ; Gury, I, n. 674 ; Sporer, tr. 4, cap. III, n. 14 ; Salmanticenses, tr. 13, cap. I, n. 118 ; Delama, n. 335.
2. Noldin, II, n. 475 ; Ærtnys, I, n. 322 ; Marres, I, lib. II, n. 90.
3. Piscetta, De Rest., n. 21 ; Zaninetti, III, n. 1466.

injuriam movent, sed probabiliter est sufficiens retractio cum motivis contrariis saltem æque efficacibus : qui enim ejusmodi motivis non cedit, ex sua malitia, non ex alterius consilio agere convincitur. Quænam motiva ad retrahendum alium a damnificatione sint magis efficacia, a qualitate personæ dependet ; ordinarie vero in homine christiano efficacissima motiva ea sunt, quæ a fide petuntur [1].

366. *Quodsi exsecutorem a damno inferendo avertere nequit*, tenetur consulens, revocato consilio, damnificandum monere, ut sibi caveat, et quidem ex caritate, si dederit consilium nudum, quia malum proximi avertere debet, cujus ipse est occasio ; si vero consilium fuerit vestitum, juxta alios [2] tenetur ad hanc monitionem ex justitia, quia impedire debet, in quantum potest, ne ex actione sua injusta damnum sequatur, sed juxta alios [3] tenetur tantum ex caritate, quia consilium datum efficaciter retraxit, ideoque consilium hoc est tantum occasio, cur damnum imminet. — Verum consulens certo ex justitia tenetur monere, nisi ex admonitione ipsi immineat longe majus damnum vel altioris ordinis quam sit damnum proximo ex ejus consilio inferendum, si consilium revocare non potest, v. gr. ob distantiam loci, vel ob modum patrandi malum quod alias exsecutor patrari non potuisset : quia tunc cooperatio ejus adhuc influere pergit [4] — Tandem qui consilium bona fide dedit illudque retractare nequit vel facta retractatione damnum tamen impedire nequit, ad nihil amplius tenetur : etenim non est causa damni theologice culpabilis. Si tamen retractationem culpabiliter negligit, de damnis tenetur [5].

367. *b*) DAMNO SECUTO, CONSULENS DOCTRINALITER, QUI RATIONE STATUS AUT OFFICII PERITIAM IN RE QUADAM PROFITETUR, uti parochus, confessarius, advocatus, notarius, medicus, etc., ET CONSILIUM DAT CIRCA EA QUÆ SUI MUNERIS SUNT ET TANQUAM SUUM OFFICIUM EXERCENS, SI EX MALA INTENTIONE, EX IGNORANTIA GRAVITER CULPABILI, EX NOTABILI NEGLIGENTIA,

1. Ferrores, I, n. 677 ; Lessius, lib. II, cap. XIII, n. 16 ; S. Alphonsus, lib. IV, n. 539 ; Ballerini, III, n. 362 ; Marres, I, lib. II, n. 95 ; Génicot, I, n. 538 ; Waffelaert, II, n. 286.
2. Noldin, II, n. 475 ; Ærtnys, I, n. 323.
3. Haine, II, q. 143.
4. Lehmkuhl, I, n. 1198 ; Bucceroni, I, n. 1402 ; Génicot, I, n. 538 ; Zaninetti, III, n. 1473.
5. Noldin, II, n. 475.



VEL EX INIQUA OBSEQUENTIA DAMNOSUM CONSILIUM DEDIT, REPARARE DEBET DAMNA, QUÆ EX MALO CONSILIO OBVENIUNT TUM PETENTI CONSILIUM TUM TERTIÆ PERSONÆ : omnes enim strictum jus habent ut hujusmodi viri, qui, vi officii sui et proinde ex tacito contractu, sunt aliorum consiliarii, polleant scientia ac diligentia, quam eorum munus requirit. Hinc ad restitutionem tenentur talibus officiis fungentes, si, temeritate graviter culpabili, omittunt inquisitionem ad casus difficiliores necessariam [1]. — Consulens vero, qui ratione sui status aut muneris peritiam non præ se fert, ut est mulier, plebeius, non tenetur damnum restituere consilium petenti, nisi ex dolo, i. e. nisi scienter et fraudulenter alterum ignorantem circumveniat, sed tenetur restituere illi contra quem consilium datur. Ratio prioris est, quia petens consilium ab imperito ipse se decipit, damnumque, si quod patitur, sibi non autem consulenti imputare debet. Attamen si consulens dolum adhibeat aut affectet peritiam, qua caret, tunc habetur deceptio et damnosa injuria, ex qua oritur obligatio restitutionis. Ratio posterioris est, quia consulens positive ad damnum inferendum concurrit : supponitur tamen semper in consulente culpa theologica [2]. — Si autem consulens ostendat se dubitare, vel tantum dicat id sibi videri, nulli tenetur restituere ; sed totum damnum est imputandum agenti, qui, veritate non satis perspecta, periculo se ultro exposuit [3].

Ast CONSULENS IMPULSIVE NON TENETUR COMPENSARE DAMNUM QUOD CONSILIUM PETENTI OBVENIT, quia volenti et scienti non fit injuria. Excipe tamen casum quo alterum adeo fraudibus et sophismatibus circumvenerit ut hic ad consilii iniquitatem non adverterit : tunc enim ejus actio jam non est voluntaria. — Sed tenetur reparare omnia damna, quæ ab executore vi consilii tertiæ personæ illata sunt : cum enim moveat efficaciter ad illa damna inferenda, illorum causa moralis censendus est.

368. Proinde (*a*) consulens ad restitutionem tenetur si executor consilio motus est, licet postea ex sese vel alterius consilio

1. Ærtnys, I, n. 322 ; Morino, I, n. 1020 ; Marc, I, n. 982 ; Génicot, I, n. 539 ; Tanqueray, I, n. 449 ; Marres, I, lib. II, n. 91.
2. Delama, n. 338 ; Noldin, II, n. 478 ; Mechlinensis, p. 117.
3. S. Alphonsus, lib. III, n. 564 ; Del Vecchio, II, n. 270 ; Zaninetti, III, n. 1473.

eodem modo damnum intulisset, quia consilium de facto fuit causa efficax damni. — (*b*) Si duo simul consulant damnum, uterque ad restitutionem tenetur, quia uterque efficaciter in damnum influxit : potest enim quis ad idem moveri ex duobus motivis, ita ut uno deficiente adhuc ab altero sufficienter moveretur, quod si fiat consulens est efficax concausa damni. — (*c*) E contra si injustum consilium datur ei qui jam determinatus est ad malum inferendum, non datur obligatio restituendi : quia in hoc casu consilium causa efficax damni non fuit. — (*d*) Qui vero alteri jam determinato ad damnum proximo inferendum suasit tantum modum exsequendi, v. gr. ut occidat veneno, non gladio, ad restitutionem non tenetur, quia consulens tunc non est causa efficax damni, quoad substantiam damni. Secus vero, si modus in substantiam aliquatenus redundet, v. gr. si augeat damnum, vel ex incerto reddat certum, vel si ostendatur via nocendi, quam alter nesciebat nec invenire potuisset, vel locus alteri incognitus, vel hora opportuna : tunc enim restituenda est a consulente illa pars damni in quam efficaciter influxit. — (*e*) Qui autem minus malum alicui suasit ad majus malum avertendum, ad restitutionem non obligatur, si damnum sit circa eamdem personam, quia tale consilium ipsi non nocet, imo favet. Sed si agatur de minori damno quod consulitur alteri personæ inferendum, distinguendum est : si executor jam paratus sit duobus sub disjunctione inferre damnum, v. gr. furari pauperi aut diviti, licet ei consulere, ut potius furetur diviti : quia suadetur minus malum parato facere utrumque ; — qui volenti autem inferre damnum Petro et Paulo consulit ut Paulo parcat, eatenus non facit Petro injuriam, saltem si non prævideat Petrum idcirco multo magis damnificandum fore : nam damnum Petri ita ab eo consulente permittitur potius, quam causatur [1] ; — volenti vero magis damnum uni inferre, v. gr. furari pauperi, licet suadere in genere, ut a divite potius quam a paupere furetur, neminem designando : quia nemini consulens facit injuriam, proponendo hoc consilium ; — parato tandem inferre damnum majus uni, qui suadet inferre notabiliter minus malum alteri in particulari designato, v. gr. parato furari 100 Titio pauperi, suadet furari 10 Caio diviti, juxta alios [2] illicite

1. Delama, n. 337 ; Lehmkuhl, I, n. 1196 ; Mechlinensis, p. 117 ; Noldin, II, n. 476.
2. Tanqueray, II, n. 497 ; Ærtnys, I, n. 323 ; Marc, I, n. 980 ; Noldin, II, n. 469.

agit et tenetur ad restitutionem, quia consulens vere est causa damni minoris tali personæ determinatæ illati, et nefas est impedire damnum unius cum injuria alterius ; juxta alios [1] probabiliter licite agit et non tenetur ad restitutionem, quia consilium hujusmodi conforme est caritati, quæ postulat ut majus malum inferre volenti consulas minus, et ut potius impediatur damnum ejus qui plus pateretur, quam ejus qui minus : ideo damnum passus rationabiliter invitus esse nequit erga consulentem, sed tantum erga damnificatorem.——(*f*) Tandem in dubio, an consilium datum sit, vel an damnum sit illatum, vel an consilium fuerit causa damni secuti, consulens ad nihil tentur, quia de damno per consilium illato non constat [2].

369. 3° **Consentiens** ligatur obligationibus, quæ respiciunt vel ipsum consensum, vel damnificatum. — *a*) Quoad consensum. — (*a*) Qui culpabiliter consensum dedit ad damnum inferendum, illum revocare tenetur : quia per consensum fit causa damni alterius, ideoque damnificator injustus. Quodsi revocationem fecerit ante damnum illatum, ad nihil tenetur : nam licet peccaverit contra justitiam affective dando talem consensum, non tamen fuit effective injustus. Quodsi aut non fecerit revocationem aut facere non potuerit, de damno tenetur : quia realiter fuit causa efficax damni alterius. — (*b*) Si bona fide consensum dedit ad damnum inferendum, tenetur, errore detecto, illum revocare, si adhuc sit tempus et revocatio fieri possit sine gravi incommodo : quia secus per non-revocationem fieret causa efficax et theologice culpabilis damni alterius. Si revocationem fecerit aut facere non potuerit, ad nihil tenetur : quia, si prius, nullo modo influxit in damnum inferendum ; si posterius, est, theologice loquendo, occasio tantum ipsius damni [3].

370. *b*) Erga damnificatum consentiens, *voto mere consultativo*, ad restitutionem tenetur, sicut consulens ; i. e. quatenus superiorem, vel alium, certo et efficaciter induxerit ad inferendum injustum damnum : nam tunc est causa efficax, licet secundaria,

1. Vasquez, De scand., art. I, dub. 2, n. 14 ; Ballerini, III, n. 365 ; Génicot, I, n. 538 ; Marres, I, lib. II, n. 96 ; Haine, II, q. 145 ; Zaninetti, III, n. 1473.
2. S. Alphonsus, bb. III, n. 562 ; Haine, II, q. 143 ; S. Thomas, 2. 2, q. 62, a. 7 ; Noldin, II, n. 476.
3. Noldin, II, n. 480 ; Zaninetti, III, n. 1475 ; Pighi, II, n. 292.

damni injusti. — Quod efficaciter induxerit ad damnum inferendum, potest ipsi innotescere ex circumstantiis, v. gr., si sciat superiorem suo voto omnino, vel partim, motum fuisse [1].

Consentiens autem, *voto decretorio*, tenetur ad restitutionem sicut mandans, i. e. quotiescumque et quatenus scienter ac libere consensum efficacem dedit in damnum injustum proximi : quia, legem vel sententiam injustam ferendo, eodem fere modo concurrit ad damnum illatum ac mandans, siquidem decretum damnificum exurgit ex omnibus suffragiis necessariis ad ejus validitatem. — Dicitur: consensum efficacem: quia si consensus efficaciter in injuriam non influeret, non teneretur ad restitutionem, cum affective quidem, sed non effective in nocumentum consentiret ; itemque, si seclusa fraude aut pacto speciali, alium a consecutione boni, ad quod nullum jus haberet, suffragio suo impediret [2].

371. Sed quæstio est quandonam consentientes, voto decretorio, causa efficax damni censeri possunt. Jamvero (*a*) certum est omnes consentientes pariter ad damnum concurre omnesque ad restitutionem teneri, si de condicto seu ex mutua conspiratione suffragia dederint, etsi unus post alium, etsi non omnia suffragia sint necessaria, sed jam sufficientia præcesserint : quia, inita conspiratione, omnium fit unica actio moralis, quæ est causa damni [3]. — Per modum conspirationis agitur, si in conventionibus separatis ii, qui ad easdem partes pertinent, inter se de hoc vel illo suffragio ferendo conveniunt ; sed antequam suffragium vere a singulis feratur, talis conspiratio potius rationem consilii habet relate ad executionem, quæ fit ipso suffragio lato. Præcipue autem consideranda est suffragatio in ultima et decretoria deliberatione, quæ communiter tertia vice fit. Quare qui solum in conventu fractionis aut in prioribus comitiorum consenserit, sed in ultima deliberatione inter efficaciter cooperantes non est, non ut mandans, sed plerumque ut consulens restituere tenetur [4].

(*b*) Certum est omnes pariter teneri, si eodem tempore suffragati sunt, sive schedulis secretis, sive surgendo, etc., quia,

1. Marc, I, n. 983 ; Zaninetti, III, n. 1474.
2. Marc, I, n. 984 ; Tanqueray, II, n. 502 ; Gury, I, n. 681 : Ferreres, I, n. 681.
3. Gury, I, n. 682 ; Balleniri, III, n. 145 ; Tanqueray, II, n. 503.
4. Lehmkuhl, I, n. 1200.

cum nullus sit prior aut posterior, sententia resultans ex suffragiorum summa merito singulis tribuitur [1].

(*c*) Certum est, si suffragia dentur successive et viva voce, ad restitutionem teneri omnes, qui dant prima suffragia usque ad numerum necessarium completum, etsi prævideant alios non defuturos qui consensuri sint : nam de facto vere influunt in damnum. Et sane, ut effectus alicui, uti causæ, imputetur, non est necesse ut ab eo solo possit procedere, sed sufficit ut ab ejus actione procedat ; secus enim ubi est suffragiorum excessus, nemo teneretur, cum quilibet eo pacto se posset excusare [2]. —— Ultimi autem suffragantes, quando jam votorum numerus ad negotium definiendum requisitus certo expletus est, probabilius juxta alios [3] non tenentur ad restitutionem, quia nullo modo sunt causa damni, quod jam ab aliis sufficienter determinatum fuit ; juxta alios [4] probabiliter tenentur, quia sententia non est perfecta, nisi per collationem omnium suffragiorum concludatur, et ideo ultimi non secus ac primi in eam influunt. Proinde, etsi confessario posterior hæc opinio magis forte arrideat, non potest tamen onus restitutionis, utpote incertam ob rationes prioris opinionis, pœnitenti imponere [5]. — Attamen certo tenentur, si numerus determinat alios cooperatores, ut actionem damnosam compleant et efficacem reddant, aut ne sua suffragia retractent. Sic numerus excessivus causa esse potest, cur iniqua lex feratur, si superiora comitia ex magno numero suffragantium in comitiis inferioribus ad suum consensum dandum moveantur ; sed tunc influxus ad consilium revocatur. — Item si accedentes ad numerum jam completum causa sunt, cur alii, qui injuste abfuerunt, se a restitutione immunes judicare possint, ultimi suffragantes pro rata restituere debent. Exemplum affertur : sume ex 400 deputatis 300 tantum in comitiis adfuisse. Ex 100 absentibus 60 legitime sunt impediti; 40 ignavia domi manserunt, ne contra desideria gubernii suffragia darent. Ex præsentibus 151 pro lege iniqua sunt ; 119 aperte se contra legem esse fatentur; 30 per se ausi non essent pro lege iniqua stare, at cum videant resistentiam esse inutilem, accedunt ad vota majoritatis. Quadraginta illi absentes causa quidem

1. Gury, I, n. 682 ; Zaninetti, III, n. 1475.
2. Ballerini, III, n. 145 ; Noldin, II, n. 481.
3. S. Alphonsus, III, n. 566 ; Ballerini, III, n. 145 ; D'Aunibale, II, n. 202 ; Noldin, II, n. 481 ; Pighi, II, n. 293 ; Delama, n. 340.
4. Gury, I, n. 682 ; Bucceroni, I, n. 1409 ; Scavini, II, n. 614.
5. Ballerini, Nota ad Gury, I, n. 682

sunt, cur lex iniqua majorem numerum suffragiorum consecuta est, atque etiam magis causa efficax sunt quam trigenta alii, qui causa jam desperata, ad majoritatem accesserunt. Nihilominus hi triginta communiter in adjunctis narratis causa sunt, cur absentes illi putaturi sint, se absentia sua nihil efficaciter nocuisse seque a restitutionis obligatione immunes esse : nam numerum 181 non poterant superare, etsi 40 ad 119 accessissent [1]. — In dubio, an suffragia fuerint ex prioribus necessariia (qui casus contigere facile potest in votatione secreta successiva, eo quod ex collatione votorum post completam votationem patet deliberationem injustam retulisse numerum votorum majorem, quam requireretur), theologi graves et numero plures [2] tenent singulos, qui suffragium pro tali lege dederunt, et peccasse contra justitiam et teneri ad restitutionem, quia quisque suo suffragio saltem incertitudinis causa fuit et hoc pacto saltem deterioravit jus, quod damnificatus habebat ad exigendam restitutionem a certis damnificatoribus ; alii [3] vero, concedentes singulos peccasse contra justitiam, negant probabiliter eos teneri ad restitutionem ex eo principio, quod pro singulis dubia est efficacia suffragii proprii, et ex damnificatione dubia non potest oriri obligatio restituendi certa. Hinc confessarii non erit quæstionem dirimere, nec opinionem oppositam, certe probabiliorem, pœnitenti imponere.

(*d*) Certum est non teneri ad restitutionem consentientem, qui suffragium dedit in rem injustam, quando hoc est unicum medium avertendi majus malum : exigit enim caritas, ut inter duo mala eligatur minus. Imo etiam licite agit hujusmodi consentiens, si res, in quam suo suffragio sonsentit, non sit intrinsece mala, et si publice notum sit id solum fieri ad majus malum præcavendum : unde necessaria est præmissa protestatio [4].

372. 4° **Palponis** eædem obligationes sunt, quæ consulentis : etenim dat veluti consilium vestitum, cujus motiva plerumque desumpta sunt ex falso conceptu gloriæ mundanæ. Attamen ut palpo ad restitutionem teneatur, requiritur, ut advertat se laudibus vel vituperiis suis causam damni existere ; at non

1. Lehmkuhl, I, n. 1201.
2. Lugo, Disp. XIX, n. 22 ; Ballerini, III, n. 146 ; Marc, I, n. 984 ; Ærtnys, I, n. 325.
3. Gennari, Il Monit. eccles. XVIII, pag. 463 ; Villada, Casus conscientiæ, Casus VII, qu. 1 ; Pighi, II, n. 295.
4. Génicot, I, n. 540 ; Noldin, II, n. 481 ; Zaninetti, III, n. 1475.

requiritur, ut damnum ipse intendat. Unde qui marito exprobrat adulterium suæ conjugis et idcirco ille impatiens ignominiæ occidit adulterum vel adulteram, tenetur ad restitutionem, modo adverterit damnum saltem probabiliter esse secuturum : est enim causa efficax et culpabilis damnorum. — Qui autem post damnum illatum laudat damnificantem, peccat quidem graviter, sed non tenetur ad restitutionem, nisi laus vel adulatio esset causa, cur restitutio non fieret, aut novum damnum inferatur [1].

373. 5° **Receptans** seu **recursum præbens** tenetur ad restitutionem, quando est cum culpa gravi causa efficax damni injusti. Porro causa efficax damnis injusti est receptans, qui malefactorem securiorem facit ad damnum injuste aliis inferendum, vel causa est cur bona injuste ablata non restituantur. Unde restituere debet, qui furi præbet receptaculum, instrumenta ejus abscondit, res ablatas accipit ; item mercatores et caupones, qui a filiisfamilias acceptant pecunias aliasve res parentibus surreptas in pretium mercium aut compotationum, quia furta fovent ; pari ratione obligationem eamdem contrahunt domini non impedientes famulos, qui de ipsorum confidentia furantur ; item tenentur de damnis advocati, qui in re civili causis manifeste injustis patrocinantur, vel in re criminali, injusto accusatori. — Excusatur vero ab obligatione restituendi, qui furem domi recipit, non qua furem, sed qua amicum, cognatum, etc., dummodo non influat in furta futura. Idem dicendum est de illo, qui ex metu gravis damni furem recipit (v. gr. ne domum sibi comburat), præcise animo damnum vitandi, non autem illi præbendi refugium ad furta continuanda [2].

374. 6° **Participans in præda** tenetur ad restitutionem eo ipso, quod rem alienam injuste possidet, sed diverso modo, prout est vel possessor bonæ vel malæ fidei [3]. —— Aliam obligationem non habet.

Participans in delicto seu in actione damnificativa, *a*) QUI FORMALITER SIVE IMMEDIATE SIVE MEDIATE E EFFICACITER

1. Noldin, II, n. 482 ; Haine, II, q. 647 ; Gury, I, n. 684 ; Bucceroni, I, n. 1411.

2. Zaninetti, III, n. 1477 ; Tanqueray, II, n. 506 ; S. Alphonsus, lib. III, n. 568 ; S. Thomas, 2. 2., q. 71, art. 3 ; Lugo, Disp. XIX, n. 73 ; Lessius, lib. II, cap. 13, dub. 3, n. 27 ; Elbel, De Rest., Conf. V, n. 139.

3. Muller, I, lib. II, tr. II, SS. 144 ; Del Vecchio, II, n. 281.

COOPERATUR, semper tenetur ad restitutionem : quum enim hujumodi participans intendat injuriam facere et revera faciat, ejus actio est stricte, efficaciter et formaliter injusta, ideoque habet omnes conditiones quæ imponunt onus restitutionis. Hinc, si secutum est damnum, tenetur ad restitutionem, qui ad majorem furis aut sicarii securitatem egit custodiam vel annuntiavit horam ad furtum ; item, qui, per actionem intrinsece malam, ad alterius damnum cooperatus est, v. gr. si duo in hoc consenserunt, ut ædibus ignem injicerent [1].

37. [illegible] VERO COOPERATUR MATERIALITER, sed (*a*) *immed*[illegible] damnum alterius, ut vitet damnum proprium ejusde[illegible], tenetur de damno, quia in pari causa melior est con[illegible] possi[illegible]ntis ; ut autem vitet damnum proprium ordinis superioris, non peccat nec tenetur ad restitutionem : non peccat, quia alter tenetur consentire, alias esset irrationabiliter invitus ; non tenetur ad restitutionem ex re accepta, quia in nihilo factus est ditior, nec ex injusta acceptione, quia non peccavit. Hinc quoad damnum vitæ numquam licet immediate cooperari, ne cum vitæ quidem periculo : quia numquam licet occidere directe innocentem. Quoad damnum membrorum numquam pariter licet, ad mortem quoque vitandam, immediate concurrere ad alterius mutilationem, nisi forsan pro avertenda ipsius morte : quia tunc est potius ei vitam servare. Quoad damnum in bonis fortunæ tres communiter admittuntur casus, in quibus ex metu gravi licet immediate cooperarari, scilicet 1) si cooperans possit et velit damnum reparare, 2) si damnum grave absque cooperante aequaliter et certo ab agente principali, nemine adjuvante, inferratur, 3) si damnum sit leve respectu domini : etenim in hisce casibus dominus, qui ex caritate ad grave alterius damnum impediendum tale incommodum subire tenetur, non censetur rationabiliter invitus [2]. — Si autem agatur de cooperatione immediata ad damnum proximi ex gravissimo metu, v. gr. mortis, quando damnum reparare cooperans non potest aut non vult, licet alii [3] affirment talem cooperationem

1. Marc, I, n. 986 ; Delama, n. 344 ; Tanqueray, II, n. 509.
2. Zaninetti, III, n. 1480 ; Génicot, I, n. 544 ; Delama, n. 346 ; Bucceroni, I, n. 1414.
3. Lessius, lib. II, cap. VIII, n. 30 ; Sanchez, In Decal., cap. VII, n. 18 ; Lugo, Disp. XIX, n. 74 ; Sporer, De Rest., ca[illegible] 127 ; Billuart, Disp. VIII, art. XIII.

esse illicitam et injuriosam, quia actio videtur intrinsece mala ideoque qualicumque metu non excusatur, cum lædat jus proximi, qui rationabiliter invitus merito supponitur : etenim persona læsa in hanc cooperationem consentire tenetur neque ex justitia, quae non obligat ad vitam alterius cum tanto gravamine proprio servandam, neque ex caritate, quæ etiam cum tanto incommodo non urget, ; attamen cum aliis [1] tenendum est hanc cooperationem esse licitam et non injuriosam, quia periculum, de quo agitur, reputatur extrema necessitas ; in extrema autem necessitate omnia sunt communia, ideoque cum ratione præsumi potest dominum non esse invitum. Igitur ille, cui mors, mutilatio, aut gravis infamia intentatur, licite poterit cooperari subreptioni bonorum proximi ad propriam vîtam aut famam e tanto periculo eripiendam. — Ast vero qui positive et directe, concursu immediato, furem adjuvat ad inferendum damnum, ob metum similis damni in propriis bonis, tenetur ad restitutionem : in pari enim causa melior est conditio possidentis [2].

376. (*b*). Qui tandem cooperatur *materialiter et mediate tantum*, juxta alios [3] excusatur a peccato et a restitutione, si tres adsint conditiones, nempe 1) ut actio non sit intrinsece mala, sed saltem indifferens ; 2) ut nullo modo malus effectus, sed alius finis bonus intendatur, qui immediate ex actione bona vel indifferenti sequi debet ; 3) ut adsit causa justa et proportionata : ratio est, quia in hisce adjunctis cooperatio materialis est licita. —— Juxta alios [4] excusatur a restitutione, etiamsi peccet, *nisi forte modus cooperandi animum damnificatoris ad opus damnificum moveat*. nam mediata et remota cooperatio nullam in se continet injuriam, et sola caritate vetatur. Etenim opus quo hujusmodi cooperans ad actionem damnificantem concurrit, est per se indifferens, aut saltem non injustum ; at sine læsione juris alieni non contrahitur obligatio restitutionis. Præterea ex conceptu remotæ cooperationis materialis patet eam potius esse damni occasionem, quam causam ; sed nemo tenetur ad restitutionem, nisi actio ejus sit causa damni. Unde

1. S. Alphonsus, lib. IV, n. 571 ; Molina, Disp. 115, n. 7 ; Carrière, III, n. 1202 ; Gousset, I, n. 961 ; Gury, I, n. 687 ; Pruner, I. p. 439 ; Marres, I, lib. II, n. 109 ; Génicot, I, n. 544 ; Delama, n. 346.
2. S. Alphonsus, lib. IV, n. 571 ; Marc, I, n. 987.
3. Delama, n. 345 ; Marc, I, n. 987 ; Marres, I, lib. II, n. 107.
4. Piscetta, III, de Rest., n. 54 ; Ærtnys, I, n. 330 ; Bucceroni, I, n. 1413.

cooperans remote et materialiter excusatur a restitutione, etiamsi cooperatus sit ex intentione nocendi : intentio enim non mutat opus quod, ut supponitur, non est injustum nec causa damni. —— Manifestum est tamen cooperationem materialem remotam, nisi excusetur ex causa justa et proportionata, esse illicitam, quia directe adversatur præcepto caritatis, quo tenetur, si commode possumus, damnum proximi impedire. — Dicitur vero : *nisi forte modus cooperandi animum alterius moveat ad damnum inferendum.* Quod sæpe et sat facile contingere potest. Ita si Petrus Pa manifestet optatum furandi, et Paulus se paratum exhibet . . scalam deferendam, ad instrumenta suppeditanda quibus janua aperiatur, etc., ipse est causa cur Petrus concipiat propositum furandi, alias non concepturus ; vel saltem facit ut firmum evadat propositum quod firmum antea non erat. Unde tenetur Paulus quasi consiliarius aut palpo. Huc pertinet qui volenti furari promittit se clamaturum si quis forte apparuerit : hac enim promissione fur animosior efficitur.

377. 7° Cooperatores negativi (mutus, non obstans, non manifestans) tenentur de damno, quod ex justitia impedire debuerint, moraliter impedire potuerint, et culpabiliter non impediverint. Dicitur : 1) *ex justitia impedire debuerint ;* quia illi damnum non impediendo jus strictum alterius violant sicque contra justitiam commutativam delinquunt [1]. Jamvero ex justitia damnum impedire debent illi qui ad id sese obligarunt aliquo pacto seu contractu sive explicito sive implicito, vel qui susceperunt munus seu officium, vi cujus damnum prohibere tenentur, quia tunc adest quasi - contractus. —— Sed qui susceperunt officium, cui adnexa est obligatio damni impediendi, non libere, sed ex lege civili, cui se subtrahere non potuerunt, videntur teneri de damnis sola lege civili, et ideo probabiliter solum post judicis sententiam : nam illi soli qui libere officium ejusmodi susceperunt, quasi-contractu sese ad damnum impediendum obligarunt. Quod valet, etsi officio stipendium ex lege respondeat : nam pretium laboris et obedientiæ non mutat naturam obligationis. —— Proinde qui ex sola pietate vel caritate damnum impedire debent, de eo non tenentur ante sententiam judicis, etsi abstinuerint ex odio ; imo etsi, ne impedirent damnum, a

1. Maller, II, p. 455 ; S. Thomas, 2. 2., q. 62, a. 7 ; Lugo, Disp. XIX, n. 9 ; Laymann, Lib. III, tr. 2, cap. V, n. 7 ; Sporer, Tr. IV, cap. 3, Sect. 1, n. 50.

damnificatore vel ab alio pecuniam acceperint : ratio est, quia obligatio restitutionis oritur ex solius justitiæ, non ex pietatis aut caritatis violatione. Quod verum est etiamsi pravo animo impediant alium volentem ex caritate impedire damnum tertii : quia sic impediunt solum actum caritatis illius et ad quem damnificatus non habebat jus strictum. Excipe tamen, nisi illum impediverint vi aut fraude : quia damnificator habebat jus, ne vi et fraude impediretur talis actus caritatis [1].

Dicitur : 2) *moraliter impedire potuerint*, i. e. cum efficacia et absque nimio incommodo, respectu habito ad gravitatem damni impediendi, ad stipendium acceptum, etc., juxta æstimationem prudentum : ratio est, quia ordinarie cum majori onere officia non assumuntur, nec pacta ineuntur, nisi quid amplius exposcat speciale pactum seu officium. — Sic excusatur, qui non prohibuit, quia putavit se frustra id conaturum ; item sape excusantur cooperatores negativi ob metum gravem [2].

Dicitur : 3) *culpabiliter non impediverint :* nam sine culpa theologica non datur obligatio restitutionis ob damnificationem [3].

378. Ex his concluditur : (*a*) Principes, magistratus et alii superiores, quibus ex officio incumbit invigilare tranquillitati communi et indemnitati civium, tenentur ad restitutionem damnorum a latronibus, furibus vel ab aliis illatorum suis subditis, si ex negligentia graviter culpabili non impediant. —— Item, tutores et administratores bonorum, non impedientes damna illata pupillis, minorennibus aliisque quorum bona administrant. —— Item, custodes silvarum, agrorum, piscinarum, qui damnificationes non impediunt aut damnificatores non denuntiant, nisi dominus censeri possit minus invitus, ut si agatur de rebus minoris momenti vel si pauperibus aliquid permittatur. Mulctam autem, quæ a damnificatoribus per judicem condemnatis solvenda esset, compensare non tenentur, quia solum conducti sunt ad damna a dominis avertenda. —— Idem dicendum est de præpositis tributorum et vectigalium, qui tributa aut vectigalia defraudari permittunt aut defraudantes non denuntiant, nisi

1. Zaninetti, III, n. 1481 ; S. Alphonsus, lib. III, n. 573 ; Marc, I, n, 988 ; Ærtnys, I, 332 ; Tanqueray, II, n. 512 ; Haine, II, q. 151 ; D'Annibale. II, n. 209.
2. Marc, I, n. 988 ; Delama, n. 348 ; D'Annibale, II, n. 211 ; Marres, I, lib. II, n. 110.
3. Marc, I, n. 988.

agatur de rebus minoris momenti vel de rebus pro quibus ex usu non solet adeo exacte vectigal exigi. Sed, quia directe ex officio suo ordinantur ad tributa exigenda, non autem ad Statum per pœnarum lucrum locupletandum, mulctas pœnales restituere non tenentur, nec pretium quod a defraudantibus acceperunt, ut defraudationem permitterent. — Insuper peccant et ad restitionem tenentur, qui, dum aliquid vendunt, emunt, commutant, est., advertunt aliam partem errare, v. gr. minus exigendo, quam sibi debeatur, vel plus, quam debet, solvendo, et nihilominus tacentes recipiunt : tenentur enim monere et accipiunt alienum invito rationabiliter domino [1].

379. (*b*) Consiliarius, deputatus, senator, etc., quibus jus suffragandi competit ex officio in utilitatem etiam publicam gerendo, tenentur ad restitutionem, si a voto abstineant, quando prævident suffragio suo damna efficaciter impedire posse : ii enim, suscipiendo hujusmodi officium, tacite se obligarunt ad negotia gerenda et ad causas dirimendas in communem utilitatem. —— Non tenentur vero in duplici casu : 1) Si cum plena certitudine prævident tantum fore numerum eorum qui injustæ sententiæ vel legi calculum daturi sint, ut nulla sit spes eam efficaciter impediendi. Qua de re tamen scite monet Lugo cavendum esse ne quis, propter humanum timorem, sibi fingat præsentiam suam fore inutilem, « cum non raro contingat, quod ex unius sententia ingenue et libere prolata in publico, multi moveantur et sententiam suam jam dictam mutent ». Quod præsertim in minoribus conventibus, ex. gr. societatum commercialium vel industrialium, sæpe usu venit. — 2) Si justam causam absentiæ seu legitimum impedimentum habent. Hæc autem causa excusationis tanto major esse debet quanto majus malum ex absentia timetur. Quare qui norunt rem magni momenti tractandam esse et periculum haberi ne absentia sua noceant, non poterunt nisi ex gravissima causa excusari [2].

Non autem tenetur de damnis, qui jus suffragii habet ex privilegio, seu ex mero favore, et abstinet : quisque enim potest non uti privilegio suo, et nemini injuriam facit. Quare electores,

1. Ærtnys, I, n. 333 ; Delama, n. 348 ; Noldin, II, n. 486 ; Lugo, Disp., 37, n. 102 ; Génicot, I, n. 545 ; Haine, II, q. 151, 9°.
2. Lugo, Disp. 37, n. 68 ; Génicot, I, n. 547 ; Haine, II, q. 151, 2° ; Tanqueray, II, n. 504.

qui senatores vel deputatos eligunt, et qui mere absunt a comitiis, numquam violatæ commutativæ justitiæ rei fiunt, etsi præviderint injurias committendas ab electis. — Attamen, cum societas habeat jus ut digni tantum deputati ac magistratus sibi præficiantur, et munus hosce constituendi civibus a legitima auctoritate sit demandatum, contra officium publici boni promovendi (ad quod ex justitia legali obligantur) peccant cives, qui jure deputatos eligendi gaudentes a suffragio ferendo abstinent, dummodo prævideant se abstinendo efficaciter electionem indigni promovere, et a suffragio ferendo non excusentur ratione sufficienti, v. gr. damno notabili exinde sibi imminenti [1].

380. (*c*) Pater, maritus, herus, magister non tenentur de damnis per filios aut subditos cuidem tertio illatis, licet damna non impediendo graviter peccaverint : deest enim obligatio ex justitia commutativa ad damna aliorum impedienda. Et sane hi habent quidem suorum, non vero alienorum, curam qua ad eorum bona protegenda ex officio teneantur. — Excipe tamen, 1) si eorum silentium positivo influxui æquivaleat, seu in iis adjunctis, in quibus silentium eorum uti tacitus consensus habetur a subdito, qui exinde redditur animosior : tunc enim se habent ad modum positive cooperantis, nempe consulentis vel consentientis ; 2) si damnum inferatur a puero rationis nondum compote, quis filiis usu rationis carentibus ex justitia invigilare debet pater vel ejus locum tenens : unde ipse, supposita negligentia culpabili, reparare tenetur ; 3) si per sententiam judicis condemnati fuerint, dummodo revera illatum fuerit damnum et cum culpa ipsorum juridica ; lex enim justa est. Possunt tamen pretium a se erogatum ab ipso damni auctore repetere, quia leges intendunt favere damnificatis, non autem damnificantibus [2].

In jure canadensi [3], dominis imputantur damna ab eorum famulis vel mandatariis facta, etiamsi ea non potuerint impedire, quia, eligendo incapaces vel improbos, in se assumunt damna quæ isti in officio suo exercendo inferre possunt ; parentibus

1. Zaninetti, III, n. 1482 ; Delama, n. 349 ; Vermeersch, Quæst. de justitia, n. 91 ; Marres, I, lib. II, n. 118 ; Tanqueray, II, n. 505.
2. Génicot, I, n. 546 ; Marres, I, lib. II, n. 114 ; Delama, n. 349 ; Lehmkuhl, I, n. 1207.
3. C. C., a. 1054.

vero, tutoribus, curatoribus, ludimagistris et opicibus non imputatur nisi damna quæ impedire potuerunt.

381. (*d*) Damnum illatum per animalia, quorum dominium aut usum habet, reparare ante sententiam judicis tenetur dominus, quando gravi culpa theologica illis invigilare neglexit : unusquisque enim tenetur ex justitia commutativa impedire ne per res suas, perinde ac per actiones suas damnum aliis inferatur. Idem dicendum est de damno illato per rem non animatam, puta si domus neglecta collabitur et transeuntes vulnerat. —— Deficiente autem culpa theologica, post judicis sententiam tenetur in conscientia, dummodo sententia errore facti non nitatur [1].

382. (*e*) Famuli, quibus cura specialis domus aut rei familiaris commissa est (ut sunt œconomi, coqui, cellarii respective ad rem sibi commissam) tenentur ad restituendum, quando culpabiliter non impediunt damna, quæ domino inferuntur sive ab aliis famulis sive ab extrancis : nam ex contractu ad hæc damna avertenda sese obligarunt.

Alii autem famuli, quibus non est specialiter commissa cura aut custodia rerum, ex communi sententia, non tenentur pro damno, quod a cœteris famulis aut personis domesticis fieri non impediunt : non enim videntur famuli ob prævisa odia in contractu operæ locandæ etiam hoc onus in se suscepisse [3]. —— Si vero agatur de damno, quod ab extrancis domino infertur, licet communior theologorum antiquorum sententia censeat universos famulos illud reparare debere, quando cum culpa illud fieri non impediunt, quia cum famulatu onus dominum atque universas ejus res contra extraneos defendendi contractu in se suscepisse videntur [4], attamen probabiliter juxta plures [5] non tenentur : quia famulantes simpliciter se conducunt ad laborandum, non vero ad alterius bona custodienda ; nec satis est discrimen inter furtum domestici et extranei : unde confessarius ab urgenda restitutione abstinere debet.

1. Génicot, I, n. 547 ; Noldin, II, n. 486 ; C. C. a, 1055.
2. Zaninetti, III, n. 1482 ; Haine, II, q, 151, 4° ; Tanqueray, II, n. 512.
3. Lessius, lib. II, cap. XIII, n. 75 ; Lugo, Disp. XIX, n. 106 ; Laymann, lib. IV, sect. V, tract. II, cap. IV, n. 7.
4. Salmanticenses, Tract. XIII, cap. I, n. 134.
5. D'Annibale, II, n. 200 ; Lehmkuhl, I, n. 1207 ; Waffelaert, II, n. 305 ; Marres, I, lib. II, n. 116.

383. (*f*) Confessarius, sive ex officio habeat curam animarum, ut parochus, sive non, *si mere negative se habeat tacendo ex* ignorantia aut negligentia graviter culpabili, quando debet monere pœnitentem de restitutione facienda, licet peccet contra caritatem, non tamen tenetur ad restitutionem respectu tertii, nec respectu ipsius pœnitentis si ex ejus omissione sequatur illi damnum temporale, puta, si ob neglectam restitutionem aliquas expensas ferre debeat : confessarius enim vi officii ex justitia tenetur quidem impedire damna spiritualia pœnitentis, non autem damna temporalia aliorum nec ipsius pœnitentis. — Addit S. Alphonsus :[1] « Et hoc verius puto dicendum (quidquid confuse dicat Lacroix), etiamsi confessarius studiose negligat monere pœnitentem, ut ipse non restituat ; quia adhuc tunc deest positivus influxus in damnum aliorum, qui omnino requiritur ad obligationem restitutionis ».

Dicitur : *si mere negative se habeat ;* nam si non solum non monuit, sed et deobligavit pœnitentem sive positive, v. gr. dicendo expresse eum non teneri restituere, sive tacite, v. gr. si interrogatus responsum ita declinet ut non restitutionem suadeat, tenetur ad compensanda damna erga utrumque : tunc enim ut consulens ex officio in ea damna positive influit.[2]

384. (*g*) Testis a judice legitime interrogatus, si dicat falsum cum damno tertii, tenetur ad restitutionem : quia tunc est causa positiva hujus damni. Sed si mere dissimulet verum, juxta nonnullos[3], etiam tenetur ad restitutionem, quia testimonium aut negando aut reticendo violat jus strictum, quod et privatus habet implorandi judicis officium, et judex postulandi ut cives ipsum in officio adimplendo adjuvent ; plures[4] tamen rectius et multo probabilius docent testem habere quidem obligationem dicendi veritatem aut ex religione ob juramentum præstitum, aut ex obedientia magistratibus debita, non vero ex justitia stricte dicta : unde tacendo peccaret quidem, sed injuriæ reus non foret, ideoque non teneretur ad restitutionem.

1. Lib. IV, n. 578 ; lib. VI, n. 621.
2. Haine, II, q. 152 ; Tanqueray, II, n. 513 ; Delama, n. 349 ; Marres, I, lib. II, n. 110 ; Noldin, II, n. 487.
3. Sanchez, lib. VI, cap. V, dub. III, n. 4 ; Salmanticenses, Tract. 27, cap. I, n. 20 ; Collet, n. 452 ; Bouvier, de Cooperantibus, sect. VI, quær. 7.
4. Lessius, lib. II, cap. XXX, n. 59 ; Molina, Disp. 83, n. 9 ; Lugo, Disp. 39, n. 5 ; Billuart, Diss. VIII, art. XIII ; S. Alphonsus, lib. V, n. 270 ; Gousset, I, n. 968 ; Pruner, I, n. 758 ; Marres, I, lib. II, n. 120.

385. (*h*) Tandem qui ad furem denuntiandum ex efficio non tenetur et qui a fure pecuniam accipit ad tacendum, probabiliter, aliis [1] contradicentibus, non tenetur ad restitutionem erga dominum furto læsum, dummodo res a fure data non sit furtiva, neque aliquid agat quo positive furi animum addat : sicut enim is, qui nullo pretio accepto denuntiationem omittit, contra solam caritatem peccat, ita qui accepto hoc pretio tacet, justitiam commutativam non lædit [2].

386. *B.* — **Quantitas restitutionis.** — Respectu cujusque damnificati, quantitas restitutionis est totum damnum illatum, quod reparari debet ad æqualitatem : nam restitutio est actus justitiæ commutativæ, quæ reddit alteri jus suum secundum proportionem arithmeticam, i. e. secundum perfectam æqualitatem. Sed hæc QUANTITAS vel MENSURA determinanda est respectu cujusque damnificantis, quando plures, diverso influxu, ad idem damnum concurrerunt.

387. TRIPLEX autem est hujusmodi MENSURA : alii enim dicuntur OBLIGARI IN SOLIDUM ABSOLUTE ; alii IN SOLIDUM CONDITIONATE, seu PRO RATA ET IN SOLIDUM ; alii PRO RATA SIMPLICITER. —— SOLIDARITAS vero, seu OBLIGATIO RESTITUENDI IN SOLIDUM, est onus incumbens singulis cooperatoribus reparandi solidum seu integrum damnum quod a pluribus illatum est. Est 1) ABSOLUTA, si quis tenetur solus totum damnum reparare, quin habeat jus ab aliis cooperatoribus compensationem exigendi ; 2) CONDITIONATA, si quis tenetur quidem solus integrum damnum reparare, ubi alii non restituunt, sed cum jure ab aliis exigendi compensationem : unde dicitur talis obligari pro rata et in solidum. —— OBLIGATIO RESTITUENDI PRO RATA SIMPLICITER est onus, unicuique incumbens, reparandi illam tantum damni partem, quæ suæ cooperationi respondeat. [3]

388. *PRINCIPIUM GENERALE.* —— Si singuli cooperatores fuerunt causa totius damni, totum damnum sive absolute, sive conditionate resarcire tenentur ; sed si singuli cooperatores causa fuerunt tantum partis damni, tenentur dumtaxat ad

1. Crolly, III, n. 703 ; Tanqueray, II, n. 516.
2. Lugo, Disp. 19, n. 102 ; Ærtnys, I, n. 334 ; Haine, II, q. 153 ; Génicot, I, n 547 ; Ferreres, I, n. 693.
3. Marc, I, n. 990 ; Haine, II, q. 155.

Peter advises Paul to injure James
Paul does. Solidaritas incumbit
utrumque — Pro Paulo est absoluta pro
alio, vero, conditionata

partem damni a se illati compensandam. Etenim tota ratio restitutionis ex delicto est causalitas ad damnum injustum alterius ; tanta ergo erit obligatio restituendi, quanta fuit causalitas seu influxus in damnum. [1]

Ex hoc deducuntur tres sequentes REGULÆ :

389. I a. — Quicumque fuit *causa principalis* totius damni, tenetur ad restitutionem *in solidum absolute :* etenim quia est unica causa, onus habet reparandi totum damnum, et quia est principalis causa, illud absolute reparare debet ; cæteri autem cooperatores non fuerunt nisi ejus instrumenta, et quidquid ab his gestum est, actum est in nomine et in favorem illius. — Porro *causa principalis* est mandans, et consulens qui consilium solum in suum favorem exequendum curat. Qui ergo mandato suo famulos ad furandum inducit, qui socios quærit ad rem furtivam asportandam, in solidum absolute ad restitutionem tenetur. [2]

390. II a. — Quicumque fuit *simul cum aliis cooperatoribus causa totius damni,* tenetur ad restitutionem *in solidum conditionate* : *in solidum,* quia totum damnum ejus actioni adscribendum est ; *conditionate,* quia idem damnum adscribendum est etiam aliis concausis, et ideo si totum solvit, jus habet exigendi ab aliis compensationem pro rata. [3] — Porro singulis cooperatoribus totum damnum adscribi debet certo in hisce duobus casibus : 1°) quando cooperatio plurium fit ex conspiratione stricta et efficaci, quæ habetur quando omnes ita se invicem excitent sive moveant ad damnum inferendum, ut si plures mutuo consilio, exhortatione, auxilio, velut una manu damnum inferant, v. gr. domum incendant, viatorem spolient, suffragium in electione ferant : ratio est. quia, cum ex communi consilio damnificatio peracta fuerit, actio omnium fit communis, seu datur unica actio moralis, ex qua damnum grave sequitur ; — 2°) quando singulorum cooperatio, quamvis singulorum actio sola sufficiens non fuerit, necessaria est ad damnum inferendum, ita ut uno deficiente damnum nullum eveniret, v. gr. si duo auferant arcam,

1. Sporer, in Decal., tract. IV, cap. 3, n. 66 ; Elbel, de Rest., co[illegible] V, n. 127 ; Delama, n. 353 ; Muller, II, p. 458.
2. S. Alphonsus, lib. III, n. 580 ; Ballerini, III, n. 234 ; Marc, I, n. 991 ; Noldin, II, n. 489.
3. S. Alphonsus, lib. III, n. 579 ; Marc, I, n. 992 ; Noldin, II, n. 489.

quam unus auferre non potuisset, si quis adjuvet furem ascendentem ad furandum cum secus ascendere solus non potuisset, si quis præbeat suffragium necessarium ad injustam sententiam : ratio est, quia singuli poterant totum damnum impedire subtrahendo suum concursum, et ideo singuli in totum damnum sua actione efficaciter influxerunt. [1]

Si vero plures concurrerunt ad idem damnum individuum, v. gr. ad domum incendendam, hominem occidendum, sine tamen conspiratione, et si actio singulorum cooperantium sufficiens quidem, sed minime necessaria est ad totum damnum inferendum, controvertitur utrum singuli teneantur restituere in solidum. Alsi [2] affirmant probabiliter, quia ubi actio singulorum fuit sufficiens ad totum damnum, et res est individua, singuli influunt in totum effectum, ideoque totum damnum est singulis moraliter adscribendum. — Alii [3] vero negant adhuc probabiliter, quoties revera sine tali concursu damnum totum evenisset, seclusa conspiratione : ratio est, quia, cum obligatio restitutionis pendeat ab influxu in damnum, obligatio non debet esse major, quam est ipse influxus ; ast influxus cujuslibet causæ in effectum partialis tantum est ; ergo etiam obligatio restituendi partialis tantum esse debet. Hinc qui ignem subjecit aedibus quas alii jam incenderunt, probabiliter in solidum non tenetur. Licet enim causa ex natura sua ad totum damnum inferendum apta sit, reapse tantum partialiter influxit in damnum quod alii jam ex parte intulerant. Tenetur tamen ad compensandum damnum quod reapse, ex igne a se apposito, aedibus illatum est, nisi incendium eo tempore quo ignem injecit jam tanta vi sæviebat ut ædes integræ certo perituræ essent.

Qui vero dubitat, num efficaciter in totum damnum influxerit, probabilius obligatione in solidum non tenetur : etenim propter dubium incerta tantum datur obligatio ; atqui pro incerta obligatione onus certum restituendi imponi nequit ; ergo. [4]

1. S. Alphonsus, lib. III, n. 579 ; Bucceroni, I, n. 1426 ; Marc, I, n. 992 ; Delama, n. 354 ; Noldin, II, n. 489 ; Haine, II, q. 157 ; Génicot, I, n. 548.
2. Lessius, lib. II, cap. VIII, n. 36 ; Salmanticenses, de Rest. cap. I, n. 151 ; Génicot, I, n. 548 ; Noldin, II, n. 489 ; Tanqueray, II, n. 518.
3. Lugo, Disp. 19, n. 83 ; Sporer, Trat. IV, cap. III, n. 66 ; Pruner, I, p. 443 ; S. Alphonsus, lib. IV, n. 379 ; Delama, n. 356 ; Muller, II, p. 459 ; Marres, I, lib. II, n. 724 ; Lehmkuhl, I, n. 1211.
4. S. Alphonsus, lib. III, n. 579 ; Marres, I, lib. II, n. 122 ; Haine, II q. 158 ; Noldin, II, n. 489.

In casu autem solidaritatis conditionatæ, qui dubitat utrum alii partem suam restituerint, probabilius ad aliorum partes non tenetur, si dubium, facta diligenti inquisitione perseveret, scilicet si probabile est principaliter obligatum aut alios obligatos restituisse vel restituturos esse, v. gr. si socii restituendo potentes jam confessi sint, vel verisimile sit eos occasione Paschatis, vel Missionis, vel saltem in morte debitis suis satisfacturos : ratio est, quia cooperator non tenetur in solidum, nisi in defectu aliorum ; jamvero si dubium est de illo defectu, dubium est de obligatione. [2]

391. Pro praxi, sapienter monet S. Alphonsus : [1] « Rudes, etsi teneantur in solidum, raro expedit eos obligare ad totum, cum difficulter isti sibi persuadeant teneri ad restituendam partem a sociis ablatam. Quinimo satis præsumi valet, quod ipsi domini, quibus debetur restitutio, consentiant, ut illi restituant tantum partem ab eis ablatam, cum aliter valde sit timendum, quod nihil restituant, si obligentur ad totum ». Hinc « confessarius cuilibet istorum scire faciat se teneri ad restitutionem, quin explicet quantitatem, restituere faciens quantum sua illius conscientia dictat ».

392. III a. — Qui seorsum, sine conspiratione, et sine mutuo auxilio, ad idem damnum inferendum contulerunt, tenentur singuli pro rata simpliciter : ratio est, quia nullus eorum fuit causa efficax totius damni. Hinc si plures, sine mutua ope aut motione, concurrant ad furandum thesaurum, ad agrum devastandum, singuli pro rata cooperationis tantum restituere tenentur. [3]

393. C. — **Ordo servandus inter cooperatores.** — Ordo iste provenit a parte magis vel minus principali quam quisque cooperans habuit in facto damnificationis. Ratio est, quia læsus jus habet ut qui principalior fuit in damno inferendo, etiam sit principalior in eo reparando. [4] —— Unde.

394. *a)* Si cooperatores eodem gradu ac modo damnum intulerunt, v. gr. si omnes fuerunt mandantes, aut consulentes

1. Gury, I, n. 696 ; Bucceroni, I, n. 1428 ; Muller, II, p. 459 ; Delama, n. 356.
2. Lib. III, n. 579 ; H. Apost., X, n. 54 ; Praxis Conf., n. 44.
3. S. Alphonsus, lib. III, n. 579 ; Marc, I, n. 993 ; Noldin, II, n. 489 ; Zaninetti, III, n. 1484.
4. Mechlinensis, p. 129.

eodem modo in agentem influentes, singuli æque primo et immediate restituere debent partem suam, et singuli æqualiter in solidum conditionate totum damnum reparare debent : nemo enim eorum magis influxit in damnum alterius, ideoque nemo majus in se reparationis onus suscipere tenetur. Attamen, quia singuli in totum damnum influxerunt, singuli tenentur totum damnum reparare, si alii cooperatores non possint partem suam solvere ; qui autem pro aliis integram restitutionem fecit, jus habet ab iis (etiam per occultum compensationem) repetendi partem, ad quam ipsi tenentur.[1]

395. *b*) Si cooperatores INAEQUALITER, SEU IN DIVERSO GRADU, ad damnum concurrerunt, v. gr. si unus mandavit, alius consuluit, alius executus est, ordo restitutionis sequitur ipsos gradus concursus.[2] — Itaque hic ordo servandus est :

1°) *Primo* tenetur *possessor rei*, sive in individuo sive in æquivalenti eam habeat : quia res clamat ad dominum, et par est, ut qui præ aliis lucrum sentit, ante alios sentiat et incommodum. — Si autem mala fide rem consumpserit, quin ditior evaserit, tenetur restituere ejus pretium æquivalens : nam « pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere », [3] et eam accipiens hoc ipso se obligavit ad eam restituendam ante alios. —— Qui vero eam consumpsit bona fide, tenetur tantum ad id, in quo ditior factus est.

At si is, qui rem injuste consumpsit, eam habuit a mandante veluti prœmium, vel quovis alio titulo, tunc primo tenetur mandans, utpote causa principalis ; idque multo magis, si mandatarius ad consumendam prædam vi, metu, fraude impulsus fuit. — Quod si mandans non jussit, sed tantum permisit rem consumi, tunc mandatarius in ea absumptione non est causa instrumentalis, sed principalis, et ideo tenetur et primo loco ut mandans : possunt enim esse plures causæ æque principales. [4]

396. 2° Deficiente detentore injusto, cum nempe de mero damno agitur, primo loco tenetur *mandaus*, quia est principalis auctor damni illati. Sanc hoc ipso quod vult rem agi suo nomine,

1. Bucceroni, I, n. 1433 ; Müller, II, p. 462 ; Noldin, II, n. 493 ; Marc, I, n. 996 ; Marres, I, lib. II, n. 125.
2. S. Alphonsus, lib. III, n. 580 ; Marc, I, n. 995.
3. Reg. 36 in 6°.
4. Ballerini, III, n. 175.

totum onus in suscipit ; idque valet, etsi mandans non sit superior mandatarii, modo hic ex solo ejus jussu agat. — Idem dic de consulente, qui alium duxit in errorem invincibilem, aut qui alium ad damnum in sui gratiam seu utilitatem inferendum induxit, præsertim si id vi, fraude vel minis factum sit : in utroque casu enim consulens mandanti æquiparatur. [1]

397. 3° Post mandantem tenetur *executor damni* (quo nomine venit etiam participans in crimine, v. gr., adulter ob metum consentiens) : ratio est, quia exsecutor, utpote physice in damnum influens, est principalis ejus causa post mandantem, et ideo præcedere debet consulentem proprie dictum et alias causas secundarias. — Excipe, si exsecutor, non suo vel mandantis nomine, sed nomine aliorum cooperantium damnum inferat, ut si quinque ineunt commune consilium incendendi domum et unus pro omnibus ac eorum nomine ignem injicit ; quo casu alii quatuor æque tenentur : quia omnes sunt causæ principales, etsi unus ignem injecerit. [2]

398. 4° Deinde veniunt *causæ positivæ secundariæ*, scilicet consulens in gratiam alterius, consentiens, palpo, et receptans, quæ omnes eodem loco tenentur : quia inter ipsos nulla est subordinatio ; consulens enim non agit per consentientem, nec consentiens per palponem aut receptorem, ideoque nulli potest totum damnum primarium imputari. — Si tamen unus causa alteri subordinatur, videtur locus esse alicui ordini ; sic si quis consulit, ut alter jubeat furtum, jubens tenetur ante consulentem ; si alium consulis ut alteri consulat furtum, teneris post immediatum consulentem ; et generatim quo magis causa distat ab effectu, eo magis etiam distat ab obligatione restitutionis.

Causæ autem positivæ tenentur prius quam negativæ, quia causæ positivæ damnum inferunt, negativæ solum non impediunt ; præterea, negativæ tenebantur cavere, ne damnum ab aliis inferretur, proindeque satisfaciunt si curent ut ab aliis reparetur, et ideo non debent reparare, nisi neglecta ab aliis restitutione. Hinc damnificatus non habet jus petendi reparationem a causis negativis, nisi prius frustra petierit a positivis. [3]

1. S. Alphonsus, lib. III, n. 580 ; Ballerini, III, n. 177 ; Marc, I, n. 995 ; Noldin, II, n. 493.
2. S. Alphonsus, lib. III, n. 580 ; Bucceroni, I, n 1431 ; Haine, I, q. 163.
3. Marc, I, n. 995 ; Ballerini, III, n. 177 ; D'Annibale, II, n. 235 ; Noldin, II, n. 493.

399. 5° Tandem post causas positivas tenentur negativæ, inter quas nullus ordo per se assignandus est, quia nulla ex his causis est instrumentum alterius. — Ex contractu tamen videtur teneri ante alios ille, cui cura rei erat specialiter demandata : sic custos specialis rei probabilius tenetur ante custodem generalem.[1]

400. Effectus autem ordinis servandi inter eos, qui tenentur ad restitutionem, ad hæc reduci possunt :

a) Si restituat causa superior seu principalis, causæ secundariæ ad nihil tenentur : ratio est, quia nihil debent læso, qui totum jus suum recuperavit ; nec causæ superiori, quæ tenetur absolute, dum aliæ non tenentur nisi conditionate seu in ejus defectu. —— E converso, si causa secundaria restituat, causa principalis eam indemnem facere tenetur, quia hæc absolute obligatur, ideoque, si causa secundaria hoc onus subiit, acquirit jus creditoris contra causam primariam. Si vero hæc causa primaria sit impotens, etiam recursus servatur ad causam secundariam principali propinquiorem ; ad causas autem æquales non habet recursum, nisi constet de defectu omnium priorum ; sed tunc recurrere nequit nisi pro compensatione partiali.

Quando autem plures tenentur acqualiter restituere, et unus totum restituit, reliqui tenentur huic uni suas portiones refundere : quia singuli tenebantur tantum in defectu aliorum. —— Si vero unus ex illis, qui æqualiter concurrerunt ad damnum, ideoque æqualiter obligantur, nollet aut non posset suam partem restituere, reliqui tenerentur hanc partem ferre, æqualiter eam inter ipsos dividendo : quia singuli in solidum conditionate tenentur totum restituere, ita ut læsus omnino indemnis fiat. Attamen restituentes retinerent jus contra illum, qui noluisset vel non potuisset restituere.

401. *b*) Si condonatio damni illati fiat causæ principali, aliæ immunes sunt seu liberantur a restitutione : illa enim condonatio æquivalet solutioni factæ ab illa causa principali ; ruente autem principali, ruit accessorium : — E contra, si condonatio fiat causæ secundariæ, non ideo liberatur causa principalis : quia hujus obligatio est independens ab obligatione causæ secundariæ.

1. Zaninetti, III, n. 1486 ; Marc, I, n. 995 ; Ballerini, III, n. 177 ; Del Vecchio, II, n. 288.

Si autem condonatio fiat uni ex causis æqualiter obligatis, pars illius censetur remitti omnibus : nam, si deinde totum exigeretur ab aliis, illa cogeretur ab hisce ad restitutionem, et sic condonatio frustranea esset. Sed aliæ causæ ad suam partem restituendam adhuc tenentur : quia condonatio has alias causas non respicit. — Si vero istæ causæ non restituant, teneturne adhuc ad earum partem restituendam illa causa secundaria, cui facta est condonatio ? — Si condonatio sit omnino plena (quod ex circumstantiis judicandum est), ad nihil tenetur, sive interim socii partem suum restituant, sive non : tunc enim damnum passus duplicem ei facit remissionem, scilicet remissionem tum partis quam, restituentibus etiam aliis, debuisset restituere, tum damni residui, quod, uno vel omnibus sociis restituere negantibus, debuisset eorum loco restituere. —— Si condonatio non sit omnino plena (si nempe condonans tantum intendat remittere ipsi suam partem, eo quod speret alios cooperatores suæ parti satisfacturos), debet, aliis deficientibus, eorum partes solvere. Ideo si tres damnum triginta nummorum intulerint, omnibus deficientibus, tenebitur refundere viginti ; si autem desit secundus et non tertius, debebit cum tertio portionem secundi dividere, et consequenter tenebitur ad quinque nummos, et tertius ad quintecim. [1]

ARTICULIS III

De restitutionis circumstantiis

402. Variæ restitutionis circumstantiæ sequentibus versiculis exprimuntur :

Quis, quid restituat, cui, quantum, quomodo, quando.

Quo ordine, quove loco, quæ causa excuset iniquum.

Quædam ex iis circumstantiis (quis, quid, quantum, quo ordine inter cooperatores) jam satis expositæ fuerunt ; ultima autem erit objectum articuli sequentis. Superest ergo dicendum

1. S. Alphonsus, lib. III, a. 581 ; Gury, I, n. 703 ; Lehmkuhl, I, n. 1211 ; Bucceroni, I, n. 1434 ; Marres, I, lib. II, n. 126 ; Ærtnys, I, n. 340 ; Delama, n. 364 ; Marc, I, n. 996 ; Carrière, III, n. 1232 ; C. C., aa. 1184, 1185.

de cæteris, quas quadruplici paragrapho complectemur : expendemus 1° cui facienda sit restitutio ; 2° quo tempore ; 3° quo loco ; 4° quo modo.

I. Cui facienda sit restitutio

403. A.-PRINCIPIUM GENERALE. — Restitutio facienda est illi, cujus læsum fuit jus : restitutio enim fieri debet ut jus læsum reparetur ; unde, ut jus alienum reparetur, debet restitutio fieri ipsi personæ, cujus læsum fuit jus. Proinde, si per errorem restitutio facta fuerit alteri personæ, manet obligatio restituendi, quia æqualitas non est stabilita seu restituta. [1]

— Ut autem facilius applicetur hoc generale principium, triplex casus distinguitur : *a*) **dominus certus et notus est;** *b*) **dominus est plane ignotus vel notus adiri non potest;** *c*) **dominus est incertus,** i. e. inter plures dubium est, utrum hic an ille dominus sit.

404. I. **Si dominus certus et notus est,** restitutio facienda est ipsi domino, *quoties sine alterius injuria et sine magna difficultate fieri potest.* Ratio est, quia res clamat ad dominum. [2]

Hinc 1° si damnum illatum est communitati legitimæ (v. gr. Gubernio, municipio, societati assecurationis, societati industriali, etc.), restitutio facienda est iis qui ei[illegible]dum bona administrant, nisi magna difficultas excuset : h[illegible] administratores repræsentant personam illam moralem [illegible] læsio facta est et quæ proinde jus habet ad restitutionem. —— Porro magna difficultas excusans non frequenter habetur. Res autem, quæ pro gubernio aut municipio materia levis reputari potest, ex præsumpta licentia pauperibus regni aut municipii illius tribui potest. — Unde si restitutio facienda est Gubernio centrali, fieri potest per emptionem et destructionem illorum sigillorum quæ inserviunt ad litteras mittendas ; si fieri debet Gubernio provinciali, res tradenda est ministro ærario publico proposito ; si facienda est societati quæ administrat viam ferream, fit per emptionem et destructionem syngraphæ (billet) ipsius societatis ;

1. Génicot, I, n. 551 ; Marres, I, lib. II, n. 128.
2. Ferreres, I, n. 699 ; Delama, n. 357 ; Noldin, II, n. 490.

si municipio facienda est, res tradi debet secretario ipsius municipii ; si alicui societati industriali fieri debet, res tradenda est alicui procuratori (gérant) ejusdem societatis. Proinde qui culpabiliter incendit domum assecuratum, restituere debet societati assecurationis id quod ipsa domino solvit, et domino partem damni quam societas non reparavit. —— Sed si ipsa communitas, quamvis in foro externo jus existendi et possidendi ipsi a lege civili agnoscatur, tamen in foro conscientiæ nullum habet jus existendi nec legitime possidendi, quia ejus finis malus est, ut secta francomurariorum, restitutio pro rata singulis membris facienda est : bona enim, quæ in communi civiliter hæc communitas possidet, revera in dominio singulorum membrorum esse pergunt. Facile tamen pro membris illis pauperes elegi poterunt, præsertim quia raro pars singulis reddenda erit gravis, neque talis restitutio pro rata singulis sine magna difficultate fieri plerumque poterit. [1] —— Attamen communitati non essentialiter malæ, quæ bona quædam in pravum usum adhibet, ut secta religiosa, restitutio pro damno hujusmodi bonis illato facienda est : pravus enim usus non impedit quominus jus suum in hæc bona servet. [2]

2° Bona ablata filio-familias, pupillo, vel prodigo, uti tali declarato, plerumque restituenda sunt patri, tutori, vel administratori, quia eorum bonorum administratio ipsi competit. [3]

3° Qui vero debitum solvit creditori creditoris, per se ad apicem juris, liberatur a restitutione : nam ego solvens creditori tuo acquiro jus quod ille habebat suum a te creditum repetendi ; unde jus quod in te habeo æquivalet juri quod in me habes, et fit compensatio. — Dicitur : (*a*) per se ; quia non liberatur, si forte ex lege civile [4] adhuc solvere cogatur. Dicitur : (*b*) ad apicem juris ; quia talis solutio, facta absque causa, est illicita

1. Génicot, I, n. 551 ; Marres, I, lib. II, n. 133 ; Tanqueray, II, n. 553 ; Lehmkuhl, I, n. 1215.

2. S. Officium, 21 sept. 1842 : « Utrum Christifidelis qui sciens et volens delubri muros, janua, implementa diruit et perdit, atque ab Ethnicis ea de causa capitur, debeat vel possit damnum sarcire, saltem ex alio titulo. — Rest. Teneri ad restitutionem, titulo justitiæ. »

3. S. Alphonsus, lib. III, n. 596 ; Marc, I, n. 997 ; Delama, n. 357.

4. C. C., a. 1144, ubi dicitur : « Solutio fieri debet ipsi creditori aut alio qui pro ipso recipiendi facultatem obtinuit aut ab creditore, aut a judice, aut a lege. Restitutio autem facta aliæ personnæ non valet, nisi creditor ratam eam habeat vel ex ea commodum reportet. »

ob varia incommoda. Est autem ratio sufficiens, si creditor creditoris debitum suum recuperare nequeat. [1]

4° Quando autem dominus est defunctus, restitutio facienda est ejus hæredibus vel causam habentibus : omnia enim jura realia defuncti ad ejusdem hæredes transeunt. Hinc restitutio fieri nequit pauperibus, quando adsunt legitimi hæredes ; nec licet rem restituendam erogare in missas pro defuncto domino, nisi ex voluntate rationabiliter præsumpta non defuncti sed heredum, quia defunctus dominium jam nullum habet. [2]

Ex his concludendum est : qui pauperibus vel piis causis restituit, quandiu dominus vel ejus hæredes noti sunt et adiri possunt, suæ obligationi non satisfacit et denuo restituere debet, quia restitutio fieri debet ipsi domino. Quandoque tamen prudentia suadebit confessario, ut hanc obligationem potius dissimulet. [3]

Additur tamen : (1) *quoties sine injuria alterius fieri potest ;* quia si quis, etiam non dominus, jus habeat rem possidendi, ei restituenda est, ad reducendam æqualitatem : alioquin ipsi damnum inferretur. [4] —— Unde *a*) qui subduxit rem non domino, sed illi qui eam justo titulo detinebat, v. gr. depositario, commodatario, custodi, administratori, etc., restituere rem debet non domino, sed huic detentori, nisi ipse in restitutionem domino faciendam consentiat, vel nisi rem cum detrimento domini consumpturus jure meritoque timeatur ; ratio est, quia alioquin ipsi fieret injuria, si jure possessionis, detentionis, custodiæ aut utilitatis spoliaretur, et damnum atque lucrum cessans compensari deberet. Hinc qui a lotore aufert linteamina, ablata linteamina non domino, sed lotori reddere debet, quia hic alias grave damnum pateretur. [5] — *b*) Si dominus coactus fuerit cessionem facere bonorum, restitutio ac debitorum solutio non domino, sed administratori bonorum a publica auctoritate constituto facienda est : creditores enim, licet in bona cedentis dominium directum non habeant, jure tamen stricto gaudent ut ex illis bonis indemnes

1. Billuart, Disc. VIII, art. 14 ; S. Alphonsus, lib. III, n. 700 ; Gury, I, n. 720 ; Zaninetti, III, n. 1488.
2. Tanquerey, II, n. 503 ; Noldin, II, n. 490 ; S. Pœnitent, 7 feb. 1899 ; Ami du Clergé, XXI, 1899, p. 415.
3. Noldin, II, n. 490 ; S. Alphonsus, Pr. Conf., n. 44 ; Marres, I, lib. II, n. 129 ; Delama, n. 357.
4. Carrière, III, n. 1236.
5. S. Alphonsus, lib. III, n. 596 ; Noldin, II, n. 490 ; Delama, n. 357 ; Génicot, I, n. [illegible]

serventur. Attamen quandoque ipsi domino restitutio fieri potest, v. gr. si debitum sit exiguum, si probus sit, et credatur esse creditoribus restiturus ; item si versetur in gravi necessitate, et debito illo valde indigeat ad vitam ducendam, quia, ut docent communiter theologi, bona cedens potest subducere ea, quæ ad vivendum omnino necessaria sunt. [1]

Additur : (2) *quoties sine magna difficultate fieri potest ;* quia si gravis adsit ratio, restitutio alteri fieri potest : lex enim affirmativa non obligat cum gravi incommodo. Hinc res filiofamiliae majori subrepta ejus parentibus reddi potest, si timeatur ne ab eo dissipetur. — Quantum autem debeat esse damnum debitoris, ut excusetur a restitutione ipsi domino facienda, S. Alphonsus [2] in hunc modum determinat : *a)* si res sit parvi momenti, licet restituere pauperibus aut locis piis, ubi damnum debitoris esset duplo majus ; *b)* si res sit magni momenti, excusatur a restitutione domino facienda, ubi sumptus in restitutione faciendi essent longe majores ipso debito. [3]

405. II. — **Si dominus ignotus sit, aut notus quidem, sed adiri non potest vel immediate vel mediate per litteras aut per aliquem tertium,** sic distinguendum est :

a) QUANDO RES BONA FIDE ACQUISITA POSSIDETUR, v. gr. si quis ex inculpabili errore recepit majus debito, possessor eam sibi retinere potest, adhibita tamen morali diligentia ad dominum detegendum : res enim habetur pro derelicta, ideoque jure occupationis transit in dominium possessoris. [4] — Contraria sententia S. Thomæ, [5] juxta quam restitutio pauperibus vel causis piis facienda est etiam ab eo, qui bona fide possidet, in praxi suaderi quidem potest, at stricta obligatione injungi nequit, præsertim cum S. Alphonsus sententiam S. Thomæ solum habeat probabilem.

b) [Qu]ANDO RES ACCEPTA FUIT MALA FIDE, SEU EX DELICTO SIVE PER INJUSTAM ABLATIONEM SIVE PER INJUSTAM DAMNIFICATIONEM, possessor tenetur eam restituere pauperibus vel causis piis. — 1) Rem erogare debet, quia bonum commune exigit, tum

1. S. Alphonsus, Lib. III, n. 699 ; Gury, I, n. 700 ; Gousset, I, n. 772 ; Bucceroni, I, n. 1423 ; Zaninetti. III, n. 1488.
2. Lib. III, n. 598.
3. Tanqueray, II, n. 552 ; Noldin, II, n. 490.
4. S. Alphonsus, lib. III, n. 589 ; Noldin, II, n. 491 ; Marc, I, n. 999 :
5. 2. 2., q. 62, a. 5, ad 3.

ut fur rem injuste acquisitam sibi non retineat, ne ditior fiat ex re aliena, tum ut injustus damnificator a damno resarciendo non excusetur, ne securitas proprietatum periclitetur. —— 2) Pauperibus eam erogare debet, quia recte præsumitur hanc esse voluntatem domini. Recte enim præsumitur ignotum dominum velle, ut bona sua ita erogentur, ut in suam utilitatem cedant ; jamvero si in pauperes vel usus pios expendantur, certe in ejus utilitatem cedunt, cum eleemosyna, quæ ejus nomine fiat, bona tum temporalia tum præsertim spiritualia ei impetrare possit. Quæ quidem voluntas etiam tum jure meritoque præsumitur, quum dominus est impius vel incredulus. — Aliunde lex ecclesiastica id determinavit quoad pretium usurarium et simoniacum, et theologi communiter illud extendunt ad omnia debita ex delicto orta. [1]

Si autem debitor vere ipse pauper sit, ex sententia complurium auctorum rem vel ejus partem tanquam eleemosynam sibi retinere potest : etenim qua pauper non debet esse pejoris conditionis quam alii pauperes, etsi mala fide rem possideat, ideoque hoc cedit non in favorem furti sed paupertatis. — Debitor autem pauperi comparari potest, si sit aere alieno nimis gravatus, et aliter se liberare nequeat. — Attamen propter magnum periculum fraudis debitor pauper non debet hoc facere propria auctoritate sine consilio. Quando autem hoc permittitur, debitori injungantur certæ preces persolvendæ, aliave opera peragenda pro salute domini. [2]

Si vero ignotus dominus postea comparuerit, debitor jura et officia possessoris bonæ fidei habet, si requisitam diligentiam ad dominum inveniendum adhibuerit ; ideoque si pauperibus restituerit, ad nihil amplius tenetur ; —— si diligens non fuerit, ut possessor malæ fidei habetur, damnumque domino illatum compensare debet. [3]

Ex his jam patet, quid de bonis incertis et de debitis incertis statuendum sit. Bona incerta ea dicuntur, quæ certo aliena sunt et quorum dominus plane ignotus est aut adiri non potest.

1. Noldin, II, n. 491 ; Zaninetti, III, n. 1488 ; Marres, I, lib. II, n. 131 ; Tanqueray, II, n. 555 ; Lessius, lib. II, cap. 14, n. 33 ; Lugo, Disp. VI, n. 148 ; Laymann, De Rest., cap. IX, n. 2, ; Ballerini, III, n. 403.

2. S. Alphonsus, lib. III, n. 696 ; Lessius, lib. II, cap. 14, n. 41 ; Lugo, Disp. VI, n. 148 ; Muller, II, p. 463 ; Marc, I, n. 999 ; Ballerini, III, n. 188.

3. Tanqueray, II, n. 556 ; Haine, II, q. 161.

Debita incerta dicuntur damnificationes certo illatæ, quando dominus læsus aut plane ignotus est aut adiri nequit. Proinde non solum bona incerta a possessore malæ fidei restituenda, sed etiam debita incerta pauperibus vel causis piis solvenda sunt.[1]

406. III. — **Si dominus incertus est, res autem certo aliena, præprimis verus dominus investigari debet ; quodsi instituta ex adjunctis diligenti investigatione dubium perseveret, restitutio, ipsi domino probabili facienda est ; quodsi domino fieri nequit, juxta præsumptam domini voluntatem facienda est.** Unde ita distinguendum est :

a) Si dominus dubius sit inter paucos (tres vel quatuor), v. gr. si agatur de nummo aureo certe ab uno e quatuor simul ludentibus amisso, res vel pretium ejus inter ipsos dividi debet, vel, si id fieri potest, ad compositionem faciendam inducendi sunt : quia dominus non debet privari spe, quam habet recupesrandi partem rei suæ. — Observant quidam rem minoris pretii, vel quæ debet inter tot creditores dividi ut minimum quid singulis obveniat, posse pauperibus erogari ex præsumpto dominorum consensu.[2]

b) Si verus dominus vel pauci veri domini reperiantur inter habitatores loci, inter quos discerni non possunt, restitutio non est necessario facienda incolis illius loci, sed sufficit ut fiat pauperibus vel piis causis cujuscumque loci : quia res verisimiliter non potest pervenire in manus proprii domini, vel solum in minima parte.[3]

c) Si veri domini plures sint alicujus loci, communitatis, civitatis, et inter habitatores hujusce loci discerni non possint, restitutio facienda est incolis ejusdem loci, ubi fraus comissa est : quia, cum damnum passi aliquo modo cogniti sint, iis quantum fieri potest, damnum compensari debet. Unde si mercator compluribus emptoribus damnum intulit adulterando merces aut diminuendo pondera vel mensuras, restituere debet augendo pondus vel mensuram, si ordinarii emptores sunt eidem, qui damnum passi sunt. — Verumtamen censet S. Alphonsus[4]

1. Noldin, II, n. 491 ; Sporer-Bierbaum, II, tr. 4, n. 886.
2. Delama, n. 358 ; Marc, I, n. 998 ; Ærtnys, I, n. 345 ; Génicot, I, n. 552 ; Mechlinensis, p. 99.
3. S. Alphonsus, lib. III, n. 590 ; Marc, I, n. 998 ; Noldin, II, n. 492 ; Zaninetti, III, n. 1488.
4. Lib. III, n. 595.

hujusmodi venditores non sub gravi teneri civibus restituere ; sed satisfacere suæ gravi obligationi, si pauperibus ejusdem loci restituant. Quapropter excusantur etiam a veniali, si restituant pauperibus, accedente aliqua rationabili causa, v. gr. si non possint restituere civibus sine incommodo, puta sine periculo infamiæ, vel si urgeat necessitas aliquorum pauperum valde indigentium, quibus restitutionem fieri cives illi non esse inviti præsumantur. Ratio est, quia hujusmodi venditores ordinarie damnum grave intulerunt non singulis dominis, sed communitati, quæ non censetur graviter invita, si restitutio fiat pauperibus aut locis piis, qui sunt communitatis partes magis indigentes. [1] —— Tandem juxta plures, [2] restitutio hæc potest simpliciter erogari in pauperes, sine restrictione ad pauperes hujusce loci. Et revera, juxta S. Thomam, [3] voluntas creditoris præsumenda est potius ex illius utilitate, quam præcise ex illius affectu ; porro ad illius utilitatem parvi interest cujusnam loci pauperibus subveniatur.

407. *B.* — **ORDO AUTEM RESTITUTIONIS, QUOAD CREDITORES**, locum non habet, nisi quando sunt plures creditores. In tali casu, si debitor omnibus satisfacere valet, potest quocumque ordine restituere, quia præcedentia unius nullum alteri damnum infert. Si vero debitor omnibus restituere non possit, debitus in restitutione ordo servandus est, quia præcedentia unius alteri damnum infert. Porro hic ordo ex ipsa justitia determinatur : restitutio enim est reparatio juris læsi. Prælatio ergo juris præcedentiam determinat restitutionis. Atqui hoc jus laesum est jus proprietatis. Perfectius ergo proprietatis jus in creditoribus eos aliis præferendos exigit. [4]

Jamvero præfatum ordinem præscribit sive lex naturalis, sive lex positiva. Sed, præsertim servandus est ordo, quem lex positiva præscribit, in quantum est determinatio legis naturalis ; ideoque hic ordo obligat in conscientia, quoties non repugnat juri naturæ. [5] — Effectus autem hujus ordinis est : *a*) *prioris*

1. S. Alphonsus, H. A., tr. X, n. 28 ; Delama, n. 358 ; Ærtnys, I, n. 345 ; Génicot, I, n. 552 ; Zaninetti, III, n. 1488.
2. S. Alphonsus, lib. III, n. 589 ; Salmanticenses, n. 215 ; Carrière, III, n. 1246.
3. 2. 2., q. 42, art. V.
4. S. Alphonsus, lib. III, n. 684 ; Bucceroni, I, n. 1437.
5. S. Alphonsus, lib. III, n. 689 ; Marc, I, n. 1001.

classis creditoribus integra solutio præstatur, nulla habita ratione ad classem posteriorem ; et *b*) *si bona non sufficiant ad integram solutionem omnibus creditoribus ejusdem classis, singulis pro rata satisfit.* [1] Unde sequens ordo servandus est :

Prima classis

408. 1°) Primo loco veniunt creditores, qui sunt adhuc rei vere proprietarii, scilicet ii, quorum res adhuc in se apud debitorem existunt : nam in res proprias servant jus in re ,et ideo præferendi sunt ceteris omnibus, qui habent solum jus ad rem. Quare ante omnia debita solvenda restituendæ sunt res furtivæ, depositæ, locatæ, commodatæ, inventæ, quæ adhuc in se exstant : nam cetera debita solvenda sunt, non ex bonis alienis, sed ex bonis debitoris. [2] — Ergo dominus rei semper est præferendus, nisi vel intercedat lex civilis [3] ratione boni communis, ut habetur pro rebus furtivis acquisitis bona fide in nundinis, in foro publico, in venditione publica vel a mercatore qui res ejusdem speciei vendere solet, vel agatur de rebus furtivis quæ fuerunt emptæ in bona fide, et quæ probabiliter possunt reddi furi ut possessor bonæ fidei recuperet pretium a se solutum, dummodo dominus, etiam cognitus, non reclamet.

Si autem debitor apud se retinet rem emptam, cujus pretium nondum solvit, cum ex jure nostro res vendita, licet nondum soluta, transeat in dominium emptoris, debitor non debet illam restituere venditori præ aliis creditoribus. Sed per specialem dispositionem, conceditur venditori aliquod privilegium sive quoad mobilia, sive quoad immobilia, ut mox exponemus ; ac proinde applicandum est quod modo diximus de creditoribus privilegiatis. [4]

Tandem si res pertinens ad creditorem proprietarium non amplius in se, sed solum in æquivalenti apud debitorem existit, creditor non est aliis præferendus : in æquivalens enim rei non habet jus reale, sed solum personale. [5]

V legem nostram

409. 2°) Secundo loco satisfaciendum est creditoribus privilegiatis, quibus scilicet a lege positiva propter

1. Delama, n. 366 ; Ballerini, III, n. 369 ; Noldin, II, n. 495 ; Zaninetti, III, n. 1499.
2. C. C., n. 1489.
3. C. C., n. 1472.
4. Carrière, de Contr., I, n. 384.
5. Noldin, II, n. 495.

qualitatem crediti speciale privilegium conceditur. — Hoc autem privilegium est jus in ipsa qualitate crediti situm, vi cujus creditor aliis creditoribus, etiam hypothecariis, præferri debet. Inter ipsos creditores privilegiatos a lege ex qualitate crediti quandoque determinatus ordo statuitur, et ideo ordo iste statuitur non ex prioritate temporis, sed ex qualitate cujusque crediti, cui ipsa lex suum locum seu prælationis gradum assignat. Jamvero lex civilis, conferens privilegium et ordinem inter privilegiatos statuens, obligat in conscientia ex communi theologorum sententia, cum sit legitima superioris lex, lata in bonum commune. [1] — Hæc vero privilegia variantur pro diversis legibus civilibus.

410. *Juxta jus canadense* dantur privilegia quæ afficiunt bona mobilia, et alia quæ inhærent bonis immobilibus. Privilegia autem quæ bona mobilia afficiunt sic enunciantur : [2] 1° impensæ judiciales ; — 2° decimæ ; — 3° creditum venditoris, qui etiam potest rem suam sibi vindicare, dummodo verificentur quatuor sequentes conditiones ; *a*) ut venditio facta fuerit sine termino : si concessus fuerit terminus, venditor secutus est fidem emptoris, ut dicitur in jure, et sibi imputare debet quod sibi non consuluerit ; *b*) ut res sit in eodem statu ac vendita fuit : alioquin difficile constaret de identitate objecti ; *c*) ut res sit adhuc penes emptorem ; si ad alium transierit, ob commercii securitatem statutum fuit non posse a venditore vindicari ; *d*) ut vindicatio fiat intra octo dies post rei traditionem : elapso hoc tempore, censetur venditor secutus fidem emptoris ; — 4° credita eorum qui habent jus vel ad salarium, vel ad retentionem rei alienæ (inter hos sequens ordo statuitur : advector, stabularius, mandatarius aut depositorum librarius, commodarius, depositarius, mercenarius, et opifex quoad rem quem fecit) ; — 5° expensæ funebris ; — 6° expensæ factæ pro infirmitate quæ mortem produxit, vel in casu chronicæ infirmitatis expensæ factæ a sex ultimis mensibus ; — 7° taxæ municipales ; — 8° creditum locatoris ; — 9° creditum domini propter rem mutuatam, locatam, pignoratam aut furtivam, cujus venditionem sub auctoritate publica factam non impedivit ; — 9° salaria domesticorum ; — 10° credita quæ habet gubernium publicum (la couronne) contra ratiocinatores suos (comptables).

1. Carrière, de Contr., I, n. 385 ; Bucceroni, I, n. 1432 ; Noldin, II, n. 495 ; Marc, I, n. 1002.—C. C., aa. 1994, 1998, 2001, 2002, 2003, 2005 ; Carrière, l. c.

Priviligia vero, quæ bona immobilia afficiunt sic statuuntur :[1] 1° expensæ judiciales ; — 2° impensæ funebris, si bona mobilia non sufficiant ; — 3° expensæ ultimæ infirmitatis, vel in casu chronicæ infirmitatis expensæ factæ a sex ultimis mensibus, si bona mobilia non sufficiant ; — 4° expensæ pro aratione et seminum jactione ; — 5° cotizationes et repartitiones ; — 6° stipendia debita optimatibus (rentes seigneuriales) ; — 7° creditum operarii ad diem, opificis, architecti et ædificatoris ; — 8° creditum venditoris ; — 9° salaria domesticorum, quæ ex bonis mobilibus non fuerunt soluta.

411. 3°) TERTIO LOCO VENIUNT CREDITORES HYPOTHECARII, qui vi hypothecæ non solum personam debitoris, sed ipsa ejus bona sibi devincta habent. Revera hypotheca est jus reale, quod habet creditor in determinata bona immobilia, ut ex illis solutionem obtinere possit, si debitor aliter non solvat. — Si plures sunt creditores hypothecarii, lex ordinem in ipsa rei natura fundatum inter eos determinat secundum axioma : qui prior est tempore, potior est jure ; cum enim creditori hypothecario ipsa bona debitoris sint devincta, priori injuria fieret, si ex bonis jam devinctis solutio alteri concederetur. Sed ex lege nostra,[2] quum nulla hypotheca, excepta tamen ea quæ datur mutuis societatibus assecurationis contra ignem quoad stipendia recuperanda, valorem habeat nisi a die inscriptionis apud conservatorem hypothecarum, ad determinandam prioritatem hypotecæ non est attendendum ad tempus ipsius impositionis, sed potius ad tempus ipsius inscriptionis : unde si duæ hypothecæ eodem die eademque hora inscriptæ fuerunt, nullus ordo servatur et singuli detentores talium hypothecarum habent jus pro rata parte debiti.[3]

412. 4° QUARTO LOCO VENIUNT CREDITORES COMMUNES SEU CHIROGRAPHARII, quibus lex civilis nullam prærogativam confert, et ideo omnibus solvendum est pro rata.

Attamen ex jure naturali, certum est juxta omnes debita ex titulo oneroso (sive ex contractu orta sint, sive ex delicto) solvenda esse ante debita ex titulo gratuito, v. gr. ex promissione : ratio

1. C. C., a. 2009.
2. C. C., aa. 2130.
3. Noldin, II, n. 495 ; Marc, I, n. 1003.

est, quia in pacto gratuito semper subintelligitur conditio : si sine damno tertii fieri possit, vel : nisi rerum status notabiliter mutetur ; unde urget axioma : « Nemo liberalis, nisi liberatus ». Hinc debita defuncti solvenda sunt ante omnia vota, et ante legata etiam pia. [1]

Præterea ex eodem jure naturali plura sunt controversa :

413. *a*) Num creditoribus certis prius restituendum sit quam pauperibus, quibus quandoque restituitur, quando veri creditores sunt ignoti. — Alii affirmant, ex eo quod in id consentire præsumuntur creditores incerti vel incogniti : tum ut debitor liberetur a creditoribus certis eum prementibus, tum ut ipsi conservent jus suum integrum casu quo postea, mutatis circumstantiis, illud recuperare possint. — Alii negant, ex eo quod nullo jure demonstrari potest creditores notos præferendos esse pauperibus, quia pauperes succedunt in locum creditorum incertorum : talis enim præsumitur voluntas creditorum, ut quod ipsis nequit restitui, restituatur pauperibus pro ipsorum animabus. [2]

414. *b*) Num creditoribus ex delicto prius solvendum sit quam creditoribus ex contractu oneroso. — Alii affirmant, quia creditores ex delicto majus jus habent, quam creditoribus ex debito : nam major est injuria retinere rem injuste ablatam, quam non solvere rem ex contractu debitam. — Alii negant, quia utrobique est idem jus non reale sed personale ortum ex justitia commutativa, quæ æqualis est in contractu et in delicto. [3]

415. *c*) Num creditoribus divitibus præferandi sint creditores pauperes. — Si creditores pauperes in extrema necessitate versentur, præferri debent : nam illi habent jus accipiendi ex bonis alienis quantum est sibi necessarium ; igitur a fortiori jus eorum ad restitutionem est majus. —— Si autem pauperes in gravi tantum vel in communi necessitate versentur, controversia habetur. — Alii affirmant : nam restitio fit ad reparandum damnum proximi ; quo majus ergo damnum, eo major obligatio restittuendi ; sed pauperes majus damnum patiuntur. — Alii

1. S. Alphonsus, lib. III, n. 689 ; D'Annibale, II, n. 193 ; Marc, I, n. 1004.
2. S. Alphonsus, lib. III, n. 687 ; Noldin, II, n. 497 ; Marc, I, n. 1005.
3. S. Alphonsus, lib. III, n. 688.

negant, quia major quidem est obligatio caritatis erga pauperes, jus autem ad restitutionem habendam in omnibus æquale est ; justitia enim commutativa non attendit ad personas ; ergo pauperibus et divitibus pro rata solvendum est. [1]

416. *d*) Num creditoribus tempore prioribus solvendum sit prius quam posterioribus. — Alii affirmant, quia creditoribus communibus directe quidem persona, sed indirecte etiam bona debitoris devincta sunt ; sed cui bona prius obligata sunt, ei prius tradi debent ; ideo jus canonicum [2] ad omnes creditores extendit axioma : « Qui prior est tempore, potior est jure ». — Alii negant, et tenent omnibus pro rata satisfaciendum esse, quia lex civilis nullam prælationem inter credita communia agnoscit ; ex jure autem naturali omnes creditores communes sunt æquales, cum singuli dumtaxat in debitoris personam, quæ sola æque singulis obligata est, non autem in hujus bona jus habeant. Si enim essent obligata bona debitoris, creditores dominium eorum jam haberent, nec debitor ea vendere posset, quod falsum est. [3]

417. *e*) Num creditori prius petenti, sive juridice, sive privatim, etsi tempore posterior sit, prius solvere liceat cum præjudicio alterius. — Alii affirmant, tum quia ita fert usus in commercio receptus, saltem ubi dies solvendi advenit, tum quia plerumque solutio sine magno incommodo denegari nequit. — Alii negant, quia qui priores sunt tempore, majus jus habent, et ideo illis hoc modo fit injuria. [4]

418. *f*) Num debitor sciens suum labilem statum possit uni, etsi non petat, cum præjudicio aliorum integre satisfacere. — Alii affirmant, quia si licet integre satisfacere petenti, non apparet ratio, cur idem non liceat erga creditorem non petentem, cum facile moneri possit, ut solutionem petat. — Alii negant, quia contra caritatem peccat ob damnum quod ex illa solutione ceteris oriturum prævidet ; imo etiam contra justitiam peccat,

1. S. Thomas, Opusc. 73, cap. 18 ; S. Alphonsus, lib. III, n. 691 ; Lugo, Disp. XX, n. 161 ; Carrière, De Contr., I, n. 392.
2. Regula 45 juris in Sexto.
3. S. Alphonsus, lib. III, n. 690 ; Vogler, n. 439 ; Carrière, de Contr., I, n. 391.
4. S. Alphonsus, lib. III, n. 692 ; Marres, II, lib. III, n. 310 ; Génicot, I, n. 603 ; Noldin, II, n. 497.

quia lædit jus reliquis creditoribus competens ut sibi pro rata satisfiat. [1]

419. Notandum est vero quod, cum omnes istæ sententiæ aut vere aut propter auctoritatem S. Alphonsi saltem externe probabiles sint, licite in praxim deduci possunt. Unde debitores creditoribus, qui probabiliter aliis licite præferuntur, integre satisfacere possunt, quin ad id teneantur ; creditores autem factam solutionem licite retinent, præsertim cum ad eam accipiendam jus habeant, aliorum damnum autem impedire non teneantur. —— Attamen si a judice irritantur solutiones factæ a debitoribus qui solvendo impares erant, [2] creditores in conscientia tenentur solutiones acceptas reddere : applicantur enim leges justæ et secundum quas tacite ineuntur contractus e quibus debita orta sint. [3]

II. Quo tempore sit restituendum

420. PRINCIPIUM. — Restitutio proprie dicta facienda est quamprimum moraliter fieri potest : jus enim naturale exigit, ut res aliena, invito rationabiliter domino, non retineatur, etiam modicum tempus. Revera detinere id quod alteri debetur, eamdem rationem nocumenti habet ac acceptio injusta ; et ideo sub injusta acceptione intelligitur etiam injusta detentio. [4]

Dicitur : **quamprimum moraliter fieri potest** ; quia præceptum restitutendi, in quantum dictat ipsum actum externum restituendi, est affirmativum ; ad actus enim exteriores exequendos requiritur mora temporis, imo sæpe occurrit impedimentum ne primo instanti fiant, et dominus non potest esse rationabiliter invitus quod debitor levem moram interponat. Ideo præceptum restitutionis non obligat semper et pro semper, sed solum quando moraliter fieri potest restitutio. [5]

1. S. Alphonsus, lib. III, n. 692; Ballerini, III, n. 380; D'Annibale, II, n. 193; Lugo, Disp. XX, n. 174 ; Piscetta, III, de Rest., n. 124 ; Lehmkuhl, I, n. 1221.
2. C. C., a. 1036 sic legitur : « Omnis solutio, quæ a debitore qui est solvendo impar facta est creditori cognoscenti ejus habilem statum, reputatur fraudulenta, et creditor ad solutionem reddendam cogi potest. »
3. Noldin, II, n. 497 ; Génicot, I, n. 603.
4. Mechlinensis, p. 94 ; S. Thomas, 2. 2., q. 66, art. 3.
5. Lessius, De just., lib. II, cap. 7, n. 49.

421. Unde peccat graviter qui sine causa justa notabiliter restitutionem differt in materia gravi ; — necnon, qui, totum restituere valens, nonnisi per partes vult restituere ; — item qui absque sufficienti ratione restitutionem usque ad mortem differt ; — item qui in periculo mortis constitutus rejiceret obligationem restituendi in hæredes suos, non solum propter dilationem restitutionis, sed etiam propter periculum, cui dominus exponitur, numquam accipiendi rem suam, ex eo quod hæredes restituere nolint aut non possint ; attamen, quia debitores restitutionem hæredibus demandantes soleant esse in bona fide, præsertim si restitutio facienda sit pauperibus vel causis piis, cavendum est, ne sine spe fructus hac bona fide privantur, dummodo statim testamentum scribant vel alia ratione impediant ne, ipsis subito morientibus, omnis restitutio omittatur. — Si vero quis habens propositum restituendi differat per breve tempus (v. gr. spatium 20 dierum) restitutionem, dummodo dominus nec grave damnum patiatur, nec graviter invitus censeatur, non facile damnandus est de mortali, imo nec de veniali, si aliqua sit causa differendi, v. gr. spes commodioris occasionis. — Qui tandem restitutionem differt ex gravi causa, v. gr. ad vitandum scandalum vel infamiam, non peccat. [1]

422. Proinde omnia damna (damnum emergens et lucrum cessans) e dilatione culpabili, et saltem in confuso prævisa, reparanda sunt : siquidem e culpa theologica efficaciter oriuntur. Minime vero compensanda sunt damna extraordinaria, seu quæ non necessario sequuntur ex dilatione restitutionis : quippe hæc damna prævideri non poterant, nec proinde imputari possunt. — Damna autem e dilatione non culpabili orta juxta sententiam communem non sunt reparanda, si restitutio facienda sit a possessore bonæ fidei : quia nulla commissa est injuria formalis. — Quando vero e delicto (scilicet furto aut damnificatione) oritur restituendi obligatio, communis sententia [2] tenet damna ordinaria reparanda esse : quia, licet debitor non peccet restitutionem ex gravi causa differendo, attamen ex priori injusta acceptatione vel damnificatione manet causa injusta et culpabilis

1. S. Alphonsus, lib. III, n. 679 ; Gury, I, n. 713 ; Ballerini, III, n. 358 ; Bucceroni, I, n. 1455 ; Noldin, II, n. 503 ; Tanqueray, II, n. 560 ; Génicot, I, n. 556.
2. S. Alphonsus, lib. III, n. 680, 704 ; Lugo, Disp. XXI, n. 17.

damni saltem in confuso præsivi. Nihilominus non desunt auctores [1] qui oppositam sententiam amplectuntur, saltem ut probabilem : quia justa dilatio, qualis hic supponitur, purgat moram ; quare ita differens restitutionem non est injusta causa horum damnorum, nec potest censeri creditor rationabiliter invitus.

III. *Quo loco sit restituendum*

423. PRINCIPIUM. — Restitutio ibi fieri debet, ubi jura creditoris salvantur, absque tamen graviori incommodo debitoris : patet ex fine et natura obligationis restituendi.

424. Hinc 1°) POSSESSOR BONÆ FIDEI tenetur rem restituere in loco ubi illam possidet, nec tenetur ullas expensas facere ad illam alio transmittendam : possessor enim ille, cum neque culpæ reus sit, neque contractu ligetur, permittere tantum debet, ut dominus rem suam suscipiat ; nec æquum est ut ipse damnum ullum ideo patiatur. Igitur sufficit ut dominum de re sua moneat, et si, sive in re conservanda, sive in ea transferenda aliquæ expensæ factæ sint, dominus eas refundere debet. — Attamen si possessor bonæ fidei non immediate restituat sed culpabiliter differat restitutionem, jam fit debitor ex delicto.

425. 2° DEBITOR AUTEM EX DELICTO (scilicet possessor malæ fidei et injustus damnificator) debet suis sumptibus rem deferre ad eum locum in quo alter eam habiturus esset, si non fuisset ablata, destructa vel inique detenta : quia dominus injuste læsus debet servari indemnis. — Attamen debitor deducere potest expensas, quas etiam dominus facere debuisset in rei conservatione vel transmissione : quia secus dominus ex alienis ditesceret. Atvero si ipse dominus plus expendisset, quam jam expendit debitor, etiam ille pretii excessus, qui peculiari debitoris industriæ debetur, retineri potest, ne dominus ex re aut ex industria aliena ditescat.

Si autem ex prudentis viri judicio expensæ, ut res ipsa

1. Lacroix, lib. III, pars 2, n. 252 ; Ballerini, III, n. 508 ; Génicot, I, n. 556 ; Noldin, II, n. 503 ; Delama, n. 375.

Send the price to save freight.

tradatur, nimiæ forent, ex præsumpta domini voluntate pro re pretium illius reddere licet. Sed cum hodie rei pretium minimis expensis in universum pene orbem terrarum mitti possit, inutile erit inquirere cum antiquis theologis, quonam debitoris damno hæc obligatio tollatur. [1]

IV. Quomodo sit restituendum

426. PRINCIPIUM. — Ad restitutionem legitime faciendam requiritur et sufficit, ut restitutio eo modo fiat, quo violata justitia ad æqualitatem reparetur, et sic dominus læsus ind[illegible] fiat : tunc enim attingitur finis restitutionis. [2]

Hinc [illegible] N EST NECESSARIUM PER SE, UT RESTITUTIO PALAM SEU [illegible] FIAT, IMO SÆPE OCCULTE FIERI DEBET, ut famæ et honori [illegible]ntis consulatur. Sed per accidens debita ex delicto publica interdum publice restituenda sunt, non ex justitia quidem, sed ex caritate, ad tollendum scandalum et offensam aliorum, nisi alia ratione occurri queat scandalo. [3]

2°) NON EST NECESSE, UT RESTITUTIO FIAT ADVERTENTE DOMINO : quia hoc non requiritur, ut hic sit indemnis. Unde debitor restituere potest, v. gr. augendo pondus vel mensuram in vendendo, aut plus laborando. Sic quoad furta domestica, uxor non habens propria bona tenetur parcimonia et opera reparare damnum ; famuli, si absque magna difficultate restituere non valeant, jubeantur compensare officiis et obsequiis extraordinariis, quantum possunt. — Attamen *a*) si creditor injuriæ sibi factæ sit conscius, auctoris autem nescius, prudenter ipsi manifestanda est restitutio, ut cesset ab omni inquisitione ; — *b*) a fortiori manifestanda est cognoscenti injuriæ auctorem, ut abstineat ab inimicitia, a repetitione, a compensatione occulta. [4]

427. Proinde extra hunc duplicem casum, *probabilius restitutio potest fieri per simulatam donationem*, ut communiter

1. Lugo, XX, n. 185 ; S. Alphonsus, lib. IV, n. 59, H. A., X, n. 65. — Tanqueray, II, n. 557 ; Génicot, I, n. 555 ; Marc, I, n. 1010 ; Gousset, I, n. 1030 ; Scavini, II, n. 687 ; Marres, I, lib. II, n. 136.
2. Gury, I, n. 708 ; Bucceroni, I, n. 1447 ; Haine, II, q. 165.
3. Delama, n. 371 ; Ærtnys, I, n. 357 ; Marc. I, n. 1014.
4. Ferreres, I, n. 708 ; Marc, I, n. 1014 ; Delama, n. 371.

docetur : quippe ad veram solutionem non requiritur, ut debitor externe fateatur se solvere ; hinc satisfacit debitor, licet solvat in iis circumstantiis, in quibus creditor existimat sibi fieri donum. — Ast si creditor gratitudine motus aliud donum illi rependat, hoc ei restituendum est, quia donatio hæc non videtur plene voluntaria et spontanea, prout esse debet essentialiter donatio mere gratuita ; procedit enim ex opinione obligationis gratitudinis, quæ falso nititur fundamento.[1] — Alii[2] tamen negant obligationem hoc donum restituendi, casu quo restitutio fieri nequeat nisi per simulatam donationem, v. gr. ad servandam famam : debitor enim non esset causa, sed tantum occasio hujus redonationis, et periculum famæ esset ratio sufficiens permittendi hoc damnum creditoris.

427. Ast *si debitor immemor debiti aliquid gratuito creditori suo donet, num satisfaciat obligationi restituendi*, res controvertitur. Alii[3] communius et valde probabiliter tenent eum non satisfacere, quia debitor gratuito donando anteriorem justitiæ obligationem perseverare voluit. —— Alii[4] probabiliter illum ab obligatione immunem esse affirmant : tum quia nemo censetur liberalis, nisi sit liberatus, et proinde debitor qui donat, censetur semper habere hanc implicitam voluntatem : dono nisi teneor ex aliquo alio titulo potiori, ideoque oblivio debiti efficit, ut donatio fuerit omnino involuntaria ; tum quia creditor præsumendus est in id consentire : non enim præsumi debet creditor rationabilis velle, ut debitor denuo solvat, cum de facto ipse creditor jam acceperit quod suum est ; tum quia communiter dicunt DD. quod, si quis voverit pium opus præstare et illud ponat immemor debiti, ipse ab obligatione voti liberatur ; si autem talis adimpletio satisfacit Deo, cur homini non satisfaceret ? Unde pro praxi monet S. Alphonsus : « Neque debet obligari ad restitutionem, qui immemor debiti suo creditori donum mere gratuitum præbuit : » tunc enim obligatio est dubia. —— Hinc eleemosynæ a debitore factæ post contractam restituendi

1. Carrière, III, n. 1265 ; Marres, I, lib. II, n. 135 ; Noldin, II, n. 499.
2. Tamburini, Expl. dec., lib. VIII, tr. 4, cap. I, n. 2 ; Bucceroni, I, n. 1449 ; Zanninetti, III, n. 1493 ; Noldin, III, n. 499.
3. Lessius, lib. II, cap. 28, n. 11 ; Sanchez, Decal., lib. I, cap. 13. 13, n. 11 ; Laymann, lib. III, tr. 2, cap. 12, n. a. ; Sporer, De Conscientia, n. 90 ; Carrière, III, n. 1291.
4. Lacroix, Lib. III, part. II, n. 452 ; S. Alphonsus, lib. IV, n. 700 ; Marres, I, lib. II, n. 142.

Confessarius potest interrogare si antea hoc fecit pœnitens.

obligationem computari possunt in restitutionem, si ad causas pias vel pauperibus restitutio facienda sit. [1]

428. 3°) NON EST NECESSARIUM, UT RESTITUTIO FIAT PER IPSUM DEBITOREM, SED FIERI POTEST PER ALIUM QUEMLIBET, MODO RES SUO DOMINO REDDATUR ; ita enem obtinetur finis restitutionis. — Sœpe autem confessarius a pœnitente eligitur ut media persona ; hoc munus accipere potest confessarius, dummodo prudenter agat, ne sigillum confessionis frangat, et ne ulla suspicio contra ipsius probitatem suboriri queat. Unde, ut monet S. Carolus Barromæus, [2] *a*) si agatur de notabili summa, curet confessarius ut creditor apocham ei tribuat, quam pœnitenti exhibeat ; ad præcavendum nimirum omnem suspicionem contra confessarii probitatem, omneque periculum pro pœnitente ne forte postea cogatur iterum solvere ; —*b*) in dicta apocha prorsus non nominetur pœnitens, ut patet ; quinimo maxime caveat confessarius, ne ullatenus innotescat pœnitens ei, cui fit restitutio ; — *c*) plane eo modo procedat, ut omnem speciem cupiditatis subterfugiat. [3]

429. Ast vero *si debitor per personam fidelem debitum miserit, et illud casu vel culpa tertii pereat, num teneatur iterum restituere ?* — Distinguendum est, prout vel ipse creditor designaverit nuntium per quem res remittenda erat, vel non eum designaverit.

1) *Si ipse creditor vel judex designaverit personam, per quam res debita mitti debet, vel si dominus reliquerit debitori libertatem eligendi quem vellet, modo prudens et fidelis eligatur*, debitor ad nihil tenetur, etsi res casu aut culpa nuntii vel tertii pereat : res enim, eo quod traditur nuntio sic designato, fit creditoris, ideoque ipsi perit.

2) *Si vero creditor neminem designaverit, et debitor in inquirendo fidelem debitam diligentiam adhibuerit*, subdistinguendum est : *a*) DEBITOR EX RE ACCEPTA BONA FIDE seu possessor bonæ fidei, ad nihil tenetur, si res casu aut nuntii vel tertii culpa pereat : res enim, quæ sine culpa perit, domino perit ; jamvero possessor bonæ fidei non est in culpa neque in re acquirenda, neque in ea transmittenda. Poterit tamen teneri post sententiam judicis,

1. Noldin, II, n. 499 ; Tanqueray, II, n. 562.
2. In Instructione de Sacramento Pœnitentiæ.
3. Marc, I, n. 1014 ; Ærtnys, I, n. 357.

Conscience money.

si culpa juridica intercesserit. —— b) DEBITOR EX DELICTO, juxta sententiam communem et tenendam, non liberatur a restitutione, et tamdiu ad illam obstrictus manet, quamdiu dominum vere indemnem non effecerit : debitor enim ex delicto tenetur ad omne damnum etiam fortuitum (ut certum est apud doctores), quod domino evenit ex sua injusta ablatione. Et quamvis creditor præsumatur consentire in restitutionem per alium, ne fur se prodat, non censetur tamen nec tenetur remittere jus suum, quamdiu non fuerit factus indemnis. — Attamen multi probabiliter censent a nova restitutione immunem esse qui pecuniam restituendam confessario tradidit, apud quem casu vel culpa tertii periit : nam confessarius haberi potest ut nuntius ex præsumpto creditoris consensu electus, quum sæpe restitutio alia via tuto fieri non possit, absque infamiæ periculo, et quum aliunde confessarius sit ex officio nuntius fide dignus. Unde cum hæc sententia, quam S. Alphonsus reprobare non audet, pluribus ac gravibus theologis appareat vere probabilis, confessarius in praxi eam sequi potest, adeo ut pœnitentem ad restitutionem denuo faciendam obligare non teneatur. [1]

ARTICULUS IV

De causis a restitutione excusantibus

430. PRINCIPIUM GENERALE, in quo fundantur omnes causæ a restitutione excusantes, sic enuntiari potest : **Quotiescumque dominus rationabiliter consentire debet, ut restitutio differatur vel omittatur, hæc potest differri vel omitti, etiamsi de facto dominus sit invitus** : ratio est, quia detentio rei alienæ non est injusta, nisi dominus sit rationabiliter invitus. [2]

431. Ex hoc principio assignantur variæ causæ, quas alii plures, alii pauciores numerant, quia alii sub uno nomine eas

1. Lugo, Disp. XXI, n. 58 ; S. Alphonsus, lib. III, n. 750 ; Marc, I, n. 1013 ; Zaninetti, III, n. 1493 ; Noldin, II, n. 501 ; Delama, n. 373 ; Tanqueray, II, n. 559 ; Haine, II, q. 169.

2. Billuart, Diss. VIII, art. XX ; Marc, I, n. 10[illegible].

causas designant quas alii plures distinguunt. Hae tamen omnes causæ, quæ faciunt ut creditor rationabiliter consentire debeat, seu quæ a restitutione excusant, sunt duplicis speciei : ALIÆ enim EXCUSANT IN PERPETUUM, seu restitutionis obligationem omnino tollunt vel extinguunt, ita ut restitutio vel ex toto vel ex parte possit omitti ; aliæ EXCUSANT AD TEMPUS, seu restitutionis obligationem suspendunt, ita ut restitutio differri possit, sed differens debeat habere animum paratum et efficacem voluntatem restituendi quamprimum causa dilationis cessaverit. [1]

I. De causis quæ tollunt obligationem restitutionis

432. Tres numerantur causæ hujusce speciei : 1° CONDONATIO CREDITORIS ; 2° COMPENSATIO LEGITIMA ; 3° AUCTORITAS PUBLICÆ POTESTATIS.

433. 1° CONDONATIO CREDITORIS. — **Condonatio** est remissio debiti libere facta a creditore habili ad condonandum. — Unde ut valida sit condonatio seu remissio, duæ conditiones requiruntur : *a*) ut sit plane libera, non autem vi, fraude, metu extorta vel ex errore facta : hæc enim donatio est, quæ essentialiter omnimodam libertatem requirit ; ideo nulla erit remissio quam debitor paupertatem fingendo vel lites minando obtinuerit ; — *b*) ut fiat ab eo qui condonandi potestatem habet ; porro, quia condonatio est alienatio quædam, potestas condonandi iis tantum competit, qui bonorum condonandorum tum proprietatem tum administrationem habent ; ideo nulla est remissio quæ fit a minorensi quoad bona sua, ab uxore quoad bona communia, ab administratoribus quoad bona societatis, nisi forte de rebus parvi momenti agatur. — Insuper condonatio facta, quia est odiosa, strictæ interpretationis est, nec ad alias res vel personas est trahenda : ideo si quis moriens declaraverit se remittere occisori omnem injuriam, hoc est accipiendum tantum de damnis sibi illatis ; si uni ex debitoribus solidariis fiat remissio. pars ejus dumtaxat remissa intelligitur, nisi is fuerit præcipuus auctor damni.

non uxoribus nec ignorantibus

[1] Carrière, III, n. 1267 ; Mechlinensis, p. 104.

Just got over bad attack of the grippe was in bed 6 days am still weak - Guess father.
Poor ... you forgot to mention that you escaped the ...
7 May 1919

434. Condonatio autem expressa locum habet, quando creditor aut ab ipso debitore aut ab alio rogatus debitum remittit. — **Tacita vero condonatio** habetur, si creditor e. gr. chirographum debiti laceret vel debitori restituat ; sed non censetur creditor debitum condonare, si pignus restituat. — **Condonatio præsumpta** habetur, quando prudenter judicari potest creditorem, si vel ab ipso debitore vel ab alio, e. gr. a confessario, ejus nomine rogaretur, debitum liberaliter remissurum esse.

435. Jamvero condonatio expressa, tacita, et etiam præsumpta a restitutio[…]ciendâ omnino excusat. — Ratio *primi* est, quia credito[…]uo renuntiat. — Ratio *secundi* est, quia remissio tacita non differt ab expressa, nisi quia prior indirecte, posterior directe manifestatur : unde juris adagium : « Taciti et expressi consensus eadem ferme est vis atque conditio. » Hinc debitor excusatur a restitutione, si creditor chirographum ipsi reddiderit. Item excusatur a restitutione servus, si dominus illum ob levia furta expellat vel corripiat, nihil exigens, dum posset, quia tacite dominus censetur remittere omnem obligationem. —— Ratio *tertii* est, quia retentio rei alienæ non est injusta, nisi creditor sit positive invitus ; creditor autem non potest dici positive injustus, si præsumi possit libenter condonaturus, si de hoc rogaretur vel cogitaret ; ideo interpretativa remissio a restitutione excusat.

436. Condonatio autem non immerito præsumitur : *a*) in furtis etiam majoris momenti, quæ a *filiisfamiliis* domi facta sunt, si res ablatæ non amplius existunt : parentes enim ordinarie non tam inviti sunt propter rem ablatam, quam propter modum (clam) auferendi et propter peccatum ablatione commissum ; ideo restitutionem raro urgent : idem valet de furtis *uxorum* ; — *b*) in furtis minoris momenti, quæ a *famulis* in esculentis vel in aliis rebus ipsorum custodiæ commissis perpetrantur, nisi extra domum asportentur aut vendantur ; —— *c*) in furtis minutis, quæ ab *operariis* de rebus heri sui committuntur : sic operarii in silvis vel fabricis laborantes quandoque aliquid secum asportant, quod dominus non multum curat, cujus proinde restitutionem non urgere supponitur ; — *d*) in furtis minutis *pauperum*, quæ diversis dominis fiunt : si vero furta eidem domino facta sunt, exigendum est ut pauperes, si fieri potest, aliquam saltem partem restituant : qua restitutione

~~[illegible]~~ "would they have given you that had you asked?"

facta, si propositum habent non amplius furandi, quoad reliquam partem facilius condonatio præsumi potest.

Sed abusus hac in re, uti Theologi monent, quem maxime cavendus est, ne sic janua innumeris injustitiis aperiatur. Unde communiter pœnitentes debent hac de re prudens consilium confessarii alteriusve viri prudentis et pii exquirere, et quandocumque prudenter dubitatur, an dominus esset remissurus, petenda est remissio.

437. Ad condonationem vero revocatur etiam **conventio**, qua creditor debitori concedit, ut per restitutionem exiguæ partis ab integro debito liberetur. Creditores nempe deprehendentes labilem debitorum fortunam haud ægre ad aliquam compositionem faciendam adiguntur, qua saltem partem bonorum, quæ sibi debentur, accipiant. Compositione hac censentur debita exstincta ; quare debitor, qui postea ad meliorem fortunam devenerit, ad nihil amplius tenetur. [1]

438. 2° COMPENSATIO LEGALIS, qua debitum utrimque æquale exstinguitur, est per fictionem juris reciproca solutio, licet reipsa solutio nulla intercedat : v. gr. si Petrus debeat Paulo centum pro panno, et Paulus Petro debeat centum pro vino, habetur compensatio, quæ in jure vocatur debiti et crediti inter se contributio.

439. Ut hæc compensatio sit licita tria requiruntur : *a*) UT OBJECTUM UTRIUSQUE DEBITI SIT EJUSDEM SPECIEI : quia nemo cogi potest ad recipiendam vel dandam rem diversam ab ea quæ sibi debetur ; unde v. gr. si Petrus deberet Paulo centum aureos et haberet Pauli equum ejusdem pretii, non posset illum sibi in compensationem retinere : quia, etiamsi habeat jus (ad rem) postulandi debitum, non propterea illum jure (in re) in equo suo spoliare potest. —— *b*) UT DUO DEBITA SINT ÆQUE CERTA ET LIQUIDA : quia iniquum est pro debito incerto certam solutionem propria auctoritate sumere, atque se exponere periculo retinendi rem alienam sibi non debitam. —— *c*) UT DUO DEBITA SINT SIMUL EXIGIBILIA : qui enim terminum habet ad solvendum, nihil debet. [2]

1. Lugo, Disp. XXII, n. 51 ; S. Alphonsus, lib. III, n. 700 ; Haine, II, q. 177 ; Marc, I, n. 1026; Delama, n. 380 ; Génicot, I, n. 558 ; Lehmkuhl, I, n. 1229 ; Noldin, II, n. 505.

2. Génicot, I, n. 558 ; Delama, n. 286 Timothaeus, II, n. 404; Marres, I, lib. II, n. 141.

440. Hinc accedit sive **solutio creditori creditoris facta,** sive **donatio rei æquivalentis creditori facta,** quæ est legitima, quando fit ex rationabili causa. [1]

441. 3° AUCTORITAS PUBLICÆ POTESTATIS. — Summa enim potestas, tam civilis quam ecclesiastica, potest, justa de causa, auferre onus restitutionis, quia tum princeps civilis ob bonum commune temporale, tum S. Pontifex ob bonum publicum spirituale facultatem habent transferendi dominium. — Huc referuntur, quæ supra de inventione thesauri, de præscriptione, de fructibus rei alienæ bona fide perceptis, fuse diximus. Pauca hic addenda sunt de **sententia judicis** et de **compositione a Romano Pontifice obtenta.**

442. I. Quod **ad sententiam judicis** attinet, hæc tenenda sunt : *a*) QUI CERTO SIBI CONSCIUS EST SE DAMNUM INJUSTE FECISSE, AUT REM ALTERIUS DETINERE, sententia judicis etiam secundum legem et servato juris ordine prolata in foro conscientiæ ab obligatione restitutionis non liberatur, quia judex nec potest nec vult obligationem illam naturalem tollere. Et revera reus auctoritate judicis propterea immunis demittitur, non quidem quia judex sententia sua obligationem naturalem exstinxit, sed quia tantum declarat aut obligationem, de qua litigatur, ex lege positiva non civili actione firmari, aut non constare probatione juridica de facto, propter quod contra reum agitur.

b) AST UBI OBLIGATIO EST DUBIA, SIVE DE JURE SIVE DE FACTO DUBITETUR, atque sententia judicis bona fide fuit obtenta, debitor sententia judicis revera liberatur : judicis enim est dubia solvere ; nec finis ille, quem pax et bonum reipublicæ requirunt, obtineri posset, si in conscientia judicis sententiæ stare non liceret. —— Si tamen postea, ante completum tempus ad præscriptionem requisitum, detegatur sententiam judicis fuisse objective injustam (quia v. gr. novus titulus hucusque incognitus detegitur), certo licet læsæ parti ea repetere quæ jam soluta fuerant : judex enim non creat jus, sed illud declarat. [2]

443. II. **Compositio cum S. Pontifice** habetur, cum Romanus Pontifex, ex suprema sua auctoritate, ita transigit, ut

1. Tanqueray, II, n. 607, 608 ; Haine, II, q. 177.
2. Bulot, I, n. 650 ; Marc, I, n. 1027 ; Marres, I, lib. II, n. 144 ; Tanqueray, II, n. 609.

una quidem pars debiti in pias causas inpendatur, altera vero debitori condonetur, supplendo tamen de thesauro Ecclesiæ utilitatem spiritualem, quæ domino obveniret, si totum debitum in elecmosynam datum fuisset.

444. Ut compositio sit legitima, requiritur : *a*) UT BONA SINT OMNINO INCERTA, seu EA SINT QUÆ CAUSIS PIIS APPLICANDA SUNT, quia dominus ignotus est vel adiri nequit, vel UT SINT BONA ECCLESIASTICA : ratio prioris est, quia si domini aliqualiter cognoscantur, non possint sine injuria directe et absque eorum consensu spoliari ; ratio posterioris est, quia circa talia bona R. Pontifex habet supremam administationem. — *b*) UT ADSIT JUSTA CAUFA ; secus enim valida quidem esset, sed illicita, compositio in bonis ecclesiasticis ; in cœteris vero, deficiente causa, etiam invalida foret : quia, in primo casu, S. Pontifex dispensat in propria lege, non item in secundo. Justa autem habetur causa, si per compositionem consulatur conscientiæ debitoris, qui omissa restitutione facile in mala fide mansisset, vel si per eam piis causis, quæ forte nihil accepissent, saltem pars debiti acquiratur.

445. Hæc compositio, cum sit actus supremæ potestatis, **non potest fieri ab episcopo** sed **fit a Papa** vel per Bullam « Cruciatæ », pro iis quibus illa concessa est, v. gr. in Hispania, in Sicilia, etc., vel per S. Pœnitentiariam, quæ valet, ex bulla « Pastor bonus », remittere partem de male ablatis vel retentis, si dominus sit incertus, casus occultus et delinquens pauper, dummodo pars residua erogetur in pauperes vel in pia opera, et quidem, si fieri potest, in ipsis locis in quibus facta est injusta illorum bonorum comparatio.

446. Tandem **hâc compositione obligatio restituendi penitus exstingui censetur**, ita ut debitor domino casu postea comparenti non teneatur quidquam restituere : dominium enim jam legitime translatum est per compositionem intuitu boni publici factam, cui dispositioni dominus ignotus præsumitur consentire.[1]

1. Lugo, Disp. XXI, n. 91 ; S. Alphonsus, lib. III, n. 592, 593 ; H. A., X, n. 117 ; Marc, I, n. 1029 ; Lehmkuhl, I, n. 1234 ; Génicot, I, n. 558 ; Delama, n. 383 ; Haine, II, q. 177 ; Noldin, II, n. 510.

II. De causis quæ suspendunt restitutionis obligationem

447. Præter ignorantiam invincibilem, quæ, ut patet, quamdiu perseverat, excusat a restitutione, recensentur tres aliæ causæ, videlicet 1° DEBITORIS IMPOTENTIA ; 2° DAMNUM CÆDITORIS AUT TERTII ; 3° CESSIO BONORUM.

448. 1° IMPOTENTIA DEBITORIS. — Duplex haberi potest restituendi impotentia : **physica seu absoluta,** quando debitor non habet unde restituat ; **moralis** quando absolute quidem habet unde restituat, sed non potest restituere sine magna difficultate, sive ob præsentem necessitatem sui vel suorum (. e. filiorum, patris, matris, conjugis), sive ob damnum ex restitutione secuturum.

449. I. **Impotentia physica seu absoluta, quamdiu perseverat, suspendit obligationem restituendi** : nam ad impossibile nemo tenetur.

450. II. **Impotentia moralis eamdem obligationem pariter suspendit,** i. e. nullus tenetur statim restituere, si ex restitutione notabiliter majus detrimentum sibi obveniret, quam foret commodum creditoris : tum quia lex affirmativa non obligat cum tanto incommodo tum quia in moralibus dicitur impossibile, quod est valde difficile, quod decenter et honeste fieri non potest ; aliunde creditor tunc prudenter et rationabiliter permittere debet suspensionem juris sui, ut servetur ordo caritatis.[1]

451. Unde a restitutione statim facienda excusat debitorem, etiam ex delicto : *a*) EXTREMA VEL QUASI-EXTREMA NECESSITAS : quia in tali necessitate bona fiunt communia, adeoque sunt primi occupantis. Hinc si debitor sibi vel suis nequeat subvenire, nisi per bona, quæ restituere deberet, non tenetur ea restituere et in extremam necessitatem se conjicere, etiamsi creditor in eadem necessitate constituatur, imo etiamsi exstet res debita in specie : quia ordo caritatis exigit, ut debitor prius sibi suisque

1. Marc, I, n. 1017 ; Laymann, lib. III, tr. II, cap. 12, n. 1 ; D'Annibale, II, n. 223.

quam extranco creditori subvenit. Excipe tamen, si præcise ob subtractionem rei suæ creditor in extremam necessitatem sit conjectus : quia auferre alicui rem sibi ad vitam necessariam perinde est ac eum occidere ; unde in eo casu melior debet esse conditio prius possidentis. Quare qui in ipso naufragio suam alteri auferret tabulam, illam ei reddere deberet, ne homicidii reus sit ; sed qui antea illam occupavit, per eam licite se ipsum servare potest. [1]

452. *b*) Gravis necessitas : quia, tunc adest vera impossibilitas moralis restituendi. — Attamen *si creditor jam in gravi necessitate reperiatur,* et debitor nunc ea non laboret, sed laborabit restituendo, certe tenetur restituere : quia in hac necessitate dominus jus ad rem suam servat, et proinde in pari necessitate potior est conditio creditoris, cum plus juris in re habeat. [2] — *Si vero debitor et creditor in eadem gravi necessitate jam reperiantur,* juxta alios debitor tenetur restituere, quia melior est conditio innocentis, creditoris et domini, adeoque hic præferendus est ; juxta alios, probabiliter excusatur a restitutione, etiamsi exstet res debita in specie : quia per restitutionem debitor se exponeret damno longe majori, cum ex gravi necessitate in quasi-extremam conjiceretur. [3]

453. *c*) Damnum longe majus quod pateretur debitor ex restitutione, quam creditor ex ejus dilatione : quia creditor tenetur ex caritate pati potius parvum damnum ex dilatione, ne debitor magnum subeat, ut servetur æqualitas utrinque ex justitia servanda. Unde ut immediate restituat non tenetur agricola se privare frumento ad colendos agros necessario, nec negotiator obligationes vendere multo minoris quam valent, nec opifex vendere instrumenta quibus victum quotidianum sibi suisque comparat, nec plebeius proprias vestes, pauca ustensilia quibus actualiter utitur. —— Si tamen creditor æquale damnum pateretur ex tali dilatione, debitor statim restituere deberet : quia in pari causa melior est conditio creditoris. Hinc si quis

1. S. Alphonsus, lib. III, n. 701 ; H. A., X, n. 119 ; Ærtnys, I, n. 361 ; Marc, I, n. 1019 ; Haine, II, q. 176 ; Marres, I, lib. II, n. 147.
2. Lessius, lib. II, cap. XVI, n. 19 ; Lugo, Disp. XVI, n. 153 ; S. Alphonsus, lib. III, n. 702.
3. S. Alphonsus, lib. III, n. 703 ; Morino, I, n. 1053 ; Delama, n. 376 ; Bucceroni, I, n. 1464.

alterius famam læsit, cum propriæ famæ jactura illam restituere debet.[1]

Cessatio autem lucri non est causa justa differendi restitutionem : quia æquum non est creditorem bonis suis privari, ut debitor ex eis lucretur. Sufficit tamen 1° si debitor hoc lucro indigeat, ut aliis creditoribus satisfaciat, quia quilibet creditor rationabiliter velle debet, ut majus cœterorum creditorum damnum cum aliquali suo damno vitetur ; 2° si ex dilatione debitor magnum captare potest lucrum, creditor vero nullum capiet damnum neque lucri privationem, quia tunc habetur majus damnum debitoris restituentis. — Utrumque secundum mentem DD. intelligendum videtur de lucro ex rebus propriis debitoris obtinendo, non ex rebus creditoris in specie existentibus ne aliquis ex rebus alienis ditescat.[2]

454. *d*) DEJECTIO E SUO STATU JUSTE ACQUISITO : puta si ad debita statim solvenda civis primarius artem mechanicam obire aut mercator negotium amittere deberet : quia in moralibus impossibile dicitur, quod decenter fieri non potest, et quod est valde difficile. — Hoc autem probabiliter valet, etiamsi quis in tales augustias se dejecerit culpa sua, v. gr. luxuria, ludo, crapula : justitia enim stricte dicta respicit non ad delinquentis pœnam sed ad difficultatem rei quam præcipit et ad damnum subeundum ut æqualitas servetur. —— Agnoscunt tamen omnes debitorem teneri ad minuendas expensas et ad parcius vivendum, quantum, servato statu, fieri poterit, ut quam citissime restitutio fiat : qui enim tenetur ad finem, ad media tenetur.

Dicitur : JUSTE ACQUISITO : qui enim statum suum injuste (fraudibus, dolo, rebus alienis) acquisivit, non potest licite ideo differre restitutionem, quia alias statum suum amitteret : etenim restituendo non amittit statum suum, sed potius ad statum suum redit. —— Si tamen injustitia esset occulta, et ex restitutione fama graviter periclitaretur, debitor hac ratione excusaretur.[3]

455. *e*) GRAVE DETRIMENTUM IN BONIS ALTIORIS ORDINIS, uti vitæ, pudicitiæ, famæ suipsius vel suorum : inhumanum

1. Marres, I, lib. II, n. 150 ; Haine, II, q. 176 ; Noldin, II, n. 506.
2. Lessius, lib. II, cap. 16, n. 24 ; Salmanticenses, De Rest., cap. I, n. 271 ; S. Alphonsus, lib. III, n. 697 ; Ballerini, III, n. 402 ; Sporer, tr. IV, n. 531 ; Cornelisse, II, n. 463.
3. S. Alphonsus, lib. III, n. 702 ; H. A., X. n. 118 ; D'Annibale, II, n. 223 ; Génicot, I, n. 557 ; Zaninetti, IV, n. 1496.

enim foret in hujusmodi adjunctis urgere restitutionem, et quisque magis ad saluti suæ suorumque consulendum quam ad debita solvenda obligatur. Unde debitor a restitutione statim facienda excusatur, *si privaret se pecunia ad sanitatem recuperandam necessaria*; — it *paterfamilias*, si cum ratione timet, ne filiæ paupertate ad pu..tiam perdendam adducantur; — *mulier adultera* non debet cum periculo famæ fateri adulterium, ut præcaveat damnum, quod ex nata prole illegitima legitimis imminet; — *conjux*, ut restituat, non tenetur comparti pat.. facere quænam ex bonis communibus usurpaverit; — *notarius* non tenetur falsum a se confectum instrumentum, neque *testis* falsum a se datum testimonium pandere, ut damnum in bonis fortunæ aliis illatum cum gravissimo famæ suæ detrimento et carceris periculo reparet; uterque tamen tenetur cum damno fortunæ etiam graviore; testis vero, qui falso testimonio alterius famam, libertatem aut vitam in discrimen adduxisset, debet cum pari famæ, libertatis aut vitæ periculo damnum alteri illatum reparare, quia in pari causa melior est conditio innocentis; — *debitor, qui bonis cessit, sed quædam injuste celavit*, non tenetur hoc postea creditoribus revelare, quia propter fraudulentam bonorum cessionem periculo gravissimæ pœnæ subeundæ se exponeret. Tenetur tamen alia via, si possit, damnum datum reparare.[1]

Quæstio est, AN DEBITIS GRAVATUS AUT RESTITUTIONI OBNOXIUS AB INGRESSU RELIGIONIS PROHIBEATUR; AN VERO DEBITOR RELIGIONEM INGRESSUS A RESTITUTIONE ET DEBITIS LIBERETUR?

456. RESPONDETUR AD 1UM, *a*) Qui propter creditoris incertitudinem restituere deberet piæ causæ aut pauperibus, nullo jure religionem ingredi prohibetur: nam nihil tam pium est, quam se ipsum Deo dicare. — *b*) Qui certos creditores habet, de jure naturæ probabilius prohibetur, si brevi tempore, puta intra triennium, debita sua exstinguere valeat, et absque gravi spirituali incommodo exspectare possit: creditores enim rationabiliter inviti sunt, quod propter exiguum damnum spirituale debitor non satisfaciat suis obligationibus temporalibus; e contra non prohibetur, si per notabile tempus et cum gravi spirituali damno differre debeat: quia nemo tenetur restituere

1. Marres, I, lib. II, n. 149; Ærtnys, I, n. 361.

cum gravissimo suo detrimento libertatis et cum periculo æternæ salutis in sæculo amittendæ. — Attamen ex jure canonico, [1] si debita sint magni momenti, ingressus in religionem licet validus, uti illicitus prohibetur, et S. Pontifex Pius IX decrevit [2] neminem in quocumque ordine admittendum esse absque litteris testimonialibus quæ referunt, an sit aere alieno gravatus : hoc decretum autem non extenditur ad puellas, quæ moniales fieri volunt. Pluries tamen S. Congregatio Episcoporum et Regularium prohibuit admittere etiam in congregationibus religiosis postulantes qui ære alieno gravantur. [3] Unde Superiores merito eos admittere non solent : melius est enim ut hi strenue laborando, prius debita solvant ; assiduo labore et oratione tentationes, gratia Dei juvante, superabunt ; posteaque absque dedecore religionem ingredi poterunt. [4]

457. Respondetur ad 2um. *a*) Religio non liberat ab obligatione solvendi debita, nisi quatenus solutionem impossibilem reddat, ut patet. Unde debitor religiosus tenetur, post obtentam superioris licentiam, ad labores statui et conditione convenientes, ut lucretur ea, quibus solvere possit : quia ab una parte paupertatis professione a debitis solvendis non liberatur, ab altera autem parte cuique, servato tantum status sui decore et obligatione, allaborandum est, ut debita solvat. Postulat autem religiosi conditio et status, ut nonnisi cum licentia sui superioris hujusmodi laborem præstat : quam licentiam superior ex caritate saltem tribuere debet. — *b*) Si religiosus debitor monasterio bona acquirit sive hæreditate, sive donatione, sive stipendio laboris sui, deductis expensis debita ex his bonis solvi debent : hæc enim monasterio acquiruntur cum illo onere, quod annexum habuissent, si in dominio religiosi mansissent. [5]

458. NOTA. — Confessarii diligenter advertant non raro hanc impotentiam aut totam aut saltem majorem fingi quam sit, et sœpe pœnitentes ad restitutionem obligatos illusiones

1. Sixtus V, Const. « Com de omnibus », 26 nov. 1587 ; Clemens VIII, Const. « In suprema », 2 avril, 1602.
2. 25 jan. 1848.
3. 2 mars, 1861 ; 21 dec. 1888 ; cfr. Battandier, Guide canonique, n. 85.
4. Tanqueray, II, n. 603.
5. Lugo, Disp. III, n. 220 ; Disp. XXI, n. 81 ; Lacroix, lib. III, pr. 2, n. 447 ; Reuther, III, n. 362 ; Lehmkuhl, I, n. 1233 ; Waffelaert, II, n. 358 ; Marres, I, lib. II, n. 154 ; Noldin, II, n. 507 ; Ferreres, I, n. 718.

sibi facere : hæc enim restitutionis obligatio ita naturam vexat, ut nonnisi cum maxima difficultate ei se subjicere velit homo. Hinc confessarius quisnam sit status eorum qui se in impotentia restituendi versari affirmant sedulo examinet et inquirat, quisnam sit eorum vivendi modus, utrum expensas superfluas non sibi permittant, utrum parcius vivere non possint, etc., et juxta id quod sic compererit cum eis agat. [1]

459. 2° DAMNUM CREDITORIS ET AUT TERTII. — **Si ex immediata restitutione grave damnum spirituale aut temporale immineat ipsi creditori vel alteri personæ, debitor potest, imo debet ex caritate, restitutionem differre :** tunc enim creditor non est rationabiliter invitus, et aliunde generatim ex caritate tenemur damnum proximi impedire, quando commode fieri potest. — Idipsum expresse docet S. Thomas, [2] dicens : « Quando res restituenda apparet esse graviter nociva ei, cui restitutio facienda est, vel alteri, non debet ei tunc restitui : quia restitutio ordinatur ad utilitatem ejus, cui restituitur. Omnia enim, quæ possidentur, sub ratione utilis cadunt. Nec tamen debet ille, qui detinet sic rem alienam, sibi appropiare, sed vel reservare, ut congruo tempore restituat, vel etiam alii tradere tutius conservandum ».

Hinc debitor non debet reddere gladium, quo dominus aut seipsum aut alios occisurus aut vulneraturus est ; domino non reddenda sunt libri aut picturæ, quæ in nullum nisi in pravum usum inservire possunt. — Si quis vero restitutionem negando grave sibi timeret damnum, quia v. gr. creditor ut injustiæ reum debitorem coram judicibus prosecuturus est, res etiam cum periculo gravis damni alieni reddi potest. Etenim rem alienam reddere, est actio de se indifferens ; proinde ob causam gravem ille malus exinde profecturus effectus permitti potest. Præterea caritas non præcipit alienum præcavere malum cum æquali aut majore sui detrimento. Hinc pravus liber, si absque incommodo denegari nequit, reddi potest. Quale autem incommodum excuset, dijudicandum est ex majore aut minore malo, quod permittendum est. —— Insuper requiritur ut dilatio tanquam efficax prævideatur : si enim nullo modo malum effectum impedire possit, v. gr.

1. Timothæus, II, n. 398.
2. 2. 2., q. 62, a. 5, ad 1.

quia creditor aliis mediis utetur ad peccandum aut ad aliis nocendum, jam nulla est ratio restitutionem differendi.[1]

460. 3° CESSIO BONORUM. — **Cessio bonorum est** omnium derelictio bonorum, quæ debitor solvendo impar suis tradit creditoribus, ad suam servandam libertatem. — Est **voluntaria**, si ex pacto privato inter creditores et debitorem oritur, eosque dumtaxat effectus habet, de quibus debitor et creditores inter se conveniunt ; et **judicialis**, si coram judice et juxta legis dispositiones declaratur, atque est quoddam beneficium ab ipsa lege concessum infortunato et bonæ fidei debitori, ut ita, non obstante qualibet alia in contrarium stipulatione, a creditorum molestiis liberetur.[2]

Ordinarie vero cum voluntaria cessione conjungitur conventio, de qua egimus supra n. 437. Ideo nunc agitur tantum de cessione judiciaria seu legali.

461. I. Cessione bonorum juridice declarata debitor a lege privatur possessione, administratione et libera dispositione, non autem domino directo bonorum suorum ; creditores vero jus acquirunt ex bonis illis solutionem percipiendi. Proinde nominatur a judice **curator**, qui accipit possessionem ac administrationem omnium illorum bonorum, hæc bona vendit, credita colligit, et pecuniam ex tali hac venditione ac collectione comparatam creditoribus juxta statutum ordinem distribuit : si vero post debitorum solutionem quædam bona supersint, debitori reddenda sunt.[3] Ideo non licet ei, qui bonis cessit, credita sua, i. e. ea quæ ab aliis sibi debentur, subducere creditoribus. Quare injuste agit, qui post intimatam cessionem credita transcribenda curat in uxorem.[4]

462. II. Debitor, qui bonis suis cedit, jure naturali occulte sibi retinere potest, quæ ad suam suorumque honestam sustentationem, si juxta statum suum parce vivit, necessaria sunt : nam obligatio restitutionis statim faciendæ cessat, si absque gravi incommodo fieri non possit ;

1. Tanqueray, II, n. 605 ; Marc, I, n. 1020 ; Marres, I, lib. II, n. 153 ; Haine, II, q. 176 ; Lehmkuhl, I, n. 1231 ; Zaninetti, III, n. 1497 ; D'Annibale, II, n. 228.
2. Bulot, I, n. 655 ; Marc, I, n. 1021.
3. C. P. C., a. 863, 870, 873.
4. Noldin, II, n. 509.

ideo non tenetur in gravem necessitatem se conjicere, nec e statu suo juste acquisito decidere, ut restituere possit.

Lex autem nostra civilis [1] cedenti bonis suis relinquit vestes, instrumenta artis, mobilia necessaria, plura animalia, effigies gentilicias et picturas a debitore aut a quolibet ejus familiæ membra factas, et alimenta quæ ad sustentationem per tres menses procurandam necessaria sunt. Hinc injuste aliqua alia bona occultarentur, nisi agatur de re, quam ipsi cedentes maximi faciunt, v. gr. ob memoriam parentum, alii vero in magno pretio non habent. [2]

Unde graviter contra justitiam peccat, ut communiter docent theologi, debitor bona creditoribus cessurus aut certo cognoscens se cessurum esse, 1° qui præter res, ex quibus sibi suisque in necessitate provideat, bona quædam occultat atque creditoribus subtrahit ; 2° qui bona aliis plerumque vili pretio vendit, ut tradita sibi pecunia creditores defraudet ; 3° qui creditores contratu ficte tantum inito rebus, quæ ipsis debentur, defraudat, ut puta qui res suas ficte aliis vendit ut illas sibi servet ; 4° qui fundum ficte hypothecæ onere gravat, ut pacto remissorio minorem solutionem creditoribus offerre possit et fundum ipsum sibi retinere, qui hypotheca gravatus pro creditoribus vix ullum pretium habeat : creditores enim in his casibus decipit debitor et grave iis nocumentum infert. [3]

Tandem defuncto marito debitis obstricto, heredes, uxor nempe et filii, de bonis defunctis, antequam creditores ea accipiant, clam subducere possunt, quantum satis sit ad vitam suam ac statum honeste et parce conservandum : quia participant de privilegio quod marito conceditur. Si autem in judicio requirantur, possunt cum æquivocatione jurare se nihil occultasse seu subtraxisse ; scilicet nihil sibi non debitum jure naturali. [4]

463. III. **Per cessionem bonorum peractam sine fraude, suspenditur quidem, sed non tollitur in nostra ratione restituendi obligatio.** — 1° Suspenditur, tum in foro interno, ob impotentiam ; tum in foro externo, ex beneficio legis. — 2° Non tollitur : quia non intendunt creditores remittere debitori

1. C. P. C., a. 598, 599.
2. Berardi, Praxis, Conf., n. 491 ; Génicot, I, n. 605 ; Noldin, II, n. 509.
3. Marres II, lib. III, n. 330.
4. Ballerini, III, n. 408 ; Zanninetti, III, n. 1499.

illam debiti partem, quam nondum solvere potuit,[1] et id constat ex expressis juris civilis[2] terminis : « cessio bonorum non liberat debitorem, nisi pro debitorum parte, quiæ fuit creditoribus soluta ex venditione bonorum debitorum ». Hinc, si debitor pinguiorem postea fortunam adipiscatur, tenetur ad integram solutionem ; imo tenetur, quantum potest, laborare ac bona acquirere, ut integræ solutioni satisfacere possit.[3]

CAPUT II

De restitutione in specie

464. Post ea, quæ jam egimus de restitutione in genere, dicendum modo est de restitutione facienda propter varias injurias in particulari : quæ quidem in quatuor genera dividuntur, juxta varietatem bonorum, circa quæ versantur, nempe circa bona spiritualia seu animæ, circa bona corporis, circa bona famæ et honoris, et denique circa bona fortunæ. Sed, quia de restitutione circa bona famæ et honoris convenientius dicetur in tractatu de VIII præcepto Decalogi, restat ut hoc loco agamus de restitutione facienda circa bona animi, circa boua corporis, et circa bona fortunæ. Unde tres dantur articuli.

Articulus I

De restitutione ob damnum in bonis animæ

464. Prænotandum est bona animæ esse duplicis generis : naturalia, ut sunt intellectus, memoria, voluntas, scientiæ, artes, et usus istorum ; supernaturalia, quæ ad animæ sanctitatem

1. Marc, I, n. 1022.
2. C. P. C., a. 891.
3. S. Alphonsus, lib. III, n. 699 ; H. A., X, n. 167.

et salutem immediate ordinantur, ut gratia, virtutes, jus ad sacramenta, status clericalis aut religiosus. [1]

466. PRINCIPIUM GENERALE. — **Quisque tenetur ex justitia reparare damna, quæ injuste et efficaciter intulit proximo in bonis animæ tum naturalibus, tum supernaturalibus, dummodo damna ista in eodem ordine reparari possint.** Homo enim non minus habet jus strictum in hæc bona, quam in bona temporalia. —— Dicitur : **dummodo damna ista in eodem ordine reparari possint** ; nemo enim tenetur, saltem ante judicis sententiam, reparare per bona alterius ordinis v. gr. pecuniam, cum inter ea non detur æqualitas quæ requiritur in obligatione justitiæ commutativæ. Licet tamen læso pro certa summa pecuniæ juri suo judicialem compensationem obtinendi renuntiare.[2] —— Hinc 1°) qui efficaciter et injuste damnum intulit proximo in bonis animi quibuslibet, tenetur ex justitia : *a*) causam damnificantem, v. gr. vim, metum, fraudem, errorem tollere, si adhuc existat ; *b*) bonum ablatum aut impeditum, si fieri possit, per se vel per alium restituere ; *c*) omnia damna fortunæ (lucrum cessans et damnum emergens) inde orta reparare, modo saltem in confuso prævisa fuerint. —— 2) Qui vero nec obligatus officio, nec mediis injustis usus, altero infert damnum spirituale, vel eum impedit a consecutione boni spiritualis, non tenetur ex justitia, sed solum ex caritate damnum illatum reparare, si possit : ubi enim non irrogatur injustitia, nulla habetur obligatio restitutionis. Ideo qui pravo exemplo vel suasione alium inducit ad peccatum, solum ex caritate, non autem ex justitia eum revocare tenetur. [3]

467. Unde concluditur : I. **Quoad damnum in bonis naturalibus.** — *a*) Qui alium veneno aut alio modo efficaci memoria, ingenio, ratione privavit, tenetur ex justitia reparare tum damnum personale, eum a morbo curando quoad potest ; tum reale quod inde sequitur, uti est amissio officii, etc. [4] —— *b*) Qui fraude impedivit, ne alter scientiam vel artem addisceret, aut alios doceret, tenetur fraudem depellere, et damna temporalia

1. Noldin, II, n. 455 ; Mechlinensis, p. 219 ; Haine, II, q. 82.
2. Delama, n. 385 ; Muller, II, p. 472 ; Bulot, I, n. 656 ; Ferreres, I, n. 723.
3. Bulot, I, n. 656 ; Noldin, II, n. 455 ; Bucceroni, I, n. 1371.
4. Del Vecchio, II, n. 302 ; Gury, I, n. 724.

exinde secuta reparare.[1] — *c*) Qui officium suscepit alios docendi artem, disciplinam aut scientiam aliquam absque sufficienti peritia, vel illud negligenter implevit, tenetur errores corrigere, si fuerint alicujus momenti, et pretium acceptum pro ratione ignorantiæ aut negligentiæ restituere, necnon damna inde secuta reparare : ideo enim stipendium accepit, ut se utilem præbeat.[2] — Qui vero gratuito, et sine obligatione pacti vel officii, male docuit ex ignorantia vel negligentia, seclusis fraude et dolo, non tenetur ex justitia ad reparationem.[3]

468. II. Quoad damnum in bonis supernaturalibus. — *a*) Qui vi, mendacio, fraude, metu injusto induxit aliquem in peccatum mortale, tenetur sub gravi ex justitia vim, metum, fraudem tollere, et reparare damna etiam temporalia inde secuta, v. gr. si causa fuit, cur inductus ad peccatum expelleretur e collegio, vel e domo consanguinei qui eum alebat, vel amitteret officium, etc. — Si inductus non curat de remedio, quia malum ignorat, vel [illegible]um advertit, vel remedium non cognoscit, inducens tenetur ex justitia ostendere ei remedium vel hujus necessitatem. — Si vero postquam edoctus fuit, in peccato voluntarie perseverat, inducens non tenetur ex justitia aliquid facere pro damno præterito : nam eo ipso videtur huic inducentis obligationi renuntiare.[4]

b) Qui dolo aut fraude induxit alium in errorem circa fidem et mores, tenetur ex justitia eum dedocere, et reparare damna inde secuta.[5]

c) Parochus vel alius qui, ex justitia obligatus sacramenta ministrare, etc., id neglexit, tenetur orationibus, suffragiis, vel quo meliori potest modo, damnum spirituale animabus illatum reparare.[6]

d) Qui per vim, fraudem vel metum gravem aliquem ab ingressu religionis impedivit, aut ad deserendam religionem induxit, ex justitia tenetur vim, fraudem, vel metum tollere, atque tum seducto tum monasterio damna obvenientia resarcire. Respectu autem monasterii, tenetur compensare damnum,

1. Delama, n. 385 ; Gury, I, n. 724.
2. Scavini, II, n. 693 ; Muller, II, p. 673.
3. Gury, I, n. 724 ; Zaninetti, III, n. 1506.
4. Gury, I, n. 724 ; Ballerini, II, n. 342.
5. Gury, l. c.,
6. Mechlinensis, p. 222.

quanti nempe valebat spes commodi temporalis, quod ex labore, industria, donatione, etc., exspectabatur, deductis expensis sustentationis, et habita ratione mutabilitatis voluntatis condidati : ratio est, quia cuilibet competit jus, ne vi, fraude, aliove modo injuste a consecutione alicujus boni impediatur. — Religiosus autem injuste denegans suffragium novitio peccat et tenetur ad restitutionem, nisi adsit causa reprobandi, nempe infirmitatis, malæ indolis, etc., ita ut novitius putetur gravis ordini futurus. — Qui tandem, seclusis malis artibus, sed sine justa causa aliquem avertit ab ingressu religionis, ex justitia ad nihil tenetur, attamen graviter peccat contra caritatem.[1]

Articulus II

De restitutione ob damnum in bonis corporis

469. Inter bona corporis numerantur vita, membra, et virginalis integritas ad quam accedit conjugalis castitas. Quamvis autem disserere de injuriis quæ inferri possunt circa talia bona pertineat ad tractatus de V Præcepto et de Virtute castitatis, nunc de restitutione aliquando ratione illorum facienda dicere cum omnibus theologis debemus : tum quia non adest eadem ratio ad tractatus de V Præcepto et de Virtute castitatis remittendi ea quæ spectant ad restitutionem ; tum quia postulat materiarum connexio ut de iis nunc dicamus. Unde triplex erit paragraphus : scilicet de restitutione facienda *A*) ob homicidium et mutilationem ; *B*) ob stuprum ; *C*) ob adulterium.[2]

A) *Ob homicidium et mutilationem*

470. PRÆNOTIONES. — **Ex homicidio vel ex mutilatione nocumentum** in triplici bonorum genere inferri potest : IN BONIS CORPORALIBUS, IN SPIRITUALIBUS, et IN TEMPORALIBUS.

1. Muller, II, p. 473 ; Delama, n. 385 ; Mechlinensis, p. 222.
2. Carrière, III, n. 1312.

— DAMNA AUTEM IN BONIS CORPORALIBUS consistunt in doloribus toleratis, in membro amputato vel in ipsa vita amissa. — DAMNA IN BONIS SPIRITUALIBUS in hoc consistunt quod occisus fuerit privatus ultimis sacramentis, tempore merendi et satisfaciendi, vel quod careat suffragiis quæ testamento jussisset pro se fieri. — DAMNA TEMPORALIA ad duplicem classem pertinent : *alia directe ipsi mutilato aut occiso, alia personis cum eo varia ratione conjunctis inferuntur. Priora* consistunt in damno emergente seu in expensis faciendis ad curandum morbum e vulneratione secutum, et in lucro cessante seu eo quod labori vel negotioni vacare non potuit : quod impedimentum interdum per totam vitam durare potest. *Posteriora* in eo consistunt, quod uxor, filii, parentes, consanguinei et affines, amici, pauperes quibus occisus aut mutilatus benefacere solebat, et creditores privantur bonis, quæ ipsis sive gratuito sive ex debito ab occiso seu mutilato conferebantur vel conferri sperabantur, ut debita sustentatio filiis et uxori, elecmosynæ pauperibus, solutio creditoribus.[1]

471. OBLIGATIO RESTITUENDI. — I. Damna corporalia, quamvis multi[2] post S. Thomam[3] doceant ea in alio genere bonorum reparanda esse ex justitia, quia debet fieri compensatio qualis possibilis est, **probabilius** tamen juxta alios[4] **non sunt per bona alterius generis compensanda ex stricta justitia :** tum quia bona unius ordinis ex bonis alterius compensari non possunt, tum quia vita et membra hominis nullo pretio æstimari possunt, juxta illud juris romani :[5] « liberum corpus nullam recipit æstimationem. » — Sed si per sententiam judicis homicida aut mutilator cogatur bonis fortunæ satisfacere pro hisce damnis corporalibus, certe tenetur : nam æquitati naturali prorsus consonum est ut, qui alios in bonis unius ordinis læserunt, a judice damnentur ad damnum bonis alterius ordinis compensandum.[6] — Tandem communiter monent auctores,[7] ut confessarius pœnitenti aliquid elargiendum aut ex æquitate aut pœnitentia imponat.

1. Génicot, I, n. 565 ; Noldin, II, n. 456.
2. Billuart, Diss. X, art. XI ; Bouvier, De Rest., Quest. II, art. I ; Carrière, III, n. 1273.
3. 2. 2., Quest. 51, art. II, ad 2.
4. Lessius, Lib. II, cap. IX, n. 141 ; Lugo, Disp. XI, n. 5 ; S. Alphonsus, lib. IV, n. 626 ; Marres, I, lib. II, n. 257.
5. De his qui effuderint, lib. 7.
6. Morino, I, n. 1065 ; Génicot, I, n. 561.
7. S. Alphonsus, lib. IV, n. 627.

472. II. — **Damna spiritualia juxta alios**[1] **possunt et debent ex justitia compensari per orationes, missas, aliaque opera spiritualia** : hæc enim reparatio est in eodem genere cum jure læso. — **Alii**[2] **autem hanc justitiæ obligationem negant**[4] tum quia facultas merendi, sicut et meritum amissum, reparari nequit, nec ullo opere nostro compensari, sicut nec vita ; tum quia, quamvis satisfactio unius prodesse possit alteri, non tamen constat an occisus aliqua satisfactione privatus sit, nec utrum si profutura sit ; tum quia nulla in his certa mensura constitui potest, quæ lege justitiæ debeatur. —— Cœterum omnes agnoscunt optimum, saluberrimum, et caritati maxime consentaneum esse, ut homicida prodesse conetur, quantum in ipso est, animæ defuncti: unde monentur confessarii, ut hujusmodi pœnitentiam, inter alias, injungere non negligant.[3]

473. III.—**Damna temporalia omnia, quæ ex homicidio vel mutilatione secuta sunt, compensare tenetur homicida vel mutilator** : quia ipse est eorum causa vera et efficax.[4]

Unde 1° DAMNA MORTEM ANTECEDENTIA ad æqualitatem restituenda sunt ipsi læso. Igitur occisor aut mutilator reparare debet *damnum emergens* seu expensas curationis, sed tantum necessarias pro conditione occisi seu vulnerati ; item *lucrum cessans*, quo nempe læsus tempore infirmitatis suæ ob laborem intermissum vel ob omissam negotiationem privatus fuit. — Lucrum cessans autem, quod compensandum est, non est ea quantitas, quam læsus lucratus fuerat, antequam infortunium ei accidit, sed multo minor, « quia, ut notat Lugo,[5] agitur de lucro non in se habito, sed in spe ; lucra vero in spe minus valent propter pericula et impedimenta, quæ evenire possunt ; maxime vero incerta sunt lucra ex negatione. » Praestat cum læso hac de re transactionem et compositionem inire, quia quantitas damni determinatu valde difficilis est.[6]

2° QUOAD DAMNA MORTEM SUBSEQUENTIA, hæc tenenda sunt : *a) expensæ funeris non sunt restituendæ,* quippe quæ aliquando faciendæ necessario fuissent, nisi forte occasione

1. Lugo, Disp. XI, n. 3 ; Génicot, I, n. 565.
2. Lessius, lib. II, n. 150.
3. Carrière, III, n. 1314.
4. Carrière, III, n. 1319 ; Ærtnys, I, n. 638.
5. Disp. XI, n. 41.
6. Noldin, II, n. 454 ; Ballerini, III, n. 278 ; Carrière, III, n. 1325.

illatæ necis, v. gr. extra patriam, majores fieri oportuerit vel nisi per judicem ad eas refundendas adstringatur homicida.[1] *b) Reparari debent damna illis personis illata, quæ occiso adeo conjunctæ sunt, ut occisio sit illorum damnorum causa per se, et non solum occasio vel causa per accidens* : nam ut actio damnificans obligationem restitutionis inducat, requiritur ut damnum ex actione tamquam ex sua causa reipsa secutum sit. Porro ad has personas pertinent uxor, filii et parentes, quibus ab occiso debita erat sustentatio : damnum enim illorum, quibus ex stricta pietate debita est sustentatio, ex occisione patrisfamilias sequitur per se, quia unam veluti personam cum eo constituunt, et ideo damnum ex occisione proxime et necessario consequitur. Atvero ut occisor his occisi conjunctis restituere debeat, non sufficit quod sustentatio iis ex pietate debita sit, sed requiritur ut eam ab occiso revera acceperint : si enim sustentationem ab ipso non acceperunt, sive quia occisus ob impotentiam eam prœbere non potuit, vel ob malitiam præbere noluit, sive quia propter abundantes divitias labori pater non incumbebat, ex occasione damnum reipsa non sunt passi.[2]—Hæc autem compensatio, juxta alios,[3] integra debetur, etiamsi illæ personæ aliunde habeant quo se sustentent : damnificator enim totum damnum a se illatum reparare debet ; probabiliter tamen, juxta alios,[4] hæc in circumstantiis non debetur : illis enim personis danda sunt dumtaxat alimenta, quatenus et quam diu egent, quia proxime cognati non habent jus nisi ad ea quæ occisus ex stricta pietate ipsis erogare debuisset. —— Quantitas restitutionis, quæ his personis debetur, non est totum id quod ante mortem occisi accipere consueverant vel ad quod jus haberent, sed determinanda est juxta spem sustentationis : minor enim est valor juris ad rem. Hæc spes autem æstimanda est ex conditionibus personæ occisæ, scilicet quamdiu adhuc vixiset et quantum pro sua peritia et sedulitate lucranda fuisset. In praxi, optimus satisfaciendi modus est pacifica transactio seu compositio cum dictis personis.[5]

1. S. Alphonsus, III, n. 636, 631 ; Lessius, lib. II, cap. 9 ; Lugo, Disp. XI, sect. 4.
2. S. Alphonsus, lib. III, n. 631.
3. Lugo, Disp. XI, n. 37.
4. S. Alphonsus, lib. III, n. 631 ; H. Apost., n. 87 ; Gury, I, n. 726 ; D'Annibale, II, n. 286 ; Haine, II, q. 182.
5. Lugo, Disp. XI, n. 47 ; Noldin, II, n. 457 ; Ærtnys, I, n. 368 ; Génicot, I, n. 566.

Probabilius reliquis personis quæ ex occisione vel mutilatione damnum patiuntur, restituendum non est, nempe reliquis consanguineis, etiam fratribus vel sororibus, pauperibus quibus solebat opem ferre occisus vel mutilatus, ejus creditoribus quibus solvendis jam impar fiat : cum enim isti non ita moraliter unum cum persona læsa constituant, damnum eorum per accidens tantum sequitur ; justitia autem non obligat ad vitanda ea quæ tantum remote et per accidens aliis nocere possunt.[1] — Si vero homicida aut mutilator per scelus suum directe iis nocere intenderit, alii [2] communius docent eum obligari ad restitutionem, quia proximus jus strictum habet ne aliquid agatur unde, etiam per accidens, detrimentum pati possit, ad eum præcise finem ut ipsi noceatur ; alii [3] tamen probabiliter negant hanc obligationem, quia intentio interna nequit mutare naturam actionis externæ, quæ manet semper per accidens tantum cum damno connexa.

474. ORIGO HUJUSCE OBLIGATIONIS. — **Ex solo homicidio voluntario et injusto restitutionis obligatio oritur:** nam sola damnificatio injusta et voluntaria est causa restitutionis faciendæ. Hinc ad nihil tenetur, qui casu aut defensionis causa alium occidit. — Idem valet de mutilatione aut vulneratione.[4]

Qui autem alium occidit excedendo modum justæ defensionis, juxta alios [5] communiter et probabilius tenetur, modo deliberate excesserit, ad plenam restitutionem totius damni : limites enim justæ defensionis scienter excedendo gravem injuriam in invasorem committit, ideoque nihil deest ad onus restitutionis ; sed juxta alios, [6] ad nihil tenetur, quia injustus aggressor sciens volens se exponit periculo mortis, cum probe sciat invasum nihil non tentaturum adversus ipsum et ægerrime servaturum esse moderamen ; scienti autem et volenti non fit injuria.

Qui vero alium occidit in duello aut in rixa, ad restitutionem non tenetur, etsi fuerit provocans. Et quidem *a*) non tenetur

1. Lessius, lib. II, cap. IX, n. 156 ; Lugo, Disp. XI, n. 77 ; S. Alphonsus, lib. III, n. 631.
2. Lugo, Disp. XI, n. 81 ; S. Alphonsus, lib. III, n. 633 ; Gousset, I, n. 1008.
3. Salmanticenses, Tr. 13, cap. 2, n. 108 ; D'Annibale, II, n. 200 ; Bucceroni, I, n. 1373 ; Lehmkuhl, I, n. 1180 ; Piscetta, III, de Rest., n. 197 ; Ferreres, I, n. 726.
4. Noldin, II, n. 456.
5. Lugo, Disp. XI, n. 51 ; S. Alphonsus, lib. III, n. 637.
6. Billuart, Diss. X, art. XI ; Carrière, III, n. 1343 ; Marres, I, lib. II n. 263 ; Génicot, I, n. 567.

erga occisum, quia libere acceptando duellum aut rixam in damna sibi inferenda implicite consentit et consentiendo remittit occisori obligationem illa damna reparandi ; — *b*) non tenetur erga conjunctos occisi, quia eo ipso quod erga occisum non committitur injuria, neque erga ejus conjunctos committitur, qui solum jus habent, ne per vim aut fraudem occiso illatam priventur bono, quod ab eo consequuntur. [1]

475. NATURA HUJUSCE OBLIGATIONIS. — **Hæc restitutio rationem stricti debiti habet pro damno, quod illatum fuit** : unde 1) obligationes homicidæ vel mutilatoris transeunt ad ipsius hæredes, quia sunt obligationes reales ejus bonis inhærentes ; — 2) pariter restitutio, quæ ipsi occiso fieri non potest, debetur ejus hæredibus, quia hæredes in omnia occisi jura realia succedunt.[2]

Obligatio autem restitutionis faciendæ ab hæredibus homicidæ per se manet, etiamsi homicida mortis aut perpetuæ incarcerationis pœna plectatur : damna enim realia ex morte occisi secuta non ad æqualitatem per hujusmodi pœnam compensantur. [3] —— Censent tamen plures excusari hæredem a restitutione, si compensatio damnorum non petatur : tunc enim partes præsumuntur condonare. [4]

Occisus vero potest certo certius remittere restitutionem damnorum quæ mortem antecedunt, quia hæc damna ipsi immediate debentur. Quoad autem damna mortem subsequentia et illata personis cum occiso conjunctis, licet probabilius alii [5] teneant occisum ea remittere aut condonare non posse, quia jus ad eorum compensationem non acquiritur ipsi occiso, nec ab illo per hæreditatem ad alios derivatur, sed immediate ex titulo injustæ damnificationis acquiritur aliis quibus singulis injuria illata est ; attamen probabiliter S. Alphonsus [6] cum plerisque affirmat hæc damna ab occiso valide remitti posse, quia jus ad restitutionem tertiis personis non acquiritur nisi per eum qui occisus est, ideoque, si ipse jus remittit, nihil acquirunt, licet forte

1. Lugo, Disp. XI, n. 71, 72 ; Bucceroni, Casus consc., n. 234 ; Delama, n. 388.
2. Noldin, II, n. 456 ; Marres, I, lib. II, n. 260 ; Génicot, I, n. 566.
3. Gury, I, n. 727 ; Bulot, I, n. 667.
4. Lugo, Disp. XI, n. 49 ; S. Alphonsus, lib. III, n. 631, 705 ; Bucceroni, I, n. 1374.
5. Lugo, Disp. XI, n. 63 ; Ballerini, III, n. 289 ; Waffelaert, II, n. 368.
6. Lib. III, n. 630.

contra pietatem peccaverit, occisus puta renuntiando restitutioni qua proxime conjuncti ad honestam sustentationem indigeant. Unde in praxi restitutio imponi nequit, dummodo de condonatione certo constet. —— Sed notandum est de ea non constare ex eo tantum quod mortaliter vulneratus testatur se ignoscere interfectori : regulatiter enim his verbis significare vult tantum se, juxta legem caritatis, nullo odio illum prosequi, ita ut absolutionem suscipere valeat ; jamvero ab absolutionem obtinendam non requiritur, ut quis obligationem reparandi damnum sibi illatum condonet, neque juri deferendi scelus alterius ad judicem renuntiet. [1]

B) Ob stuprum aut fornicationem

476. PRÆNOTIONES. — 1° Quamvis apud juristas vulgo **stuprum** accipiatur pro violenta oppressione fœminæ, ipsa invita, **hic** tamen **sumitur pro relatione carnali cum virgine, sive fuerit vis illata, sive non.** Unde **stuprator** hic intelligitur, in lato sensu, **quicumque rem habuit cum persona libera et honesta,** i. e. quæ nec nupta sit, nec meretrix. Ideo quæ dicemus de puella, intelligenda sunt pariter de vidua bonæ famæ. [2]

2° Ex stupro hoc duplex damnum inferri potest, **damnum** scilicet **naturale**, quod consistit in læsione integritatis corporis et amissione virginitatis, et **damnum temporale**, quod oritur præsertim ex difficultate matrimonium conveniens ineundi et ex onere prolis educandæ, si quæ concepta fuerit. [3]

477. OBLIGATIO RESTITUENDI. — I. — **Damnum naturale, saltem probabilius, non est compensandum per pecuniam** ; detrimentum enim illud pretio æstimari nequit, et ideo pecunia compensari non potest. — Insuper cavendum est ne quodammodo vendi videatur bonum illud corporis, et sic detur incitamentum ad crimen. Unde licet æquitati consentaneum videatur ut damnum, v. gr. corporis, per pecuniam compensetur aliquo modo, licet valde imperfecto, hæc ratio vim non

1. Lugo, Disp. XI, n. 60 ; Génicot, I, n. 566 ; Mechlinensis, p. 208.
2. Carrière, III, n. 1347 ; Ojetti, III, n. 3856 ; S. Alphonsus, lib. III, n. 646 ; Marc,I, n. 956.
3. Carrière, III, n. 1348 ; Tanqueray, II, n. 571.

habet in præsenti materia : ubi enim agitur de mutilatione, non est timendus abusus ; secus vero hic, ut infausta nimium experientia pluries ostendit. [1]

478. II. Quoad damnum temporale hæc tenenda sunt: 1°) SI PUELLA SPONTE ET LIBERE SOLLICITATIONI, PRECIBUS AC BLANDITIIS EXPRESSÆ CONSENTIAT ABSQUE ULLA MATRIMONII PROMISSIONE, PRÆTER PROLIS, SI NASCATUR, EDUCATIONEM, AD NIHIL TENETUR STUPRATOR ERGA PUELLAM AUT EJUS PARENTES. — Dicitur : *a*) PRÆTER PROLIS EDUCATIONEM : nam, cum stuprator et puella pariter in culpa sint, tenentur ambo, et quidem ex jure naturali æqualiter et in solidum, alere et educare prolem, donec hæc sibi providere possit, quia qui dant esse, dare etiam debent consequentia ad esse. — Dicitur : *b*) AD NIHIL TENETUR ERGA PUELLAM AUT EJUS PARENTES. Et re quidem vera, 1) NIHIL DEBET PUELLÆ, quia scienti et volenti non fit injuria ; 2) NIHIL DEBET PARENTIBUS, quia non violat justitiam seductor, si eam non violet ipsa puella ; atqui revera puella peccat quidem contra pietatem et reverentiam parentibus debitam, sed non contra justitiam, cum sit domina sui corporis et ideo possit sine injustitia velle non nubere, nec eam cogere possint sub eo respectu parentes ; erga seductor qui, ipsa consentiente, concurrit ad illud ponendum impedimentum, non magis quam illa tenetur. — Attamen valde congruum est si seductor sit dives, ipsi per modum pœnitentiæ imponere, ut per augmentum dotis et parentum dolorem leniat et familiæ probrum minuat. — Sed si ipse seductor divulgavit occultum suum crimem, ratione hujus injustæ diffamationis tum erga puellam, tum erga illius parentes obligatur ad reparandum omne damnum exinde exsurgens, ut communi sententia theologi docent. [2]

479. 2°) SI PUELLA VI, METU VEL DOLO FUERIT AD CRIMEN ADDUCTA, ABSQUE TAMEN MATRIMONII PROMISSIONE, TENETUR OPPRESSOR AUT SEDUCTOR OMNIA DAMNA EXINDE SECUTA REPARARE : his enim utendo mediis, damna hujusmodi injuste, efficaciter ac culpabiliter intulit.

1. S. Alphonsus, lib. III, n. 640 ; Marres, I, lib. II, n. 290 ; Bucceroni, I, n. 1376 ; Carrière, III, n. 1348 ; Lehmkuhl, I, n. 1186.
2. Marc, I, n. 957 ; Delama, n. 389 ; Salmanticenses, de Rest., cap. III, n. 2 ; S. Alphonsus, lib. III. n. 641 ; Lugo, Disp. XII, n. 8 ; Génicot, I, n. 568 ; Carrière, III, n. 1350, 1375.

Hinc *a*) *dummodo adfuerit vis, metus vel dolus, exsurgit pro seductore obligatio restitutionis faciendæ.* Sub nomine autem vis, metus aut fraudis veniunt non solum violenta oppressio, sed etiam minæ injuste incussæ (v. gr. si puella ad copulam adigitur metu mortis, vel etiam gravi metu reverentiali, ut si corruptor sit superior vel vir magnæ auctoritatis), mendacia aut falsæ promissiones (v. gr. si ficte promittat magnam dotem, magnam remunerationem, aut si promittat se solis tactibus hæsurum.) [1] — Huc etiam referunt si una cum precibus junctæ sint minæ aut metus reverentialis ; — si preces essent adeo importunæ et frequentes, ut puella majus detrimentum æstimaret vexationem illam, quam virginitatis jacturam : tunc enim sollicitatio tam vexatoria vi comparatur ; in praxi nihilominus, ut bene addunt, rarissime id contingit, cum puella facile possit irascendo vel aliter a sollicitante se liberare ; — si vir incipiat tactibus et osculis vim puellæ relunctanti inferre, etiamsi illa postea libere consentiat deflorari : quia per antecedentem illam violentiam vir constituit eam in proximo periculo consentiendi in copulam ; — si vir nolit discedere, et virgo ideo consentiat, quia timet infamari si cum illo ab aliis sola reperiatur. Addunt tamen in his et similibus casibus stupratorem non teneri ad integram restitutionem, quia non omnino coacta puella consentit, et ideo amittit jus ad partem damnorum : quod æquitati consonum videtur. [2]

b) *Stuprator tenetur reparare omnia damna, quæ ex peccato virgini et illius parentibus obvenerunt.* Hæc autem damna duplici modo reparare potest, aut eam in uxorem ducendo, aut ei dotem præbendo vel aliter curando, ut æque bene nubere possit ac nupsisset, si violata non fuisset ; et si ideo nubere non potest, eam sustentare debet. — Attamen mulier stupratorem, qui se in conjugem offert, accipere non tenetur, nisi ultro velit : nam æquitati prorsus repugnat, ut quæ per stuprum injuriam passa est, insuper amittat libertatem cui vult nubendi ; quare si ipsa stupratori nubere recusat, eam dotare debet. Sed stuprator virginem, quæ recusata dote matrimonium exigit, ducere non tenetur : nam solum damnum per stuprum illatum reparare tenetur ; hoc autem reparat eam ita dotando, ut æque bene nubere possit.

1. Tanqueray, II, n. 571 ; Carrière, III, n. 1352, 1355.
2. Salmanticenses, de Rest., cap. III, n. 16 ; S. Alphonsus, lib. III, n. 642 ; Carrière, III, n. 1353.
3. Noldin, II, n. 400 ; Marres, I, lib. II, n. 291.

Ab hoc autem officio stuprator excusatur duplici casu : (a) si puella injuriam condonaverit : quia tunc res adducuntur ad eum statum in quo fuissent, si puella sponte et libere consensisset ; — (b) si puella nullum reipsa damnum passa fuerit, quia v. gr. jam secundum suum statum nupsit, aut religionem ingressa est, aut præmatura morte obiit, nisi autem de compensatione damni pactum fuerit. Si enim hoc pactum existit, contractu standum est, quia libere et valide de pretio pro periculo damni, quod mulier subiit, contraxerunt. [1] — Attamen si mulier a viro post matrimonium ob cognitam deflorationem, male tractetur, stuprator tenetur damnum ei compensare. [2]

c) *Si proles nascatur, tenetur stuprator solus et solvere expensas partus ac puerperii, et prolem alere*, i. e. solvere sumptus pro victu, vestitu, habitatione et educatione, quousque ipsa sibi providere potest : solus enim stuprator est causa peccati. Attamen ejus defectu mater curam filii, licet nullam culpam admiserit, suscipere debet, quia mater est : sed tunc recursum servat in corruptorem, qui omnes expensas, quas mater occasione prolis fecit, ipsi refundere tenetur. [3]

480. 3°) Si puella seducta fuerit per promissionem matrimonii, a) controvertitur utrum teneatur eam ducere. *Nonnulli enim recentiores* [4] *opinantur etiam ex jure naturæ eum matrimonii promissione ergo puellam in conscientia non ligari*, quia, uti aiunt, contractus de re turpi est irritus et nullum conscientiæ ligamen imponit. Hæc sententia, addunt ipsi, f[illegible] magis favet bonis moribus, cum, ea admissa, non tam facile seducerentur puelæ. — *Alii* [5] *probabilius et communius docent stupratorem justitiæ obligatione ad puellam ducendam æqualiter teneri, sive promissio fuerit vera, sive ficta*. Ratio est, quia si ducere promisit, posito a puella opere illicito, tenetur ratione contractus onerosi do ut des, facio ut facias, qui exigit, ut semper

1. Tanqueray, II, n. 572 ; Carrière, III, n. 1359 ; Marres, I, lib. II, n. 292.
2. Lugo, Disp. XII, sect. I ; Lessius, lib. II, cap. 10, dub. 2 ; Marc, I, n. 958.
3. Scavini, II, n. 726 ; Gury, I, n. 730 ; Tanqueray, II, n. 574 ; Delama, n. 390.
4. Carrière, De Contr., I, n. 332 ; Gousset, I, n. 1015 ; Haine, II, q. 184.
5. Marres, I, lib. II, n. 293 ; S. Thomas, in IV, D. 28, q. I, art. II ad 4 ; Billuart, Diss. X, art. XI, append. II ; Génicot, I, n. 569 ; Marc, I, n. 959 ; Delama, n. 389 ; Noldin, II, n. 460 ; Gury, I, n. 729 ; Scavini, II, n. 724 ; S. Alphonsus, lib. XII, n. 642.

quoties unus contrahens præstitit partem suam, etiam alter suam impleat, si licite possit ; jamvero obligatio in casu suscepta matrimonii contrahendi nec turpis est, nec ad turpem adigit. Si vero violator ficte promisit, tenetur ratione injuriæ, quam puellæ intulit illam ficto consensu decipiendo, quamque adæquate reparare debet : hoc autem fieri dumtaxat potest, verum consensum præstando, et puellam ducendo. Confirmatur hæc sententia nonnullis declarationibus S. C. Concilii. [1]

Dicitur : *regulariter ;* quia cessat ineundi matrimonii obligatio, si puella jure suo cedat, etsi parentes dissentiant : quia jus ad matrimonium ipsi proprie competit ; — si obstet lex de vitando scandalo, vel dedecus familiæ, v.gr. si inter virum nobilem et puellam magna est status (non solum divitiarum) inæqualitas ; — si timeatur e matrimonio pessimus exitus, puta, si puella noscatur nimis levis vel si sit acatholica, et timeatur perversio prolis, etc. ; — si obstet lex canonica, v. g., ob consanguinitatem, votum, etc., nec soleat concedi dispensatio, vel solum cum magnis expensis aut incommodis ; secus probabilius, in casu contrario : quia qui tenetur ad finem, tenetur ad media ; — si obstet lex civilis, v. gr., ob dissensum parentum viri minorensis, et matrimonium fiat moraliter impossibile ; — si femina jam fuerit inhoneste, i. e. extra matrimonium, corrupta : quia inire matrimonium cum tali femina multo pluris æstimatur quam id quod stuprator ab ea accepit, et ceteroquin damnum ipsi illatum sufficienter alio modo reparari potest. — In his omnibus casibus, liberatur quidem stuprator ab onere matrimonii, sed non ab obligatione reparandi damna.

Cessat autem et ipsa obligatio reparandi damna, si seductor paratus sit promissioni stare, et femina sine ratione sufficienti renuat ; secus, si renuat juste, v. gr. quia vir se finxit melioris vel æqualis conditionis, cum sit inferioris ; — si femina ex verbis aliisve circumstantiis facile animadvertere potuerit deceptionem, puta si cognoverit seductorem sibi esse in nobilitate aut fortuna superiorem, aut si vir insconstanter fuerit locutus, vel fuerit usus verbis ambiguis, vel nimias adhibuerit exaggerationes : quia tunc puella non decepta, sed seipsam decepisse censetur ; — si femina seductorem deceperit, fingendo se virginem : deceptio enim compensat deceptionem ; — si ideo infametur, quia

1. Acta S. Sedis, Vol. I, p. 341, et Vol. III, p. 304.

ipsamet stuprum clam patratum manifestavit ; — si stuprata postmodum cum alio fornicetur : frangenti enim fidem, fides servari non debet.[1]

b) Si proles nascatur, stuprator, qui excusatur tantum ab ineundo matrimonio, ligatur eisdem obligationibus ac si adhibuerit vim aut fraudem : tenetur enim ad omnia damna reparanda. At si etiam excusetur a damnis, tunc habet easdem obligationes quas habet deflorator qui violavit puellam consentientem : puella enim habetur tunc tanquam consentiens, quia seipsam decepit, vel seductorem decepit, vel fidem fregit.

481. 4°) SI AUTEM PLURES CUM EADEM PUELLA STUPRUM FECERINT, et proles nascatur quin possit cognosci quisnam sit pater, distinguendum est : 1) *si puella libere et voluntarie admiserit stuprum cum pluribus*, tunc ipsa est causa incertitudinis, ideoque sola tenetur ad damna omnia subeunda et stupratores ad nihil tenentur ; — 2) *si non libere consenserit*, subdistinguendum est : *a*) *si plures communi conspiratione egerunt aut saltem cum advertentia, qua cognoverunt plures simul causam efficacem ponere* et ideo patrem fieri incertum posse, singuli tenentur ad nativitatis ac puerperii expensas et ad prolis æducationem pro rata et in solidum : singuli enim sua agendi ratione causa sunt, cur pater sit incertus, et sic puellam injuste impediunt, quominus compensationem exigere possit ; — *b*) *si singuli non præviderunt sua agendi ratione patrem fieri posse incertum*, controvertitur : alii valde probabiliter docent singulos teneri in solidum ad restitutionem, quia singuli culpabiliter posuerunt causam ex se efficacem ipsius prolis, et si incertitudo oriatur quoad patrem prolis, hæc ipsis stupratoribus tribuenda est ; alii probabiliter tenent nulli stricte imponendam esse restitutionis obligationem, quia non certo constat quis ex illis sit revera pater prolis : unde in praxi, suadenda est, sed non urgenda, restitutio.[2]

482. Inquirendum superest utrum PARENTES teneantur ad restitutionem ergo BREPHOTROPHIUM vel XENODOCHIUM, si proles illegitima ibi mittatur, ut non raro in hujusmodi casibus evenit. — Si parentes sint pauperes, licite et citra omnem obligationem

1. S. Alphonsus, lib. III, n. 615-648 ; Marc, I, n. 959 ; Mechlinensis, p. 213 ; Morino, I, n. 1077, 1078 ; Carrière, III, n. 1363-1370.
2. Tanqueray, II, n. 488 ; Noldin, II, n. 453 ; S. Alphonsus, lib. III, n. 657.

possunt prolem in bæphotrophium mittere : quia talia instituta erecta fuerunt ad subveniendum pauperibus. — Si autem sint divites, controvertitur. Alii [1] communius et probabilius affirmant eos ad impensas resarciendas teneri : brephotrophia enim instituta sunt in gratiam infantium, non vero parentum, nec præsumendum est eorum fundatores a solvendis expensis divites eximere voluisse. — Alii [2] probabiliter negant talem obligationem adesse : xenodochia enim instituta sunt, non solum ad subveniendum pauperibus, sed etiam divitibus in infamiæ periculo, in quo timenda essent vel abortus vel infanticidium, imo et instituta sunt præcipue pro illis pueris spuriis, ad eos liberandos a discrimine mortis æternæ, cui sæpe exponerentur, si parentes ex proprio eos alere deberent. In praxi tamen, omnes conveniunt enixe esse urgendos genitores divites, saltem titulo pœnitentiæ, ad aliquid hospitali tribuendum, ut ita sui facinoris gravamen sentiant. [3]

C.) Ob adulterium

483. PRÆNOTIONES. — 1° **Adulterium,** ut omnes norunt, **est commercium carnale cum persona conjugata.** In præsenti quæstione, intelligitur commercium carnale cum muliere conjugata, quia tunc oriuntur speciales difficultates. ut in decursu videbitur.

2° Per adulterium autem DUPLEX INFERTUR INJURIA : semper adest INJURIA ERGA ALTERUM CONJUGEM, cum frangatur fides ei debita ; SI AUTEM ORIATUR PROLES, ADEST ETIAM DAMNUM TEMPORALE, quatenus filius illegitimus cum filiis legitimis alitur expensis mariti, ab illo dotatur, ei succedit, etc.

3° QUOAD INJURIAM ALTERI CONJUGI ILLATAM, non occurrit magna difficultas. Duplex enim distingui potest : *altera quæ dici potest realis seu materialis,* consistit in eo quod viri jura usurpat quicumque commercium cum ejus muliere habet, quia

1. Carrière, III, n. 1373 ; Lugo, Disp. XIII, n. 4, 5 ; Salmanticenses, De Rest., n. 28.
2. S. Alphonsus, lib. III, n. 656 ; Ferreres, I, n. 734 ; Haine, II, q. 187 ; Zanninetti, III, n. 1515.
3. Scavini, II, n. 668.

vi illius vinculi, quod ex unitate et indissolubilitate matrimonii oritur, fit ut mulier sui corporis potestatem non habeat, sed vir ; *altera, quæ dicitur proprie personalis*, est contumelia viro illata, et dedecus quod ex uxoris adulterio in eum redundare censetur. Jamvero, *quoad priorem*, quæ sola adest quando adulterium manet occultum, nihil debetur : nam in se reparari nequit ; sed compensatio ipsi marito fit uxorem restituendo, et abstinendo ab ulteriori adulterio. *Quoad posteriorem*, non debetur nisi satisfactio honoraria, petitio veniæ, vel aliud hujusmodi, secundum circumstantias : tunc enim reparatur injuria in quantum possibile est. [1]

Unde remanet agendum DE DAMNO TEMPORALI, quod ex adulterio oritur, si nascatur proles.

484. OBLIGATIO RESTITUTIONIS FACIENDÆ. — I. **Si constet de prole adulterina,** videndum est UTRUM SIT CERTUM PROLEM NATAM ESSE EX TALI ADULTERIO, vel UTRUM DUBIUM SIT QUIS EX PLURIBUS ADULTERIS EJUS PATER SIT.

a) SI CONSTET PROLEM NATAM ESSE EX TALI ADULTERIO, considererandum est *utrum mulier consenserit in adulterium* vel *utrum adulter vi, metu gravi, aut fraude consensu mulieris extorserit.* — 1) *In priori hypothesi,* uterque tenetur in solidum ad restitutionem : quia uterque fuit totius damni causa efficax et formaliter injusta. — 2) *In posteriori hypothesi,* adulter solus omnia damna, quæ ex adulterio sequuntur, reparare debet : quia solus est causa injusta, efficax ac culpabilis hujus damni [2]

b) SI DUBIUM SIT QUIS EX PLURIBUS ADULTERIS EJUS PATER SIT, ut dictum est supra de stupratoribus, probabile est nullum ad restitutionem teneri, *si ipsi adulteri vi, metu, fraude consensum mulieris extorxerint :* nemo enim tenetur ad reparandum damnum, nisi moraliter constet eum damni causam fuisse. Excipe : 1) si secundus adulter adverterit se suo facto causam fore cur dignosci nequeat, cujus sit proles ; qua in casu, teneretur solus ad damnum ex illa incertitudine illatum ; 2) si ex communi consilio adulterium patraverint : tunc enim quisque teneretur pro rata et in solidum. [3] — *Si autem mulier diversis adulteriis*

1. Carrière, III, n. 1381.
2. Noldin, II, n. 462 ; Génicot, I, n. 570 ; Marc, I, n. 961 ; Tanqueray, II, n. 576.
3. Marc, I, n. 963.

libere consenserit, ipsa sola ad restitutionem tenetur : illam enim incertitudinis causam admisit.[1]

Attamen hæc restitutionis obligatio cessat, si maritus filium adulterinum scienter ut proprium retinuit, vel adulterium, eo consentiente, commissum fuit : quia, etsi matrimonio injuria facta sit, non tamen marito facta est.[2]

485. II. **In dubio an proles sit adulteri vel mariti,** licet alii[3] dicant adulterum teneri ad restitutionem secundum proportionem dubii, quia periculum, quod incurrit maritus alendi et dotandi filium forte non suum, est pretio æstimabile, ideoque, cum adulter causa sit illius incommodi, tenetur illud compensare ; attamen plures alii[4] probabilius et communius eum ab omni restitutione excusant : tum quia possidet matrimonium, et filius legitimus reputatur, nisi constet de opposito juxta illud notum adagium : pater est, quem nuptiæ demonstrant ; tum quia melior est conditio adulteri possidentis bona sua, quibus non tenetur se spoliare pro obligatione dubia.

486. OBJECTUM RESTITUTIONIS. — I. — **Damna ab adulteris compensanda ea sunt, quæ per se ex eorum scelere proveniunt:** damnificatores enim injusti tenentur tantum compensare damna, quorum causa efficax fuit actio eorum injusta. Hinc adulteri 1°) RESTITUERE DEBENT OMNES SUMPTUS, QUOS MARITUS FACIT IN ALENDA ET EDUCANDA PROLE SPURIA : quia ex falsa causa et dolo injusto adulterorum eos sumptus maritus subit ; 2) COMPENSARE DEBENT DETRIMENTA QUÆ ALIA FAMILIÆ MEMBRA PATIUNTUR EO QUOD FILIUS EX IPSA LEGIS DISPOSITIONE PARTEM CUM IIS IN HÆREDITATE PATRIS ALIORUMVE CONSANGUINEORUM OBTINEAT : patet enim alia familiæ membra per viam injustam impediri a consecutione eorum bonorum, quæ saltem legitime consequi poterant, etiam quando ad ea jus strictum non habebant. —— Igitur restitutio facienda est iis, qui impenderint, dederint, eisque defunctis, eorum hæredibus ; restitutio item facienda est legitimis filiis adulterini filii causa læsis, si filius illegitimus simul cum legitimis hæreditatem

1. Ferreres, I, n. 433.
2. D'Annibale, II, n. 281 ; Zaninetti, III. n. 1515.
3. Molina, D. 103, n. 3 ; Laymann, lib. III, tr. III, part. III, c. XIV, n. 3 ; Carrière, III, n. 1385.
4. Lugo, Disp. XIII, n. 17 ; Salmanticenses, de Rest. n. 30 ; S. Alphonsus, lib. III, n. 657 ; Zaninetti, III, n. 1515.

acceperit.[1] Non adest autem probabilius obligatio restituendi pro bonis, quæ a consanguineis libera voluntate dantur vel legantur spurio, quem legitimum putant, quia damnum hoc ex adulterio per accidens et præter intentionem sequitur.

487. II. — **Ipse autem filius, adulterinus si certo novit suam conditionem, nequit sine injustitia retinere hereditatem lege delatam**, ut patet, sed, cum restituere debeat ex re injuste accepta, restituere debet ea, quæ adhuc habet, vel eorum æquivalens, in quo injuste ditior factus est ; vel **ipsas donationes a consanguineis sibi unice tamquam legitimo factas**, utpote errore substantiali innixas ideoque nullas. **Retinere tamen potest dona exigui valoris vel quæ ipsi principaliter propter alias rationes tribui videantur:** censeri enim possunt absolute donata.[2] — Dicitur : **si certo novit suam conditionem**, quia in dubio censetur filius legitimus. Hæc autem certitudo non habetur ex solo testimonio matris etiam jurantis eum esse spurium. Re quidem vera, juxta sententiam communissimam et probabiliorem, filius credere non debet matri, etiamsi juramento adserat eum esse spurium, nisi insuper accedant ejusmodi indicia et rationes, propter quas etiam in foro externo spurius haberetur, ex. gr. absentia patris : etenim filius jure, cujus possessione jam fruitur, cedere non debet, nisi se esse spurium certo constet ; jamvero nemo obligatur ad credendum unico tantum testi etiam fidei probatissimæ, præsertim turpitudinem suam asserenti : hinc etiam habetur Cap. Licet, De Testibus : « Licet quædam sint causæ, quæ plures quam duos exigant testes, nulla tamen est causa, quæ unius testimonio quamvis legitimo terminetur. »[3]

488. TEMPUS RESTITUENDI. — **Adulteri non statim post prolem natam omne damnum exinde forte oriturum reparare debent**, quia nemo obligatur ad reparandum damnum, quod nondum est illatum ; sufficit ut adulteri propositum habeant resarciendi postea omne damnum, quod ex injusta sua actione aliis obveniat.

1. S. Alphonsus, lib. III, n. 659 ; Bucceroni, I, n. 1377.
2. Génicot, I, n. 571 ; Delama, n. 392 ; Noldin, II, n. 463.
3. Lessius, lib. II, cap. X, n. 51 ; Laymann, lib. III, cap. XIV, n. 1 ; Lugo, Disp. XIII, n. 61 ; Salmanticenses, De Rest., cap. IV, n. 59 ; S. Alphonsus, lib. III, n. 659 ; Marres, I, lib. II, n. 309.

Quodsi nihilominus expedit, ut restitutio statim fiat, v. gr. propter imminentem adulteri mortem, **ex præsumpta rationabiliter voluntate restitutio pro rata probabilitate damni exinde secuturi fieri potest**: fiet ergo restitutio proportionate ad probabilitatem, secundum judicium viri prudentis, habita ratione ætatis, complexionis, sanitatis, et aliarum circumstantiarum. — Modo autem illa æstimatio legitime facta fuerit, postea adulter, aut illius causam habens, nihil repetere poterit, nec aliquid addere tenebitur, sive damnum de facto superet, sive sit infra æstimationem : adfuit enim contractus, aut quasi-contractus aleatorius ; quidquid reipsa evenerit, adfuit idem periculum lucri et damni : reparatio est jam omnino facta, nec proinde ullo modo iterari aut retractari debet. [1]

489. MODUS RESTITUENDI. — Valde difficile est restituere in hoc casu, quum ex restitutione oriri possint suspiciones de adulterio commissio, quæ pacis familiam turbarent. Hinc omnino prudens esse debet confessarius hac de re.

I. **Adulter potest eligere unum ex diversis restitutionem faciendi modis, qui ab Auctoribus assignantur** : — *a*) OCCULTE SUB ALIQUO PRÆTEXTU SUMMAM PECUNIÆ TRADI CURET MARITO AUT FILIIS LEGITIMIS ; *b*) SUB PRÆTEXTU AMICITIÆ AUT SIMILI MODO ILLIS ALIQUID LEGET, SED ITA CAUTE, UT NON DETUR OCCASIO SUSPICANDI ; *c*) SUMMAM RESTITUENDAM COMMITTAT VIRO CUIDAM PRUDENTI ET DISCRETO, qui, ope alicujus tertii in alia regione commorantis, si necessarium videretur, eam trasmitteret iis ad quos pertinet, qui simul monerentur eam ipsis deberi. [2] — Si tamen ADULTER RESTITUTIONEM ABSQUE GRAVISSIMO INCOMMODO (periculo vitæ, detrimento famæ, turbatione et discordiis familiarum) FACERE NEQUIT, AB EA FACIENDA EXCUSATUR [3] : quia tunc adeat impossibilitas moralis.

490. II. **Adultera, quæ bona sibi propria habet, ex hisce marito et filiis restituere debet.** Hinc justitiæ obligationi aut partim aut integro jam satisfacit, quando reditus bonorum, quorum ipsa habet administrationem, tacite aut secreto modo in communes familiæ expensas refundit. Dato autem quod ita non potest fieri integra restitutio, adultera in

1. Marres, I, lib. II, n. 306 ; Carrière, III, n. 1391.
2. Haine, II, q. 188 ; Carrière, III, n. 1390.
3. S. Alphonsus, lib. III, n. 655 ; Génicot, I, n. 571 ; Noldin, II, n. 464.

favorem mariti et legitimæ prolis de bonis propriis per testamentum disponere tenetur : cavendum est tamen, ne favendo quibusdam cum spurii detrimento, suspicionem criminis ingerat vel odio excitet. Si vero uxor bona sibi propria non habet, damna reparare tenetur, diligentius laborando, parcius rem familiarem administrando, vel superflua corporis cultui detrahendo. [1]

III. **Attamen mulier adultera, quæ alio modo damnum reparare nequit, crimen suum manifestare non tenetur :** ratio est 1) quia per manifestationem, ut plurimum, damnum vitari nequit : nemo enim tenetur credere uni testi licet probatissimo, ideoque neque filius spurius matri asserenti illum esse illegitimum, nisi indicia evidentia accedant ; 2) quia talis revelatio communiter fieri nequit absque gravissimis malis, scilicet gravi infamia, gravissimo mariti moreore ac odio, pacis domesticæ naufragio, quandoque etiam mortis periculo ; nemo enim ad reparandum damnum temporale alienum cum tanto suo superioris ordinis detrimento obligatur : hinc Innocentius III : [2] « Mulieri, quæ, ignorante marito, de adulterio prolem suscepit, quamvis id viro suo timeat confiteri, non est pœnitentia neganda. » Unde observant auctores mariti ipsius atque filiorum legitimorum plerumque longe magis interest, ut res maneat in occulto. [3]

Excipiunt tamen quidam, *a*) si mater sit perditæ famæ, et *b*) si secus timeatur publicum damnum, v. gr. si filius sit improbus et succedere debeat in principatu. Ast etiam in hisce casibus, ut ait S. Alphonsus, [4] res difficultate et periculo non caret, ideoque crimen est potius occultandum, quam manifestandum.

NOTA.—Si filius spurius (quod raro evenit) ad bæphotrophium vel xenodochuim, mittatur, parentes probabiliter non tenentur ad restitutionem, uti dictum est n. 482.

1. Marres, I, lib. II, n. 307 ; Ballerini, III, n. 321.
2. Cap. Officii, X, De Pœnit. et Remiss., V, 28.
3. Lugo, Disp. XIII, n. 45, 38 ; S. Alphonsus, Homo Apost., X, n. 101 ; Delama, n. 392.
4. Lib. III, n. 653, 654.

ARTICULUS III

De restitutione ob damnum in bonis furtunæ

492. Quum de reparatione quæ in bonis fortunæ afferri potest, superius jam dictum sit, ubi de damnificatione, possessione et cooperatione injusta egimus, superest tantum ut hic tractemus de aliquibus casibus particularibus in quibus speciales difficultates occurrunt. Jamvero auctores ordinarie hic agunt de restitutione propter tributorum defraudationem, vel ob damnum illatum occasione militiæ obligatoriæ. Sed in nostris regionibus, nullibi datur lex de militia obligatoria, ideo nobis remanet tractendum solummodo de restitutione ob defraudationem tributorum.

De restutitione ob defraudationem tributorum

493. DEFINITIO TRIBUTI. — **Tributum seu vectigal est omne id, quod a legitima potestate imperante civibus solvendum imponitur, ad sustinenda communia reipublicæ onera.** [1]

494. Duplex tributum distinguitur : **directum** et **indirectum.** — **Tributa directa** sunt ea, quæ personam vel ejus bona immediate, juxta facultatum æstimationem, afficiunt ; uti sunt tributa realia, super agris et domibus, et personalia super familia ejusque membris, super exercitio mercaturæ, industriæ, artis, professionis. —— **Tributa indirecta** sunt ea, quæ cadunt immediate in res vel merces, mediate vero in personas : huc veniunt VECTIGALIA CIRCA RES TRANSVEHENDAS AUT VENDENDAS ; TAXÆ SOLVENDÆ PRO JURE SUCCESSIONIS, PRO DESCRIPTIONE CONTRACTUUM, PRO CANIBUS, PRO CURRIBUS ET EQUIS, PRO FABRICATIONE CERTARUM RERUM, ut cerevisiæ, PRO PEDAGIO, quod est præstandum a transeuntibus per viam vel pontem. [2]

495. OBLIGATIO SOLVENDI TRIBUTA. — I. — **Lex tributorum, ex communi doctrina, generatim loquendo,**

1. Marc, I, n. 964 ; Delama, n. 393.
2. Scavini, II, n. 736 ; Marc, I, n. 964 ; Zaninetti, III, n. 1568.

obligat in conscientia ex justitia legali, si debitas conditiones habeat : SI NEMPE FERATUR A LEGITIMA POTESTATE, EX JUSTA CAUSA COMMUNIS BONI, SUSTENTATIONIS ET DECORIS PRINCIPIS, ET SERVETUR DEBITA PROPORTIO JUXTA COMMUNEM NECESSITATEM ET SINGULORUM SUBDITORUM FACULTATES. Etenim justitia legalis præcipit, ut et princeps et subditi pro sua quisque parte conferant ea, quæ ad bonum societatis sunt necessaria ; sicut igitur princeps tenetur curam societatis habere, ita et subditi, quæ ad hanc curam sunt necessaria, præstare debent. [1]

496. II. Sed hodiedum tributa solvenda plurimum aucta sunt, et impenduntur sæpissime, magna ex parte, rebus exiguæ utilitatis vel plane superfluis, puta in alendis ingentibus exercitibus, in remunerandis inutilibus officialibus, in erigendis ædificiis sumptuosis, etc. Ideo merito, ut aiunt, existimare quisque potest sufficienter a se in utilitatem publicam conferri, licet hinc inde aliquid fisco subtrahat. [2]

Unde exsurgit acris controversia intra theologos. ALII TENENT CUM STO ALPHONSO [3] LEGES TRIBUTORUM ESSE DE FACTO PRÆCEPTIVAS, ITA UT DEFRAUDANTES TRIBUTA PECCENT ET TENEANTUR AD RESTITUTIONEM : etenim existit tacitus contractus quem populus facit eligendo eos qui tributorum leges ferent ; unde cives ad ea solvenda tenentur, perinde ac si mandatum dedissent alicui ad expensas suo nomine faciendas. [4] —— ALII [5] DOCENT EAS LEGES OBLIGARE IN CONSCIENTIA EX JUSTITIA LEGALI, ITA UT PECCENT FRAUDANTES TRIBUTA, SED NON TENEANTUR AD RESTITUTIONEM : subditi enim tenentur leges servare ac tributa solvere, sicut et ipse princeps tenetur recte gubernare, videlicet ex sola justitia legali, a cujus læsione non oritur restitutionis obligatio. — ALII [6] TANDEM HABENT LEGES TRIBUTORUM UT MERE PŒNALES, ITA UT OBLIGENT TANTUM AD SOLVENDUM VEL TRIBUTUM VEL MULCTAM QUÆ FRAUDANTIBUS IMPONATUR : hæ enim leges leges generatium sub pœna, etiam magna, imponuntur : unde juste præsumitur legislator nolle

1. Bucceroni, I, n. 232.
2. Génicot, I, n. 574 ; Ærtnys, I, n. 377.
3. Lib. III, n. 616.
4. Waffelaert, II, n. 419.
5. Porpora, tr. XIII, n. 262 ; Rohling, p. 225 ; Pruner, p. 383.
6. Ballerini, I, n. 325 ; Bucceroni, I, n. 232 ; Génicot, I, n. 574 ; Frassinetti, I, diss. 7 ; Berardi, Praxis, II, n. 415, 1651, 3155 ; Haine, II, q. 195 ; Crolly, III, disp. 8, dub. 71 ; quibus consentit Lehmkuhl, Casus, I, n. 637.

Lex pure poenalis - nullo modo obligat in conscientia (?)

Lex mere poenalis - obligat sive ad rem praescriptam sive ad poenam.

obligare etiam sub culpa ; — insuper si tot tributa solverentur integra, excederent certo societatis necessitatem, ideo non est credendum voluisse principem sub peccato obligare ; — accidit universalis consuetudo, quæ ita has leges accipit et interpretatur : etenim homines etiam timorati nullam culpam in conscientia a se admissam esse opinantur, si tributa directa, etiam taxata, non solvunt quia non exiguntur (quod sane perrarum est), vel si indirecta aliquo artificio omissave declaratione effugerunt ; quodsi fisci exactores deceperunt, mendacii non autem injustitiæ reos se esse existimant ; — experientia autem constat, non obstante hac praxi, efficaciter necessitatibus communibus rei publicæ subveniri. —— Unde, stante saltem dubio de obligatione, nemo videtur inquietandus, si tributa etiam directa, ab exactoribus non petita, non solverit, imo, etsi exactorum vigilantiam mere eluserit, fraudibus seclusis. [1]

497. III. Pro praxi hac notunda sunt : I. — ADHORTANDI SUNT SEDULO FIDELES, UT TRIBUTA OMNIA DILIGENTER SOLVANT, ET IN EIS AB OMNI DEFRAUDATIONE ABSTINEANT. Attamen non tenetur confessarius petere a pœnitentibus, utrum alicujus defraudationis rei sint, hoc enim a communi praxi omnino alienum est ; nam confessarius non est constitutus sicut vectigalium præpositus, aut exactor publicus. Quod vero ad forum conscientiæ attinet, generatim fideles etiam timorati non existimant se peccatum, saltem grave, committere, neque ad restitutionem teneri, si quandoque vectigalia solvere omittant, si merces, propter quas tributum exigitur, occultent, etc. Plerumque nihil proficeret confessarius, si ex bona fide eos deducere vellet. Insuper res maximæ controversiæ inter DD. subjicitur, nec pertinet ad confessarium eam dirimere. [2]

498. II. — EXACTORES PECCANT ET TENENTUR AD RESTITUTIONEM, SI DILIGENTIAM CONVENIENTEM NON ADHIBUERINT AD TRIBUTUM EXIGENDUM ; si sine justa causa leniter vel dissimulate erga aliquem egerint, ut is totum vectigal, vel ejus partem respective notabilem, defraudare possit ; si multas non imponendo audaciam scienter addant fraudatoribus, et fiscus inde damna subeat ; si mulctas non exigant post sententiam ; vel

1. Bucceroni, I, n. 232 ; Zaninetti, III, n. 1569.
2. Delama, n. 397 ; S. Alphonsus, lib. III, n. 616 ; Marc, I, n. 970.

si alio quocumque modo conniverint cum fraudatoribus : debent enim ex justitia suum officium implere, etsi lex sit mere pœnalis, quia ideo sunt deputati et stipendium accipiunt. —— Possunt tamen benignius agere in re levi cum pauperibus, et cum iis qui diligenter solvunt aut res deferunt ad proprium usum : præsumitur enim princeps velle ut subditi humaniter tractentur. [1]

499. III. — FRAUDATORES DAMNANDI SUNT : 1) *Qui vectigalibus exigendis præpositos mediis injustis, scilicet muneribus, promissionibus, metu corrumpunt, ne officio suo fungantur :* peccant enim contra justitiam commutativam ratione cooperationis, ideoque damnum a præpositis illatum reparare tenentur in solidum cum illis, sed secundo loco, illorum nempe defectu. [2] — 2) *Qui violenter resistunt ministris vectigalia exigentibus :* hi enim peccant *a*) contra obedientiam : « Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit ; » [3] *b*) etiam contra justitiam commutativam, si sua violentia damnum inferant (v. gr. vulnerando ministros), vel si positiva fraude eos impediunt, quominus inquirant de rebus tributo obnoxiis (causando jacturam temporis, atque contestando, nihil tributis obnoxium esse.) [4] — 3) *Qui ob tributum vel mulctas, quas juste solverunt, aliquid clam surripuerint.* [5] — 4) *Qui per fas et nefas defraudationem veluti commercium quoddam exercent ;* atque animo resistendi etiam armati diu noctuque vagantur : hujusmodi enim homines fiunt cives rebelles, et societati perniciosissimi. —— 5) *Nec indulgendum est iis, qui licet nunquam resistant, nec animum resistendi habeant, omni tamen studio et opera in artem defraudandi incumbunt, eamque veluti vitæ professionem habent :* hi enim saltem animæ periculis haud raro exponuntur et frequenter etiam ingenti fortunarum periculo. Re quidem vera, mercium amissio et superaddita mulctæ irrogatio, quoties deprehendantur in fraude, potest eos et cum ipsis etiam familiam ad extremam egestatem adducere. [6]

500. *B*) EXCUSANDI SUNT, SALTEM AB INJUSTITIA, OB INTERPRETATIONEM SATIS RECEPTAM : — 1) *Illi omnes a quibus tributa non fuerunt petita.* Quare, si nullus adsit qui vectigal exigat,

1. Zaninetti, III, n. 1570 ; Marc, I, n. 968.
2. Delama, n. 397 ; Mechlinensis, p. 228.
3. Rom., XIII, 2.
4. Delama, n. 397 ; Lehmkuhl, I, n. 1174.
5. Marc, I, n. 968.
6. Ferresres, I, n. 738 ; Bucceroni, I, n. 232.

potest mercator citra culpam omittere solutionem tributi, quod peti solet ratione transitus per portam aut per pontem. Imo probabile putat Sanchez cum aliis, ne illos quidem peccare, saltem contra justitiam, qui se aut merces consulto occultant, vel dicunt nihil habere declarandum, ad declinandam tributi petitionem. Ratio est, quia hujusmodi tributa ita sunt recepta, ut non debeantur nisi petita. — 2) *Illi qui, interrogati ab exactoribus quas vehant merces, quas aut quo pretio eas vendiderint, quisnam sit bonorum jure successionis acceptorum valor, quodnam sit pretium locationis, etc., veritatem infirmant.* Cum enim exactor summo rigore incedere remque verificari posset, si id non præstat, satis indicat se velle agere humaniter, et præsumitur non sine rationabili causa ita se gerere.[1] — *Idem valet non tantum pro privatis, sed et pro notariis :* nam istorum munus, quamvis a Statu conferatur, minime eos ex justitia obligat ad curandas fisci utilitates. Ideo, restrictione non pure mentali utendo, licet, etiam juramento, affirmare omnia rite esse declarata. Verum autem mendacium videntur committere qui, ad minuenda jura successionis, producunt syngrapha ex. gr. medicorum testantium se multo majorem pecuniæ summam accepisse quam reipsa acceperint. Nihilominus, ob rationem prædictam, ab injustitia et restitutione immunes dici possunt.[2]

501. Tandem ERGA EOS, QUIBUS CERTA VECTIGALIA LOCATA SUNT, NON EST ALIA NEQUE MAJOR OBLIGATIO SOLVENDI QUAM ERGA IPSAM REMPUBLICAM , quando igitur ille status rerum est, ut erga rempublicam aut fiscum justitia non læderetur, neque erga eum, cui jus vectigalium cesserunt, justitia violatur. Nam non est plus juris translatum, quam quod a republica vel fisco habebatur.[3]

502. N. B. — Cavendum ne **inter tributa reponantur ea quæ Statui solvenda sunt ob quasdam operas quas Status in favorem singulorem præstandas suscipit**, ex. gr. in personis, mercibus, litteris vehendis : hic enim verus contractus initur inter cives qui has operas postulant et Statum qui in iis præstandis agit quasi privatus homo negotiationem vel industriam exercens. — Haberi tamen possunt TANQUAM MERE PŒNALIA

1. S. Alphonsus, lib. III, n. 616 ; Sanchez, lib. II, cap. IV, dub. 10, n. 11, 12 ; Marc, I, n. 969.
2. Gury, I, n. 22 ; Ballerini, tr. IX, cap. 3, n. 87 ; Génicot, I, n. 576.
3. Lehmkuhl, I, n. 1174.

billet de faveur.

PLURIMA STATUTA QUÆ AB ADMINISTRATORIBUS FERUNTUR, ex. gr. ne litteræ mercibus transvehendis apponantur, ne cum eadem tessera completa (billet d'aller et retour) unus ad aliquem locum via ferrea tendat, alter ab eodem redeat, etc. Talia enim etiam maxime timorati infringere solent sine ullo scrupulo, rati sufficere ut mulctam, si deprehendantur, exigendam solvant. Hæc autem existimatio non videtur irrationabilis : hujusmodi enim statuta plurima sunt et a plerisque valde imperfecte cognosci possunt ; quare, communi omnium consensu, factum est ut eadem serventur ad modum legum pœnalium, quibuscum magnam affinitatem habent. Non est ergo restitutioni obnoxius nisi qui in ipso contractu quem init fraudem adhibeat, puta debitum falsa moneta solvendo, litteris falsa signa (timbres) apponendo, etc., vel qui præpositos corrumpat ne exigant quæ ex officio exigere debent, ita ut Status non obtineat ea ad quæ jus habet. [1]

503. Quod a fortiori **applicandum est societatibus privatis,** v. gr. viarum ferrearum, quæ similes operas, accepto pretio, præstandas suscipiunt. Hinc, dato modo administrandi vias ferreas qui in nostris regionibus viget, PRÆPOSITI RHEDARUM APPARATIBUS CERTO PECCANT CONTRA JUSTITIAM ET AD RESTITUTIONEM PER SE TENENTUR, SI NON EXIGANT A SINGULIS SOLUTIONEM PRETII DEBITI : nam ex officio libere a se suscepto ad hoc tenentur. — Item, SI TESSERAM JAM A SE COLLECTAM ALIIS VIATORIBUS TRADANT UT FACILIUS SINE DEBITI PRETII SOLUTIONEM CONFICIANT ALIAM PARTEM ITINERIS : quia suppeditunt medium efficax defraudandi societatem, cujus rationes curandas in se libere susceperunt. — Attamen, si perfecte ad meliores fruges conversi velint ac prævideant posse compensare per majorem quam debitam diligentiam in labore suo adhibendam (v. gr. se exhibendo maxime urbanum erga viatores ita ut crescat bona fama ipsius viæ ferreæ, aut suscipiendo cum bona voluntate aliquod opus supererogatorium, etc.), ex præsumpta dominorum voluntate excusari a restitutione immediata possunt.

504. QUOD AD VIATORES attinet, distinguere oportet :—*A*) *Si viator empserit tesseram,* subdistinguendum est : vel tessera empta est pro tota via facienda, vel est pro parte tantum ita ut speret viator absque solutione pretii ultimam viæ partem se forsan

1. Waffelaert, II, n. 421 ; Génicot, I, n. 574 ; Bulot, I, n. 674.

perfecturum esse. *a*) In priori hypothesi, tessera non est offerenda præposito, qui illam reclamare ex officio tenetur. Sed tessera non reclamata viator pro alio itinere conficiendo uti non potest : tessera enim est tantum attestatio solutionis pretii, propter quod ipsa administratio viæ ferreæ ad viatorem transferendum sese obligavit ; jamvero viator jam obtinuit illud ad quod propter pretium solutum jus obtinuerat ; igitur tessera nihil amplius valet et est destruenda. — *b*) In posteriori hypothesi, idem dicendum est ac de viatore qui nullam tesseram empsit.—*B*) *Si nullam tesseram empserit*, viator non videtur teneri ad offerendam pretii solutionem, quia præpositus ex officio tenetur eam reclamare et scrutari utrum omnes et singuli viatores debitum pretium integre solverint. Ideo, si præpositus solutionem illam non reclamet, viator non tenetur ad ullam restitutionem, dummodo aut se non occultet ut reclamatio impossibilis reddatur : quia secus, esset fraudator pretii debiti et ideo deberet illud refundere ; aut non habeatur cum præposito aliqua conventio, etiam tacita : quia, data tali conventione, viator fit cooperator in actione injusta ipsius prœpositi, et tenetur in ejus defectu ad restitutionem.—Datur autem conventio tacita, si propter amicitiam, cognationem aut metum quemdam præpositus non reclamet pretium debitum.

505. MONITUM PRACTICUM. — Quæstiones tractatæ in præsenti parte De Restitutione ostendunt quam arduum sœpissime sit principia in se certa casibus perticularibus applicare, ut inde discernatur, num in singulis existat, vel non, obligatio restituendi. Hinc patet gravissimam esse obligationem, qua confessarii tenentur, non modo principia generalia et certa scire ac tenere, sed et apprime cognoscere statum quæstionum inter theologos controversarum, ut inde conclusiones practice tutas deducere valeant, easque variis casibus occurrentibus juxta regulas prudentiæ applicare. Sicut enim regulariter tenentur obligationem restituendi pœnitentibus imponere, quando certa est, ita ab ea imponenda abstinere debent absolute, quando certa non est. Porro « confessarius æque scrupulum sibi facere debet, si non obligat ad restitutionem pœnitentes qui restituere tenentur, ac si obliget qui non tenentur.» [1]

1. S. Alphonsus, Homo Apost., X, n. 35 ; Gury, Casus, I, n. 70 ; Frasinetti, I, Diss. VI ; Pighi, II, n. 348.

APPENDIX [1]

I

JUS ANGLICUM

39a. — Acquisitio servitutis propriæ dictæ. — *In jure anglico*, hæc servitus acquiritur per titulum quemdam (contractum gratuitum aut onerosum, vel testamentum) et per præscriptionem. [2]

41a. — Cessatio servitutis. — 5° præscriptione aut non-usu per viginti annos. [3]

42a. — Servitates naturales respiciunt *cursus aquarum.* Jus autem ad cursum aquarum est jus quod habet quis ad fluxionem fluminis aut rivuli, qui per agros suos profluit, aut cujus una saltem ripa ad ipsum pertinet. Unde istud jus exigit ut cursus fluminis ab omni impedimento, quod sit domino juris injuriosum, liber servetur, ut ne in aliud alveum deflectatur, et ut ejus salubritas non imminuatur per aliquam commixtionem rerum noxiarum, etiam dum defluit per agros alienos. [4]

43a. — Servitus legalis habetur una, scilicet *jus viæ*, seu *transeundi per agros alienos :* tale jus habetur ex necessitate, si Petrus Caio concedat portionem soli in medio suorum agrorum, implicite viam concedit, et Caius sine injuria per agros Petri ad

1. In hac appendice reassumuntur numeri in textu positi, ut facilius et clarius indicentur mutationes propter diversitatem legum civilium faciendæ. Numeris autem apponitur pro anglica lege littera *a* et pro americana lege littera *b*.
2. Slater, n. 6 ; Crolly, I, n. 415.
3. Slater, n. 47.
4. Crolly, I, n. 420.

suam portionem transire potest. [1] — Quoad *jus luminum*, nihil statutum est : sed cuique permittitur fenestras in suis ædibus aperire, licet in alienum atrium vel fundum directas, aut murum in solo erigere, quo fenestræ vicinæ domus obscurentur. [2]

72*a*. — **Filiifamilias**, juxta *legem anglicam*, sunt **minores** aut **emancipati**. — **Minores** dicuntur illi, qui nondum emancipati sunt. — Minores vero fiunt **emancipati**, quando annum vigesimum primum attingunt, vel quando matrimonium ineunt, vel quando relinquunt domum paternam et ratione occupationis cessant patri subesse, ut si minor adultus fiat miles vel famulus alterius. [3]

73*a*. — *a*) **Minores filii habent dominium tum directum tum indirectum bonorum suorum, non vero administrationem quæ pertinet ad patrem.** — Prior pars constat ex eo quod jus possidendi quod naturaliter minoribus, utpote usum rationis habentibus, competit, non limitatur secundum legem anglicam. — Posterior pars probatur ex eo quod lex declarat quod, nisi alius legitime constituatur, pater erit custos bonorum filii minoris, quæ tenebitur administrare in commodum filii usque ad ejus emancipationem. [4]

b) **Emancipati filii habent et dominium perfectum et administrationem bonorum suorum.** — Nam emancipatio imponit finem patris custodiæ, ideoque emancipatus filius plenam habet potestatem et in suam personam et suis bonis ad arbitrium utendi. [5]

79*a*. — *Ex jure anglico*, pater **lucrum a filio reportatum** sumere potest usque ad annum decimum sextum : sic enim aliquatenus sustentatio compensabitur. Imo postea pater sane non tenetur eum gratis sustentare, et si filius pretium laboris extra domum acquisitum patri tradit, censetur juri suo cedere, nisi constet de contrario ex contractu speciali. [6]

82-88*a*. — Ordinarie nulla datur **conventio matrimonialis**, et post celebrationem matrimonii retinet uxor dominium

1. Crolly, I, n. 422.
2. Crolly, I, n. 430.
3. Slater, n. 17 ; Eversley, p. 598.
4. Slater, n. 17 ; Eversley, p. 570.
5. Crolly, I, n. 459.
6. Slater, n. 17 ; Eversley, p. 573.

perfectum omnium bonorum, quæ jam possedit, et quæ postea quocumque titulo, nomine proprio, acquirit. Ideo uxor, secuti ac si esset innupta, potest bona sua administrare, eaque quocumque modo alienare ac de eis disponere, sine ulta interventione aut licentia mariti vel cujuslibet alii. Attamen in Manitoba uxor. quæ nondum ætatem vigesimi primi anni adepta est, mariti assistentia indiget ad contrahendum circa bona sua et ad disponendum de eis ; in Nova Scotia, ut nomine proprio agat mercaturam, uxor obtinere debet mariti consensum, qui in tabulas publicas inscribendus est.

Insuper, *ex jure communi*, post mortem mariti uxor jus habet durante vita ad usumfructum tertiæ partis omnium bonorum immobilium, quæ obtinuit maritus durante matrimonio : jus istud vocatur **dos**.

Viget tale jus ex jure communi determinatum in Neo Brunswick et in Insula Principis Eduardi. E contra non datur jus istud in Manitoba et in Terra Nova.

In Columbia Britannica autem, dos est jus ad usumfructum tertiæ partis omnium bonorum immobilium, quæ maritus possidet tempore mortis et de quibus non disposuit per testamentum.——In Ontario et Nova Scotia, uxor dummodo ante mortem mariti non renuntiaverit, habet jus ad usumfructum tertiæ partis omnium bonorum immobilium, quæ maritus possedit tempore celebrationis matrimonii aut durante matrimonio. [1]

92*a*. — 5° Maritus tamen contra justitiam peccat, si bona uxoris dissipet aut alienet bona sua quæ subjiciuntur juri dotis : in utroque casu enim contra jus alienum agit.

107*a*. — Quilibet inventor alicujus mechanematis aut compositionis potest obtinere per *Patent-right* exclusivum dominium suæ inventionis per decem et quatuor annos, quibus addi possunt septem anni, et aliquando in quibusdam casibus decem et quatuor anni.

Auctor alicujus libri, mappæ, rythmi musicalis, picturæ, graphidis, statuæ, sculpturæ vel photographiæ per *Copyright* obtinet jus exclusivum circa opus suum per totam suam vitam et septem annos ultra, vel per annos quadraginta et duos.

Quoad opera jam typis demandata in aliis regionibus, pactum

1. Slater, n. 19 ; Hubbell, Legal directory, p. 839 et seqq.

internationale dictum « *Convention de Berne* » confert auctoris privilegium copyright pro eodem spatio temporis.[1]

120a. — 2) Examen apum, quod ex alveo tuo evolaverit, eousque tuum esse intelligitur, donec in conspectu tuo est... alio quin occupantis fit.[2]

126a. — *Lege anglica* **thesaurus** pertinet ad coronam ; quæ lex est pœnalis, ac proinde in foro conscientiæ ante sententiam judicis inventor rem sibi occupare potest.[3]

138a. — **Bona vacantia** *jure anglico* pertinent ad coronam : quod tamen obligare conscientiam non videtur ; et *jure naturæ* fiunt primi occupantis.

144a. — Exceptio fit quoad *cygnos*, qui *lege anglica* dividendi sunt inter dominos femellæ et masculi quando sunt diversi domini.[5]

146a. — In casu **avulsionis**, pars terræ avulsa remanet prioris domini, si subito fiat avulsio ; si paulatim fiat, incrementum pertinet ad dominum terræ, cui adjungitur.

Si **mutatio alvei**, quo limitantur fundi ad diversos dominos pertinentes, INSENSIBILITER ET SUCCESSIVE FIT, limitatio mutatur ad filum medium aquæ ; si FIT REPENTINA, proprietates non computantur ad filum aquæ sed ad pristinos limites.

Si **insula nova** apparet, pertinet ad dominum alvei, i. e. ad coronam si in mari vel flumine navigabili ; si autem in alio flumine, pertinet ad dominum riparium, aut, si sit in medio fluminis, pertinet ad riparios ex utraque parte juxta lineam quæ supponitur transducta per medium filum aquæ.[6]

147a. — Prænotandum est, *ex jure anglico*, **accessionem industrialem** non fieri deficiente bona fide ipsius unionem facientis ; ideoque poterit rei dominus, si velit, eam sibi vindicare.[7]

148a. — *Ex jure anglico*, si separatio possibilis est, res unitæ debent separari, et sua cuique tribuenda est ; secus, accessorium

1. Tanqueray, II, Supp., p. 2.
2. Crolly, I, n. 627.
3. Crolly, I, n. 642 ; Lehmkuhl, I, n. 1088 ; O'Dea, n. 683.
4. Crolly, I, n. 641, III, n. 1103.
5. Stephen, II, p. 22.
6. Slater, n. 33 ; O'Dea, n. 701.
7. Kent, II, n. 361 ; Kenrick, II, n. 65.

sequitur principale, compensatione alteri facta, ideoque dominus rei, quæ principalis existimatur, conservat compositum, sed accessorium sibi utile resarcire alteri debet. [1]

149a. — Res facta ad fabricatorem pertinet, compensata altera parte pro materia. [2]

150a. — *Ex jure anglico*, totum commixtum aut confusum cedit ei, cui commiscens aut confundens injuriam intulit. Attamen commiscens aut confundens totum ante sententiam judicis cedere probabiliter non tenetur, et tunc applicari debent ea quæ statuuntur lege naturali.

151a. — Stante bona fide, *ex jure anglico*, applicantur ea quæ statuuntur *lege naturali*.

152a. — Extra casum malæ fidei (quo casu *ex jure anglico* resolvendum est ac de mala fide in accessione artificiali), valent præscripta *juris naturalis*. [3]

161a. — *Ex jure anglico*, nulla bona mobilia titulo **præscriptionis** acquiri possunt ; et proinde objectum hujus tituli ad agros, tenementa, et hereditamenta, et jura, quæ ex iis derivantur, restringitur. [4]

168a. — *Ex jure anglico*, **interrumpitur** duplici modo : 1° NATURALITER, si præscribens amittat possessionem per tempus a lege determinatum, aut si mala fides superveniat ; 2° CIVILITER, si lis moveatur juridice circa possessionem, nec interpellatio a judice rejecta fuerit.

169a. — Dicitur **suspensa** dupliciter : 1° RATIONE PERSONARUM, ut v. gr. minoris, insani, captivi, tenentis in vitam, et generatim omnium, qui sive ex jure naturæ, sive ex dispositione legis positivæ nequeunt agere contre volentem præscribere ; 2° RATIONE CAUSÆ EXTERNÆ, ut si justitiæ administratio, clausis tribunalibus, omnino suspenditur, adeo ut privatus suum nequeat tueri jus, ut v. gr. contingere potest tempore belli. [5]

1. Slater, n. 35.
2. Stephen, II, p. 22 ; Slater, n. 36.
3. Sabetti, n. 396, 397 ; Konings, n. 673-674.
4. Crolly, I, n. 604.
5. Crolly, I, n. 615 ; Konings, n. 667.

174a. — *Lege anglica* nullus specialis **titulus** requiritur. Attamen quatenus bona fides requiritur, quæ haberi non potest sine titulo præsumpto, videtur dicendum titulum præsumptum requiri et sufficere. Verum si contra possessorem probatur titulus vitiosus, præscriptio nihil juvat. [1]

178a. — *Lex anglica* nunquam **bonam fidem juridicam** requirit.

180a. — In posteriori hypothesi, *ex jure anglico*, non obest antecedentis possessoris mala fides, dummodo successor bona fide præscriptionem compleverit, quia jure anglico hæres non censetur una persona moralis cum antecessore. [2]

184a. — *Ex jure anglico,* BONA IMMOBILIA CORPORALIA omnino **præscribuntur**, si per 12 annos neque reditus soluti, neque debiti recognitio in rescriptis sit facta. — JURA IN HUJUSMODI BONA (uti usus, ususfructus, etc.) acquiruntur post 30 annos vel saltem absolute (i. e. etsi impedimentum legale extiterit) post 60. — SERVITUTES RUSTICÆ ACTIVÆ (uti jura viæ, cursus aquarum, etc.) præscribuntur post 20, vel saltem absolute (i. e. etsi impedimentum legale exstiterit) post 40 annos.—JUS LUMINUM per usum non interruptum 20 annorum semper absolute acquiritur, nisi probetur usum ex facto, aut ex scripto instrumento obtinuisse.[3]

188a. — *Ex jure anglico,* **res mobiles** tamen non possunt præscribi. Lex enim solummodo actionem interdicit post lapsum temporis definiti, sed dominium harum rerum ex titulo præscriptionis nunquam concedit, et proinde qui res mobiles alienas possidet aut debitum ex contractu vel ex delicto contraxerit, nunquam temporum diuturnitate a restitutione in conscientia excusabitur. Debitor igitur eatenus in conscientia uti potest tali præscriptione legali, ut in dubio debiti contracti aut jam soluti immunis evadat. [4]

190a. — **Jura in bona immobilia** exstinguuntur per nonusum 20 annorum ; imo judices possunt, spectatis circumstantiis, sententiam ferre ante clapsos 20 annos, dominum voliusse

1. Crolly, I, n. 614 ; O'Dea, n. 733 ; Slater, n. 44.
2. Crolly, I, n. 611 ; O'Dea, n. 772 ; Lehmkuhl, I, 1108.
3. Crolly, I, n. 615, 616, 617 ; Lehmkuhl, I, n. 1108 ; Slater, n. 47.
4. Crolly, I, n. 618 ; Lehmkuhl, I, n. 1108 ; Tanqueray, II, Supp., p. 15.

jure suo cedere : qua sententia lata, jus prioris domini prorsus exstinctum manet. [1]

191*a*. — *In jure anglico*, præscriptio brevis aut brevissimi temporis non datur.

194*a*. — *In jure anglico*, defunctus non invadit vivum, IN CASU SUCCESSIONIS LEGALIS, sed nominatur a curia administrator, qui bona defuncti accipit ut ea administret. —— Proximo ex propinquis defuncti plerumque datur **administratio**. Si negligat vel recuset, qui proximior est sanguine, hoc petere munus, alter remotior poterit illud, curiæ auctoritate interveniente, exercere : vel si omnes consanguinei neglexerint, creditori alicui, vel publico officiali concedetur. — Administrator debet inventarium omnium bonorum statim conficere ,credita colligere, solvere debita defuncti et tandem hæredibus distribuere bona quæ supersunt. [2]

IN CASU SUCCESSIONIS TESTAMENTARIÆ, nominatur a testatore vel a Curia exsecutor testamenti.

195*a*. — Nullus, *in jure anglico*, actus requiritur, quo hæreditatem quis **repudiet** ; sufficit, ut hæreditatem neque petat, neque adeat intra tempus ad præscriptionem juris sui statutum, quo tempore lapso jure suo cadit, licet ignoraverit se esse hæredem. [3]

196-199*a*. — Effectus **acceptationis** *in jure anglico*, non retrahitur ad diem aperitionis successionis. — Acceptatio fit semper pure et simpliciter.

200*a*. — **Taxa** videtur haberi in ONTARIO tantum.

204*a*. — Titulo **indignitatis** excluduntur naturales filii ex concubina nati. Jus enim commune anglicum neminem legitimum agnovit, qui extra matrimonium natus fuerat. [4]

205-214*a*. — Unicus ordo **successionis** datur, in quo hæredes duplici modo succedere possunt, scilicet 1° PER CAPITA, 2° PER STIRPES. — **Repræsentatio** autem conceditur : *a*) in

1. Lehmkuhl, I, n. 1108.
2. Crolly, II, n. 368 et seqq. ; Kenrich, II, n. 86, 87.
3. Kenrick, II, n. 88.
4. Kenrick, II, n. 82.

linea recta descendentibus legitimis sine ulla limitatione, ita ut posteri legitimi semper parentes repræsentent ; b) in linea collaterali posteris fratrum et sororum defunti. [1]

Ex jure communi statuitur sequens ordo : 1) cum uxore vocantur defuncti descendentes (uxor ⅓ bonorum accipit) ; 2) cum uxore vocatur defuncti pater (uxor ½ bonorum accipit) ; 3) cum uxore vocantur alii consanguinei gradus propinquioris sine lineæ rectæ sive collateralis, ita tamen, ut proles fratris sive sororis suum parentem repræsentet. [2]

Hic ordo videtur vigere in TERRA NOVA, sed IN ALIIS PROVINCIIS CANADÆ habentur derogationes.

215-218a. — Partitio hæreditatis fit ab administratore juxta statuta uniuscujusque Provinciæ. Sed ut æqualitas inter hæredes servetur, ordinarie imponitur **collatio** ; cui applicari debent ea quæ dicta sunt sub n. 216.

223a. — *Ex jure anglico*, **inhabiles** declarantur 1° minores, qui nondum ætatem vigisimi primi anni attigerunt : quod in valet IN OMNIBUS PROVINCIIS, EXCEPTA TERRA NOVA ubi minores qui jam attigerunt ætatem decimi septimi anni validum testamentum condere valent ; 2° capitis damnati propter perduellionem aut homicidium dedita opera patratum. [3]

224a. — Revocatur testamentum, *ex lege anglica*, per ejus destructionem, per novi confectionem, per matrimonium, per aliam dispositionem rerum a testatore ante mortem factam. [4]

227-231a. — IN OMNIBUS PROVINCIIS, habetur **testamentum secundum modum derivatum a lege anglica.** Sed IN COLUMBIA BRITANICA, MANITOBA ET ONTARIO, legatum factum alicui testi est nullum.

Insuper IN MANITOBA, admittitur **testamentum olographum.**

Tandem IN ONTARIO ut validum agnoscitur testamentum circa bona mobilia, quod extra hanc provinciam fecit civis quidam britannicus juxta legem loci in quo conditum fuit. [5]

1. Crolly, II, n. 374.
2. Lehmkuhl, I, n. 1387.
3. Crolly, II, n. 334 et seqq.
4. Crolly, II, n. 363.
5. Hubbelli, Legal Directory, p. 842, et seqq.

235a. — Duæ dantur **dispositiones testamentariæ**, scilicet codicillus et legatum.

236a. — *Ex jure anglico*, **codicillus** eisdem solemnitatibus gaudere debet ac testamentum.[1]

237-246a. — **Legatum** est ultimæ voluntatis dispositio, qua defunctus cuipiam directe relinquit donum aliquod, ab eo qui ultimam voluntatem exiquitur præstandum. Ideo post mortem testatoris legatarius obtinet jus ad legatum, non tamen jus in re nisi post legatum traditum.

Legatum potest haberi sub conditione, quæ, ut valeat legatum, impleri debet formaliter aut saltem in forma æquivalenti : vide exempla data in numero 239.

Legatum vero fit **caducum**; *a*) quando legatarius ante successionis aperturam moritur ; *b*) quando testamentum, in quo continetur, invalidum declaratur ; *c*) quando bona defuncti non satis sunt ad ejus debita solvenda ; *d*) quando res legata a defuncto jam fuit tradita ipsi legatario vel alicui alteri ; *e*) quando conditio apposita non adimpleta fuit ; *f*) quando fit dubium sive propter verba incerta quibus enunciatur, sive propter incertitudinem personæ designatæ.

Qui autem exequitur voluntatem ultimam defuncti, ante legata solvenda debet satisfacere ejus creditoribus ; imo si qui creditores appareant post legata soluta, nec aliunde eis satisfieri potest, debent legatarii pro rata restituere ut eis satisfiat.

Tandem hæc notanda sunt : (*a*) legatum creditori factum habetur ut solutio eorum quæ debentur : sed judices nonnisi reluctanter hanc legis dispositionem admittunt, et ordinarie rationes ad illam negligendam facile inveniunt ; (*b*) deinceps ut sub numero 241.[2]

247a. — **Executor** est ille cui in testamento committitur executio ultimæ voluntatis. Si quis moritur intestatus locum executoris supplet administrator. — Designatur executor ab ipso testatore ; sed si nemo a testatore fuerit nominatus, vel si designatus nolit acceptare (nam nemo tenetur acceptare hoc munus sibi commissum), curia civilis administratorem nominat. — Generaliter solus ille, qui potest testamentum condere, potest munus

1. Slater, n. 82.
2. Stephen, II, p. 219 ; Slater, I, p. 503.

exsecutoris testamentarii suscipere. —— Exsecutor aut administrator sortitur possessionem omnium defuncti bonorum per spatium unius anni.—Ejus officia sunt : defunctum sepelire, testamentum modo legitimo probare, inventarium omnium bonorum defuncti conficere, ejus bona colligere, debitis defuncti, quatenus ad hoc ejus bona sufficiunt, satisfacere, et legata solvere. [1]

313a. — *Ex jure anglico,* si rem empta fuerit in foro publico, excepto casu evictionis per sententiam judicis, dominium transfertur in emptorem bonæ fidei. Et cum hoc ad commercii securitatem statutum sit, res potest retineri tuta conscientia. [2]

317a. — *Jus anglicum* nihil statuit.

319a. — *Jus anglicum* confirmat jus naturale.

333a. — *In jure anglico* servatur jus naturale.

345a. — *Jure anglico,* in casu **dubiæ fidei supervenientis** debet possessor domino restituere fructus naturales et civiles, modo exstant in se vel in æquivalenti. Fructus autem mixti inter dominum et possessorem dividi debent secundum æstimationem viri prudentis et honesti. Cfr n. 316.

380a. — *Jus anglicum* nihil statuit.

410a. — *Ex jure anglico,* **credita privilegiata** IN CASU MORTIS sunt funeris expensæ, expensæ factæ pro probatione successionis et pro ejusdem administratione suscipienda, ea quæ debentur coronæ et debita ex statibus particularibus privilegiata. [3] IN CASU AUTEM CESSIONIS BONORUM sunt reditus et taxæ, salaria quæ famulis debentur propter operam præstitam intra ultimos quatuor menses, modo non excedant quinquagenta aureos (pounds), et salaria quæ debentur operariis propter operam præstitam intra ultimos duos menses, modo non excedant viginti et quinque aureos (pounds). [4]

463a. *In jure anglico,* **cessio bonorum** probabiliter a solutione integra liberat. Etenim, IN CASU CESSIONIS VOLUNTARIÆ, creditores ordinarie libere et explicite declarant se nihil amplius

1. Stephen, II, p. 212 ; Crolly, II, n. 361, 369 ; Slater, I, p. 509.
2. Crolly, III, n. 512 ; Slater, n. 115.
3. Slater, I, p. 431.
4. Slater, I, p. 430.

exigere velle, ideoque talis declaratio ut remissio debiti merito habetur. — IN CASU CESSIONIS JUDICIALIS, dummodo statuta legis bancorupti fuerit observata, plures [1] tenent hanc cessionem omnino liberare debitorem : nam, ex una parte, negotiatores majus lucrum percipiunt ob periculum sortis, proindeque in talem jacturam facile consentiunt ; et ex altera, postulat bonum publicum ut infelices debitores, cœteroquin honesti, spe lucri sibi retinendi, ad novum commercium incipiendum allicientur.

Sed hoc admittendum est quando quis *ex mero infortunio* evasit solvendo impar : nam si quis *propria culpa* ad solvenda debita impotens factus sit, ab obligatione restituendi non dispensatur, quum sit injustus damnificator, et aliunde creditores debitum condonare non censeantur in casu. [2]

II

JUS AMERICANUM

39b. — Acquiritur servitus proprie dicta per titulum quemdam vel per præscriptionem. [3]

41b. — Cessat servitus 5° præscriptione aut non-usu per viginti annos. [4]


42b. — Servitutes naturales respiciunt *aquas.* 1°) Agri inferiores excipiunt aquas e superioribus profluentes. Si fons sit in agro, ex æquitate vicinis permittitur inde haurire aquam : quæ tamen licentia revocari potest, nisi necessitas publica et usus diuturnus aliud suadeant. Si vicini communibus sumptibus fontem includant, et opera erigant ad commoditatem aquam haurientium, domino consentiente, non poterit ipse postea

1. Crolly, III, n. 1232 ; Slater, I, p. 451 ; Lehmkuhl, I, n. 1230 ; Marc, I, n. 1022 ; Kenrick, II, n. 207.
2. Tanquerey, II, n. 674.
3. Kenrick, II, n. 107 ; Konings, n. 682.
4. Kenrick, II, n. 102.



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART

(ANSI and ISO TEST CHART No. 2)



eos prohibere quominus aqua hauriatur, quum suo consensu fontem fecerit communem.[1] — 2°) Aquarum, quæ prope agros vel per eos currunt, usus domino competit, qui tamen iis ita uti debet ut alios non lædat, vel eas penitus exhauriendo in suos usus, vel eas inficiendo et reddendo aliis inutiles. « Aqua currit, et currere debet, » ait lex, ideoque unumquemque ea uti oportet, quin aliorum utilitatem impediat. Nonnumquam contingit Statum aggerem jacere in flumine, vel privato alicui, aut civium collegio agerem jaciendi facere facultatem, quæ tamen ita adhibenda est, ut aquæ non desinant fluere per alveum consuetum postquam paululum ob opus aliquod utilitatis publicæ distractæ sunt. Cœterum si Status concesserit facultatem absumendi aquam in opus aliquod, ex quo inficiatur, vel si quis per viginti annos ea usus fuerit, nemine contradicente, jus ei vindicatur.[2]

Quoad sæpimentum, nemo *jure communi* tenetur agros suos sœpibus includere, et tamen unusquisque habet jus obtinendæ reparationis damnorum, quæ animalia libere vagantia intulerint, nisi habeantur specialis lex vel existat præscriptio.[3]

43*b*. — Servitutes legales in utilitatem privatam. — Murus medius. — Quando est duabus domibus paries communis, si alteri e vicinis contingat necessitas eam diruendi, tenetur ad eam iterum quamprimum ædificandam, cui tamen alter partem æqualem impensarum conferre debet. Quod si alter eam altius efferat, vel majoribus impensis quam par est, suis solvit sumptibus excessum. Monere debet etiam vicinum suæ intentionis, ut hic sibi caveat, ne ex pariete diruta aliquid patiatur damni : quod si evenerit ex rei necessitate, post monitionem nulla erit obligatio illud reparandi damnum. Murus autem qui separat agros dominorum habetur utriusque, si uterque eo utatur, qui ideo dimidiæ partis muri et soli in quo exstructus est censetur dominus.[4]

Sepes aliquando communes sunt, ideoque communibus utriusque domini sumptibus reparandæ.[5]

De [illegible] luminum nihil legibus statutum habetur : sed cuique permittitur fenestras in suis ædibus aperire, licet in alienum atrium vel fundum directas, vel murum in suo solo erigere,

1. Kenrick, II, n. 103.
2. Kenrick, II, n. 100 ; Konings, n. 687.
3. Kenrick, II, n. 99 ; Konings, n. 686.
4. Kenrick, II, n. 98 ; Konings, n. 685.
5. Kenrick, II, n. 99.

quo fenestræ vicinæ domus obscurentur. Equidem, quum sæpe domus ligneæ, quæ a viginti vel pluribus annis erectæ sint, in civitatibus reperiantur, magno foret damno vicinis dominis si non liceret ædes erigere ampliores, quibus fenestrarum e latere utilitas tolleretur. [1]

De stillicidio tenendum est non licere aquas e tecto decidentes in alienum fundum derivare, nisi ex domini venia vel ex præscriptione. [2]

Quoad jus itineris, constat quemque posse jus quod a viginti annis exercuit vindicare transeundi per alienum fundum, vel agendi plaustrum, vel utrumque : servitus scilicet præsumitur a consensu domini derivata. Quod si usus diuturnus ei non suppetat, poterit nihilominus, interveniente curiæ auctoritate, jus hujusmodi obtinere, quatenus opus sit ut e suo fundo ad viam publicam vel civitatem veniat : sed facienda erit aequa compensatio damni alieno prædio afferendi.—Jus publicum ex domini concessione aliquando habetur, quando per plurimos annos partem suorum agrorum viam fecit publicam, quam deinceps claudere prohibentur, quum injuriam et incommodum communitati inferrent. Ceterum opus est, ut suam intentionem clare manifestaverint, vel per viginti annorum veniam suo juri præscripsisse videatur. Hinc solent coloni ubique sepes ampliare, et vias quas diu fecerant publicas iis includere, quin aliquis jus eorum in dubium revocet. [3]

72*b*. **Filiifamilias**, *juxta legem americanam*, sunt **minores** aut **emancipati**. — **Minores** dicuntur, qui nondum sunt emancipati. — **Emancipatio** autem, exceptis duobus aut tribus Statibus, locum habet anno vigesimo primo tum pro masculis, quam pro feminis ; insuper fieri potest per priveligium et specialem declarationem. [4]

73*b*. *a*) **Minores filii habent dominium perfectum bonorum suorum, non vero administrationem.** — Ratio prioris est, quia jus possidendi quod naturaliter competit minoribus, utpote usum rationis habentibus, non limitatur secundum legem americanam. — Ratio posterioris est, quia lex communis

1. Kenrick, II, n. 97 ; Konings, n. 683.
2. Kenrick, II, n. 94.
3. Kenrick, II, n. 96 ; Konings, n. 683.
4. Sabetti, n. 355.

in omni casu horum bonorum administrationem patri tribuit, nisi bona filio forte data aut legata fuerint ea conditione, ut illorum custodia aliis ac patri committatur. Imo, in aliquibus Statibus, v. gr, in Louisiana, pater habet usumfructum talium bonorum. [1]

b) **Emancipati filii habent et dominium perfectum et administrationem bonorum suorum** : restrictio autem juris respicit tantum minores.

74*b*. Filius, sive minor sive emancipatus, non censetur renuntiare, quia silentium in tantum æquivalet renuntiationi, in quantum tacens facile reclamare potest. Jamvero, quin id facile posset, plerumque metus reverentialis obstat. Ergo.

79*b*. — *Lex americana communis* statuit quod, si filius, laborans in domo paterna aut extra, alitur a patre, tunc omnia quæ lucratur pertinent ad patrem. [2]

82-88*b*. — *Jure communi americano* **bona uxoris** dici possunt triplicis generis, scilicet DOTALIA, PARAPHERNALIA, et COMMUNIA.

1) DOTALIA suunt pro uxore superstiti, vita ejus durante, ususfructus alicujus parits bonorum, quæ maritus durante matrimonio possederit, et quæ idcirco non potest alienare in uxoris præjudicium, nisi ipsa, seorsim interrogata a magistratu, libere consenserit, et subscribendo suo renunciaverit juri. Si maritus testamento uxori legaverit quædam bona, ut dos ejus excluderetur sive ex voluntate testatoris sive ex dispositione legis civilis, penes eam est ea bona respuere ut suo jure fruatur. Ceterum, uxore defuncta, ad hæredes mariti transeunt bona, quorum ususfructus constituit jus dotalium. [3]

Ex jure communi DOTALIA sunt ususfructus tertiæ partis bonorum immobilium, quæ maritus durante matrimonio possederit : talis dos existit in ALABAMA, ALASKA, CONNFCTICUT, COLUMBIA, DELAWARE, GEORGIA, IOWA, KENTUCKY, MA :YLAND, MASSACHUSSETTS, MISOURI, NEW-HAMPSHIRE, NEW-JERSEY, NORTH CAROLINA, PENNSYLVANIA, RHODE ISLAND, SOUTH CAROLINA, TENNESSEE, VERMONT.

1. Konings, n. 603.
2. Sabetti, n. 356.
3. Konings, n. 605 ; Sabetti, n. 358.

Hæc autem DOTALIA bona in quibusdam locis sunt ususfructus tertiæ partis bonorum immobilium, quæ maritus per successionem durante matrimonio obtinuit : talia habentur in ILLINOIS, MICHIGAN, MONTANA, NEBRASKA, NEW-YORK, OHIO, VIRGINIA.

DOTALIA vero sunt in ARKANSAS ususfructus tertiæ partis omnium bonorum immobilium, quæ maritus per successionem durante matrimonio obtinuit, et omnium mobilium quæ maritus durante matrimonio possedit.

In OREGON, WEST VIRGINIA, WISCONSIN, BONA DOTALIA sunt ususfructus dimidiæ partis bonorum immobilium, quæ maritus durante matrimonio possedit.

In FLORIDA, bona DOTALIA sunt ususfructus tertiæ partis bonorum immobilium, atque dominium plenum tertiæ partis bonorum mobilium, quæ maritus durante matrimonio possederit.

Tandem DOTALIA BONA non habentur in ARIZONA, CALIFORNIA, COLORADO, IDAHO, INDIANA, KANSAS, LOUISIANA, MAINE, MINNESOTA, MISSISSIPPI, NEVADA, NEW-MEXICO, NORTH DAKOTA, OKLAHOMA, SOUTH DAKOTA, TEXAS, UTAH, WASHINGTON, WYOMING. [1]

2) PARAPHERNALIA seu propria vocantur ea bona, quæ pleno uxoris dominio prorsus servantur. Jamvero ut paraphermalia habentur : 1° ubique omnia bona, quæ ad vestimentum vel ornamentum mulieris pertinent, juxta ipsius conditionem ; 2° omnia bona, quæ legibus civilibus uniuscujusque Status pleno uxoris dominio sunt reservata.

In ALABAMA autem, ALASKA, ARIZONA, ARKANSAS, COLORADO, DELAWARE, COLUMBIA, IDAHO, INDIAN TERRITORY, INDIANA, IOWA, KANSAS, KENTUCKY, MAINE, MARYLAND, MICHIGAN, MISSISSIPPI, MISSOURI, MONTANA, NEBRASKA, NEW-HAMPSHIRE, NEW-YORK, NORTH DAKOTA, OHIO, OKLAHOMA, OREGON, RHODE ISLAND, SOUTH CAROLINA, SOUTH DAKOTA, UTAH, VIRGINIA, WEST VIRGINIA, WISCONSIN, WYOMING, uxor post initum matrimonium ita conservat dominium plenum omnium suorum bonorum, ut possit contrahere etiam cum marito ; sed in CONNECTICUT, GEORGIA, ILLINOIS, MASSACHUSETTS, MINNESOTA, VERMONT, licet gaudeat uxor eodem dominio et eadem libertate ad contrahendum, non potest contrahere cum marito.

1. Hubbell, Legal directory.

In NORTH CAROLINA et PENNSYLVANIA uxor habet plenum dominium omnium suorum bonorum, sed non potest contractus inire nisi habeat concursum mariti.

In CALIFORNIA, NEVADA, NEW JERSEY, NEW-MEXICO, WASHINGTON, uxor habet plenum dominium omnium bonorum, quæ ante matrimonium possidebat et quæ post matrimonium per donationem aut successionem acquirit.

In LOUISIANA, uxor conservat dominium plenum bonorum, quæ possidebat ante matrimonium, sed ad contrahendum de his bonis indiget concursu mariti.

In TENNESEE, uxor habet dominium plenum omnium bonorum, quæ non traduntur in possessionem mariti, et potest de eis contrahere.

Tandem IN FLORIDA et TEXAS, uxor habet dominium plenum salarii, quod acquirit propter operas extra domum mariti præstitas ; quoad alia bona, quæ remanent omnino propria uxoris, administratio est penes maritum.

3) BONA COMMUNIA *ex jure communi* sunt ea quæ marito et uxori simul acquiruntur titulo emptionis aut donationis habitæ durante matrimonio. Hæc bona uterque conjux possidet quasi unica persona, adeo ut nequeat alteruter ea vendere absque alterius consensu. Talia habentur in NEW JERSEY, NEW MEXICO, WASHINGTON.

In CALIFORNIA, NEVADA, LOUSIANA, TENNESSEE (quoad bona quæ in possessionem mariti traduntur), et TEXAS, maritus habent dominium plenum omnium bonorum communium et potest ea alienare ac si essent sua. [1]

92*b*. — 5° Maritus tamen contra justitiam peccant : 1) bona propria uxoris dissipando, alienando aut assumendo ; 2) male et negligenter curam gerendo eorum uxoris bonorum, quorum administrationem habet ; 3) bona communia alienando in NEW JERSEY, NEW MEXICO et WASHINGTON.

107*b*. — Quilibet inventor alicujus mechanematis aut compositionis potest obtinere per *Patent-right* exclusivum dominium suæ inventionis per decem et septem annos.

Auctor alicujus libri, mappæ, rythmi musicalis, picturæ, graphidis, statuæ, sculpturæ, vel photographiæ per *Copyright*

1. Hubbell, Legal directory.

obtinet jus exclusivum opus suum typis mandandi per viginti et octo annos, quibus addi possunt decem et quatuor anni.

Non habetur pactum internationale dictum « *Convention de Berne.* » [1]

120*b*. — 2) **De apibus** tenendum est eas domini alvarii esse, licet inde avolaverint, quamdin in conspectu domini manserint, ita ut sit spes eas reducendi ; alias esse capientis, quum eas alveario suo incluserit. [2]

126*b*. — Ad hanc regionem quod attinet, EXCEPTA LOUISIANA, ubi vigent dispositiones juris canadensis, IN ALIIS STATIBUS leges nihil statuunt de **thesauro**, ac proinde quæstio solvenda est juxta norman juris naturæ, quod semper inventori favet. [3]

138*b*. — **Bona vacantia** addicuntur fisco : hoc autem videtur restringendum ad sola immobilia, saltem ante sententiam judicis, ideoque quoad mobilia solo jure naturali, quo primi occupantis fiunt, ante sententiam judicis conscientiam regi putant graves auctores. [4]

Insuper bona vacantia videntur esse bona **alienigenarum** qui absque testamento decesserint, quia plerumque sibi ea vindicat fiscus Status in quo discesserint. Attamen « notandum est : 1) Bona immobilia IN LOUISIANA, PENNSYLVANIA, MARYLAND, ILLINOIS et OHIO, atque mobilia in omnibus Statibus distribuuntur hæribus instar bonorum quæ ad cives pertinent. — 2) Ubi hæc legum liberalitas non viget, *a*) justitiam non violat filius bona patris sibi usurpans, quum illi faveat naturæ jus, vel saltem gentium omnium consuetudo naturæ admodum consentanea, cui vix derogare valet lex specialis, nisi in foro externo. *b*) Propinqui bona defuncti usurpantes, si filii desint, non videntur injustitiæ rei, si ea inter distribuant eo modo, quo fieret ex legis sanctione, si civis fuisset : quod enim jus illud lex deneget alienigenæ, et Statui vindicet bona, referendum est ad externum regimen, potius quam ad proprietatis definitionem, ideoque non ligat conscientiam. *c*) Attamen si talis lex executioni demandetur, necesse est haud resistere. *d*) Cœteri, qui nullum jus habent, si bona

1. Tanqueray, II, Supplementum, p. 2.
2. Kenrich, II, n. 52.
3. Sabetti, n. 372 ; Kenrick, II, n. 57.
4. Konings, n. 654 ; Sabetti, n. 380 ; Carrière, n. 285, 359.

defuncti, cui filii non supersint, haud deferant Statui, sed in usus pios impendant, in pauperum levamen, orphanorum institutionem, vel alios fines vere pios, non sunt culpandi, quum nullius jus strictum violent : sed nulla ratione possunt ea bona sibi usurpare et in suos usus convertere, nisi illis constet de voluntate defuncti sibi ea donandi. *e*) Si supersint filii, iis bona omnino tradenda sunt, nisi fisco dentur, vel nisi plane sint indigni et prodigi. *f*) Si propinqui inopia premantur, iis præ aliis subveniendum est. *g*) Non auderemus autem damnare eum qui, neglectis propinquis haud indigentibus, daret bona defuncti pauperibus vel aliis causis piis ea applicaret : propinqui enim jus strictum non habent.»[1]

146*b*. — **In casu avulsionis**, dominium partis avulsæ manet penes priorem dominum.[2]

Si mutatio alvei, quo limitantur fundi ad diversos dominos pertinentes, INSENSIBILITER ET SUCCESSIVE FIT, limitatio mutatur ad filum aquæ ; SI FIT REPENTINA, proprietates non computantur ad filum aquæ sed ad pristinos limites.[3]

Novæ insulæ, quæ in fluminibus efformantur, pertinent ad dominum vicinioris ripæ, vel, si sint in medio fluminis, dividuntur inter riparios ex utraque parte juxta lineam quæ in medio fluminis transducta supponitur, seu, ut aiunt, per medium filum aquæ.[4]

147*b*. — Prænotandum est, *ex jure americano*, **accessionem artificialem** non fieri deficiente bona fide ipsius unionem facientis ; ideoque poterit rei dominus, si velit, eam sibi vindicare.[5]

148*b*. — *Ex jure americano*, si separatio possibilis est, res unitæ debent separari, et sua cuique tribuenda est ; secus, accessorium sequitur principale, compensatione alteri facta ; ideoque dominus rei, quæ principalis existimatur, retinet totum compositum, sed accessorium sibi utile resarcire alteri debet.[6]

149*b*. — *Ex jure americano*, illud, quod per hujusmodi specificationem resultat, dabitur ei qui posuit operam, cum onere solvendi alteri pretium rei.[7]

1. Konings, n. 654 ; Kenrick, II, n. 60 ; Sabetti, n. 381.
2. Kenrich, II, n. 63.
3. Sabetti, n. 395 ; Konings, n. 672.
4. Konings, n. 672.
5. Kent, II, n. 361 ; Konings, n. 673.
6. Konings, n. 673.
7. Sabetti, n. 386.

150*b*. — *Ex jure americano*, totum commixtum aut confusum cedit ei, cui commiscens aut confundens injuriam intulit. Attamen ante sententiam judicis commiscens aut confundens totum cedere probabiliter non tenetur, et tunc applicari debent ea quæ statuuntur lege naturali.

151*b*. — Stante bona fide, *ex jure americano*, applicantur ea quæ sunt juris naturalis.

152*b*. — Extra casum malæ fidei (quo casu *ex jure americano* resolvendum est ac de mala fide in accessione artificiali), valent præscripta juris naturalis. [1]

168*b*. — Di[illegible] **[illegible]terrupta** duplici modo : 1° NATURALITER, si præscrib[illegible]t possessionem per tempus a lege determinatum aut q[illegible] judicis arbitrio statutum, aut si mala fides supervenia[illegible] CIVI[illegible]TER, si lis moveatur juridice, nec interpellatio a judice rejecta [illegible]uerit.

169*b*. — Dicitur **suspensa** 1° RATIONE PERSONARUM ut v. gr. minoris, insani, absentis a territorio Status, captivi, et generatim omnium, qui sive ex jure naturæ, sive ex dispositione legis positivæ nequeunt agere contra volentem præscribere ; 2° RATIONE CAUSÆ EXTERNÆ, v. gr. pestis, belli, etc., quæ facit ut persona aliunde habilis, nequeat agere. [2]

174*b*. — *Ex jure americano*, **titulus** vel coloratus vel existimatus requiritur et sufficit, cum tunc satis salvetur bona fides. [3]

178*b*. — *Lex americana* **bonam fidem juridicam** requirere non videtur.

184*b*. — *In jure americano*, posita multiplicitate Statuum qui proprias leges sibi faciunt, magna est varietas durationis temporis requisiti ad præscribendum. Quare PRO IMMOBILIBUS in statu MAINE requiruntur 40 anni ; in ALABAMA et LOUISIANA, 30 ; in KANSAS, NEBRASKA, OHIO, PENNSYLVANIA, 21 ; in CONNECTICUT, VERMONT et VIRGINIA, 15 ; in INDIANA, MICHIGAN, MISSISSIPPI et NEVADA, 10 ; in FLORIDA, GEORGIA, NORTH CAROLINA, SOUTH CAROLINA, et TENNESEE, 7 ; in CALIFORNIA, 5 ; in

1. Sabetti, n. 396, 397 ; Konings, n. 673, 674.
2. Konings, n. 667 ; Sabetti, n. 393.
3. Konings, n. 664.

CETERIS STATIBUS, 20. — PRO MOBILIBUS minus adhuc tempus requiritur, sed lectorem remittimus ad cujusque Status leges. [1]

190b. — Tanta est diversitas legum particularium, ut opportunius ducamus remittere lectorem ad cujusque Status leges.

191b. — Quoad **liberativam præscriptionem** juxta Konings [2] et Tanqueray, [3] dispositiones legum americanarum universim mere ut denegationes actionis in possessorem habendæ sunt, quin dominium rerum transferant.

194b. — *In jure americano*, **hæredes** acquirunt omnium bonorum, jurium et actionum defuncti eo ipso momento, quo hic moritur, et quin necesse sit, ut declarent se velle acquirere illud dominium, et licet inscii sint se esse hæredes : proinde defunctus invadit vivum. — Hæc tamen dominii acquisitio non est confundenda *a*) cum actuali ejusdem possessione, quæ per executorem seu administratorem hæreditatis procuratur ; *b*) cum acceptatione hæreditatis : potest enim repudiari. [4]

Ideo, IN CASU SUCCESSIONIS LEGALIS, intestati bona nemo occupare valet, nisi litteris a Curia acceptis, quæ proximo ex propinquis defuncti conceduntur, ut EA ADMINISTRET. Si negligat, vel recuset, qui proximior est sanguine, hoc petere munus, alter remotior poterit illud, curiæ auctoritate interveniente, exercere ; si autem omnes consanguinei neglexerint, creditori alicui, vel publico officiali concedetur. Administrator debet inventarium omnium bonorum statim conficere, credita colligere, solvere debita et tandem hæredibus distribuere bona quæ supersunt. [5]

IN CASU HÆREDITATIS TESTAMENTARIÆ, loco administratoris nominatur a testatore vel a Curia EXSECUTOR TESTAMENTI.

195b. — Nullus, *in jure americano*, actus requiritur quo hæreditati quis **renuntiat**. Quæ alicui contingunt, alio decedente, jura valent ipso ea vindicante. Quod si neglexerit, vel sua culpa, vel quod mortem defuncti ignoraverit, poterit deinceps jus suum prosequi coram tribunali, modo diuturnum tempus lapsum non sit, adeo ut lex quæ dicitur *limitationum* obstet. [6]

1. Sabetti, n. 392 ; Konings, n. 666.
2. N. 665.
3. II, Suppl. p. 15.
4. Konings, n. 899.
5. Kenrick, II, n. 87.
6. Kenrick, II, n. 88.

196-199b. — Effectus **acceptationis**, *jure americano*, retrahitur ad diem aperitionis successionis : quia defunctus invadit vivum. — Acceptatio fit pure et simpliciter.

200b. — **Taxa** habetur solvenda AB OMNIBUS, qui hæredes sunt, in COLORADO, CONNECTICUT, ILLINOIS, KENTUCKY, MICHIGAN, NEBRASKA, NEW-YORK, NORTH CAROLINA, OHIO, OREGON, SOUTH DAKOTA, UTAH, WASHINGTON, WISCONSIN, WYOMING ;— solvenda a COLLATERALIBUS tantum hæredibus in DELAWARE, IOWA, MAINE, MARYLAND, MASSACHUSETTS, MISSOURI, MONTANA, NEW-HAMPSHIRE, NEW-JERSEY, NORTH DAKOTA, PENNSYLVANIA, TENNESEE. VERMONT, VIRGINIA, WEST VIRGINIA. [1]

204b. — Titulo **incapacitatis**, *in jure americano*, repelluntur : *a*) qui tempore, quo intestatus vitam ponit, necdum conceptus est ; *b*) qui nascuntur mortui aut vitæ extrauterinæ incapaces (quod tamen non in omnibus Statibus valet) ; *c*) in aliquibus Statibus mortuus civiliter. — *Alienigenæ* quoad immobilia omnino excluduntur in ARIZONA ; si vero non probaverint animum semper in Fœderatis Statibus commorandi, excluduntur in KENTUCKY, MINNESOTA et MISSOURI ; — si non probaverint talem animum et Status Fœderatos non incolant eo momento, quo moritur intestatus, excluduntur in DELAWARE, COLUMBIA, et NEW MEXICO ; — si non probaverint talem animum aut non incolant Status Fœderatos, excluduntur in ALASKA et IDAHO ; — si non incolant Status Fœderatos, excluduntur in CONNECTICUT, IOWA, MISSISSIPPI, et NEW HAMPSHIRE ; — si non sint cives alicujus dominationis, quæ idem privilegium civibus americanis confert, excluduntur in NEW-YORK. In OMNIBUS autem ALIIS STATIBUS, alienigenæ, ut cives, heredes esse possunt.

2) Titulo **indignitatis** excluduntur illegetimi non facti legitimi per subsequens matrimonium. — Attamen nemo ut legitimus agnoscitur, qui extra matrimonium natus fuerat, juxta leges sequentium undecim Statuum : ALABAMA, GEORGIA, KENTUCKY, INDIANA, LOUISIANA, MARYLAND, MISSISSIPPI, MISSOURI, OHIO, VERMONT et VIRGINIA. [2]

205-214b. — *Jus americanum* in singulis Statibus diversum est ; at generatim ille est ordo, ut cum uxore hæredes legales

1. Hubbell, Legal Directory.
2. Konings, n. 916 ; Hubbell, Legal Directory ; Kenrick, II, n. 82.

sint : 1) filii eorumve descendentes ; 2) parentes ; 3) fratres eorumve descendentes ; 4) avi ; 5) fratres et sorores parentum eorumve descendentes ; alioqui alius proximus consanguineus ; 6) post omnes fiscus. [1]

Repræsentatio admittitur ex jure communi tum in linea recta tum in linea collaterali et sine ulla limitatione. Quando autem omnes hæredes sunt in eodem gradu consanguinitatis quoad defunctum, seccessio fit PER CAPITA ; e contra quando hæredes sunt in diverso gradu, successio fit PER STIRPES. [2]

215-218b. — **Partitio hæreditatis** fit ab administratore juxta leges unuiscujusque Status. Sed ut æqualitas inter hæredes servetur, ordinarie imponitur **collatio** : cui applicari debent ea quæ dicta sunt n. 216.

222b. — Attamen in aliquibus Statibus habetur **restrictio** quædam **facultatis testandi.** Hinc si testator relinquat superstitem uxorem, aut prolem, aut parentem, pia legata non debent excedere $\frac{1}{4}$ bonorum in IOWA ; $\frac{1}{3}$ in CALIFORNIA, GEORGIA et MONTANA, et $\frac{1}{2}$ in NEW-YORK et WISCONSIN. — IN LOUISIANA, si habeatur superstes proles una, aut pater vel mater, pia legata non debent excedere $\frac{2}{3}$ bonorum ; si habeantur duæ proles, non debent excedere $\frac{1}{2}$, et si tres proles habeantur superstites, non debent legata pia excedere $\frac{1}{3}$ bonorum : legata autem quæ excedunt quotam partem, non sunt caduca, sed ad partem lege assignatam reduci debent. — Tandem in MISSISSIPI, legata pia, quæ fiunt ex bonis immobilibus aut ex pecunia per talium bonorum venditionem obtenta, declarantur nulla. [3]

223b. — *Jure autem americano,* **inhabiles** declarantur tantum minores et uxores. — Attamen quoad minores notandum est haberi modificationes pro diversis Statibus. Hinc in ALASKA, ARIZONA, DELAWARE, INDIANA, IOWA, KENTUCKY, MAINE, MARYLAND, MASSACHUSETTA, MICHIGAN, MINNESOTA, MISSISSIPI, NEBRASKA, NEW-HAMPSHIRE, NEW-JERSEY, NORTH CAROLINA, OHIO, OKLAHOMA, PENNSYLVANIA, VERMONT, WEST VIRGINIA, WYOMING, non porsunt testamentum condere illi qui nondum ætatem vigesimi primi anni adepti sunt.

1. Lehmkuhl, I, n. 1387.
2. Konings, n. 905.
3. Hubbell, Legal Directory ; Slater, I, p. 570.

In **Alabama, Arkansas, Indian Territory, Oregon, Rhode Island, Virginia** possunt condere testamentum circa immobilia bona omnes qui ætatem vigesimi jam adepti sunt, et circa mobilia omnes qui ætatem decimi octavi anni jam attigerunt.

In Columbia, Illinois, Kansas, Washington, Wisconsin possunt testamentum condere masculi qui ætatem 21 anni attigerunt, et fœminæ quæ ætatem 18 anni jam adeptæ sunt.

In Colorado de immobilibus testamentum condere possunt masculi qui ætatem 21 anni jam adepti sunt, et fœminæ quæ actatem 18 anni jam obtinuerunt ; de mobilibus omnes qui ætatem 17 anni jam consequunti sunt.

Omnes autem, qui jam ætatem 18 anni obtinuerunt, possunt condere testamentum in California, Idaho, Louisiana, Montana, Nevada, North Dakota, South Dakota, Utah.

In New-York testamentum circa immobilia non potest fieri nisi ab iis qui ætatem 21 anni jam adepti sunt ; circa mobilia testamentum fieri potest a masculis qui ætatem 18 anni et a fœminis quæ ætatem 16 anni adeptæ sunt.

In Florida et South Carolina testamentum circa immobilia possunt condere omnes qui ætatem 21 anni jam adepti sunt ; circa mobilia, masculi qui ætatem 14 anni et fœminæ quæ ætatem 12 anni jam attigerunt.

In Tennessee testamentum condere possunt masculi qui ætetem 14 anni et fœminæ quæ ætatem 12 anni jam adeptæ sunt.

Tandem in Missouri masculi qui jam ætatem 21 anni attigerunt possunt testamentum condere circa immobilia, et qui ætatem 18 anni jam adepti sunt, possunt per testamentum disponere de bonis mobilibus ; fœminæ, quæ jam ætatem 18 anni adeptæ sunt, de omnibus bonis suis per testamentum disponere. [1]

Præterea restrictio, qua tenentur uxores, valde imminuta est fere in omnibus Statibus, et nunc possunt per testamentum de bonis suis disponere. [2]

224b. — Revocatur vero testamentum *ex jure americano :* 1° si deliberate destruatur per combustionem, dilacerationem aut obliterationem ; 2° si novum fiat, quod contineat vel clausulas aperte revocatorias primi vel dispositiones non tantum

1. Hubbell, Legal Directory.
2. Sabetti, n. 512 ; Tanqueray, II, Supp. p. 25.

diversas, sed oppositas et incompossibiles cum primo testamento ; 3° si testator post conditum testamentum ducat uxorem et prole donetur, ita tamen ut uxori et proli provisum autea non fuerit ; 4° si vendantur aut pactum fiat ut vendantur bona de quibus sermo est in testamento. [1]

226b. — *Ex jure americano,* **incapaces** declarantur testes ipsius testamenti nisi sint creditores, alienigenæ in quibusdam Statibus quoad bona immobilia, et collegia quoad ea quæ excedunt suam capacitatem possidendi. [2]

227-231b. — *In jure americano,* habetur **testamentum secundum modum derivatum a lege anglica, testamentum olographum** et **testamentum nuncupatiovum seu verbale.**

Quoad **testamentum secundum modum derivatum a lege anglica**, quod etiam vocatur scriptum, in omnibus fere Statibus sufficiunt DUO TESTES, sed in CONNECTICUT, GEORGIA, MAINE et MASSACHUSETTS requiritur tres, et in Pennsylvania NULLUS requiritur TESTIS. — IN duodecin Statibus, scilicet in ALABAMA, CONNECTICUT, GEORGIA, INDIANA, IOWA, MAINE, MARYLAND, MINNESOTA, PENNSYLVANIA, SOUTH CAROLINA, VIRGINIA et WISCONSIN SUBSIGNATIO a testatore agnosci debet coram testibus requisitis, qui immediate coram illo signare debent : testes scribunt nomen suum cum loco sui actualis domicilis, quamvis hoc non sit necessarium ad testamenti valorem. Insuper non videtur omnino necessarium ut testes sciant documentum, cui subscribunt, esse testamentum.—IN ALIIS STATIBUS requiritur ut documentum agnoscatur a testatore ut suum testamentum, quin sit necessarium testes cognoscere ea quæ continentur in ipso documento.

Testamentum olographum admittitur in ARKANSAS, CALIFORNIA, KENTUCKY, LOUISIANA, MISSISSIPPI, NORTH CAROLINA, TENNESCE, TEXAS, VIRGINIA, et WEST VIRGINIA.

Testamentum nuncupativum seu verbale, i. e. testamentariæ dispositiones factæ coram testibus quin habeatur documentum scriptum, admittitur in NEW-YORK et NEW-JERSEY pro nautis et militibus, qui actualiter inserviunt ; imo in MULTIS ALIIS STATIBUS valet pro omnibus, sed servatis

1. Sabetti, n. 515.
2. Tanqueray, II, Supp. p. 25 ; Sabetti, n. 512.

quibusdam conditionibus. Notandum tamen est, hujusmodi testamentum sæpe originem dare litibus et discordiis, ac proinde tutum non esse. [1]

235*b*. — Tres dantur **dispositiones testamentariæ**, scilicet codicillus, legatum et substitutio.

236*b*. — *Ex jure americano* **codicillus** iisdem solemnitatibus eodemque testium numero gaudere debet ac testamentum. [2]

237-241*b*. — Quoad **legatum** *in jure americo* eadem habentur ac in lege anglica quæ inteà exposita fuit sub n. 237-246*a*.

242-246*b*. — **Substitutio** est dispositio, qua quis vocatur ad hæreditatem vel legatum in alterius defectu. — Duplex est substitutio : alia DIRECTA, qua quis directe et proprio nomine, loco alterius, ad hæreditatem vocatur, siquidem ille rem accipere nequeat vel nolit, et alia FIDE COMMISSARIA, qua hæres a defuncto gravatur et obligatur, ut hæreditatem totam vel ejus partem alteri restituat seu tradat. [3]

247*b*. — Quoad **executorem testamenti** *in jure americana* eædem dispositiones habentur ac in jure anglico : confer n. 247*a*.

313*b*. — *Ex jure americano*, si res empta fuerit in foro publico, excepto casu evictionis per judicis sententiam, dominium transfertur in emptorem bonæ fidei. Et cum hoc ab commercii securitatem statutum sit, res potest retineri tuta conscientia [4]

317*b*. — *Jus americanum* nihil statuit.

319*b*. — *Jus americanum* confirmat jus naturale.

333*b*. — *In jure americano*, nihil prater jus naturale habetur.

345*b*. — *Jure americano*, **in casu dubiæ fidei supervenientis** debet possessor domino restituere fructus naturales et civiles, modo exstent in se vel in æquivalenti. Fructus autem mixti pariter dominum et possessorem dividi debent secundum æstimationem viri prudentis et honesti. Cfr n. 316.

1. Sabetti, n. 509.
2. Sabetti, n. 514.
3. Sabetti, n. 514.
4. Marc, I, n. 937 ; Tanquerey, II, Suppl. 22.

380*b*. — *Juxta jus americanum*, **superior** tenetur ad restitutionem, si vel expresse vel implicite vult aut approbat damnum a famulo allatum. Censetur autem hoc damnum velle, cum famulus illud infert sub immediata ejus supervisione aut ex naturali et culpabili negligentia ipsi domino cognita. [1]

410*b*. — *In jure americano*, **credita privilegiata** IN CASU MORTIS sunt plerumque funeris et ultimi morbi expensæ, et deinceps quæ fisco supremo debentur et judio probata sunt. IN CASU autem CESSIONIS BONORUM sunt salaria quæ operariis et famulis debentur propter operam præstitam intra ultimos sex menses, modo non excedant quinquaginta dollaria. [2]

463*b*. — *In jure americano*, **cessio bonorum** eumdem finem obtinet ac in jure anglico. Imo CESSIO BONORUM JUDICIALIS videtur omnino liberare debitorem propter legem latam [3] a Congressu pro omnibus Statibus et Territoriis, juxta quam declaratur jus omne creditorum, tum in debitorem quam in bona ejus deindeps acquirenda, remitti iis qui bona sua tradiderint, et beneficio legis usi sint bancorupti declarati. [4]

1. Sabetti, n. 441.
2. Sabetti, n. 453.
3. Die 1a julii A. D. 1898.
4. Slater-Martin, I, p. 440 et seqq., ubi exponit opiniones Koniags, Sabetti et Kenrick.

INDEX

PARS III

DE RESTITUTIONE